6
16-F
92

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
16 K
50

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

72.2.R
F 72
II E
37 14
6-16-F-92

IAC. MARCHANTII
FLANDRIA
COMMENTARIORVM LIB. IIII. DESCRIPTA.

IN QVIBVS

De Flandriæ Origine, Commoditatibus, Oppidis, Caſtellaniis, Ordinibus, Magiſtratibus, Indigeniſque; tam à doctrina quàm Nobilitate claris; tum etiam de Principum Flandriæ ſtemmatibus, Ciuili armataque vita, aliiſque memorabilibus breuiter dilucideque tractatur.

Bibliothe Coll. Rom. Soc. Jesu

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam, & Ioannem Moretum.
M. D. XCVI.

SERENISSIMO PRINCIPI ALBERTO, MAXIMILIANI II. IMP. F. ARCHIDVCI ET CARDINALI AVSTRIAE, BELGICAE GVBERNATORI, ETC.

Iacobus Marchantius D D.

FLANDRIAE Principes, maiores tui, Alberte ſereniſſime, quum percepiſſent, (*redit enim ſpiritus & vita bonis poſt mortem Ducibus*) vitam regionemque ſuam, tum à nullo hactenus ſingillatim iunctimque fuiſſe deſcriptam: tum ab exteris ſcriptoribus imperitè ſæpiùs, odioſeque habitam: tum ab indigenis, vel nullo amictu Latino (ſi Iac. Meyrum excipis) vel nimis breui aſtrictoque per me iampridem fuiſſe indutam, voluerunt, vt iterum incumberem rebus

Dominiſque Flandriæ penitiùs indagando cognoſcendis, apertiori veritate ęſtimandis, diffuſiori luce propalandis. Quemadmodum enim heri parenteſq; negocia ſua frequenter iniungunt, non aptiſſimis, ſed amoris, obedientiæ, fideique compertis; ſic illi iuſſerunt, vti συμπάτριδας meos, iſtos ceſſatores circumſpectos, quantum doctrina, facundiaq; me præcedũt, tantùm pio iteratoque facta patriæ referendi, palamque, ceu in theatro exhibendi, labore anteirem. Neque tamen in proſcenio, cuiquam priuatim addici, vlliúſve in nomine apparere deſtinauerant: quòd huiuſmodi nũcupationum inſinuationes neque eſſe ex Maieſtatis ſuæ τῷ πρέπῳ, neque muneris Æditori vllum allaturas precium operæ exiſtimarent: quum mos ille (vt ad Priſcum ſcribit Plinius) honoribus pecuniáve eos ornandi, qui vel ſingulorum laudes, vel vrbium ſcripſerant (vti alia ſpecioſa & egregia) exoleue-

leuerit: poſtquam enim deſiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Quæ prudentis viri querela nimis iuſta eſt hac tẽpeſtate: in qua Mars ſcaturit: Ars eſurit: Militia & malitia præferunt potentiæ facem: Mens affectuumque menſura contemptus fecem: Vbi ingenij lucubrationes, luculentis potentibuſq; dicatæ, non rarò illis ipſis irriſui, ſæpiùs neglectui ſunt: & à Catonibus cẽſentur eſſe aſſentationis fómes, integritatis labes, fidei tabes, quam nemo bonus leniter ferat, bene terat. Proinde in orcheſtrã ἀπροσφόνητως prodire omnino decreuerant, ni ſereniſſima ad Flandriam ceteramque Belgicam regendam, aduentus tui aura, voluntatem illi, ceu velum vertiſſet. Publicum enim aliquod extare ſui gaudij teſtimonium cupierunt, quod memoriæ ipſorum illuſtrandæ, ditioni gubernandæ, reipub. emendandæ, tu præſertim acceſſiſti, tam Iuſtitiæ, Temperantiæ, Benignitatis,

Dexteritatis præclarus (quas ego ceteraſque regias virtutes tuas, quòd exprimere penicillo nequeam , Timantem imitatus, ſilentij velo hîc tegam, ſemper autem laudabit pacata per tê Luſitania) quàm, non modò Auſtriæ familiæ, Cęſarum præ cunctis aliis feraciſſimæ, verumetiam Flandricę ex Carolo Magno rectæ originis manifeſtus. Conſtat enim Celſit. T. patrem Maximilianum Imperatorē, natum fuiſſe trinepote *Margaritæ à Flandria*, recta legitimaque ſerie, ex Magno illo deſcendentis : quæ Philippo Valeſio Audaci allatis in dotem, velut in regiæ potētiæ baſim, Flandriæ, Arteſiæ, tribuſque aliis opulentis Comitatibus, domum Burgundicam ſubſtruxit. Quocirca haſce rerum, Principumque Flandriæ concinnnationes, Celſ. T. dant dicantque, Priſco more, ſincero amore : partim vt per hoc xenium, aduenienti, annumq; ipſum vnà cum adminiſtratione auſpicanti porrectum,

ctum, beneuolæ ipſorum in te propenſionis fiduciæque monumentum perſpicias: partim vti huius rerum Flandricarum architecturę inſpectionem ſuſcipias ac protectionem: partim denique, vt hac occaſione ad faciendam Belgicæ pereunti medicinam pronum te incitarent. Quo enim pacto euidentiùs animi erga te ſui inductionem fiduciamq́; declarent; quàm ſi vitæ ſuæ arcana ad imitationem boni, fugam mali, & regionis ſuæ quaſi anatomiam, ad clariorem eius per te firmandæ, formandęque Iſagogen tibi aperiant? Cui verò cognitionem, benignumq́ue præſidium huius argumenti potiùs deferant, quàm tibi? qui & illam curam ſtirpi tuæ lubenter debes, & experimentis doctrinaq́ue validus compertum habes, quàm ſit arduum ac perplexum, patefacere rerum geſtarum veritatem: quum in illa ex profundo vetuſtatis obſcuritatiſq́; puteo eruenda, anxietas, in publicanda

periculum, in diſſimulanda vicium, in peruertenda ſcelus ſit: quàm ſit perdifficile, illuſtris prouinciæ effigiem, ſi non cum ſpiritu, ſanguine, toris; ſaltem cum oſſibus, vertebris, neruis, appoſitè repręſentare: quum hæc ter decennalia itinerum vndiq; latrociniis obſeſſorũ diſcrimina aditum præcludant ſtudioſæ inueſtigationi. Poſtremò, Philippi proaui tui paterni, Hiſpaniarũ per nuptias potiti, & propatrui, auique tui materni Caroli V. Imp. Maximi patria (ille Brugæ, hic Gandaui in lucem prodiit) iamdudum afflictiſſima, ſalutiferam opem tuam ardentiſſimè efflagitat, ac operitur. Flandria enim, reliquaque in nomen eius aſſcripta Belgica, ſacro, inteſtino, longiſſimoque bello diſſecta, opportuniſſimi ſitus commodis, maris fluminumque commerciis intercluſa, opibus toti Europæ nuper inuidioſis exuta, vectigalium liene exucca, iam nunc extabeſcit interitque; niſi confeſtim reme-

dia

dia adhibeas & conuenientia ægritudini, peruicacibus Bellonæ ſecturis vſturiſque perditiſſimæ, & procliuia naturę togæque tuæ: Nimirum vt, auſpiciis omniumRegum potentiſſimi, Flandrię Principis, *Philippi*, Auguſti filij, auunculi tui, *Belli portas* obſeres peſſulo *Pacis*, tã neceſſariæ, quàm paſſim exoptatæ: quæ reſtituat cunctis virtutibus artibuſque ſuum decus atque libertatem, Plebi abſque querela quęſtum, Nobilitati ſecuritatem, Magiſtratibus reuerentiam, Religioni ſanctitatem. Cui negotio omniũ præſtantiſſimo, omnemq́; ad poſteritatẽ memorabili, Belgij proceres, Ordineſque (qui certatim Cel. T. accurrunt) promptiſſimè ſubſeruient, iuſſu tuo: imprimis Philippus Dux Aerſchotæ, ex Hungariæ veſtræ Regibus oriundus, in aula aui tui Ferdinandi Imp. eductus, Auguſto patri tuo familiariter acceptus, acutus, apertuſque: ac (vnà cũ filio Carolo, Chimai Principe

celeberrimo, generiſque Arenbergæ & Boſſuti, S. Imp. Comitibus illuſtriſſimis, ceteriſque Ordinibus) integerrimè ſtudioſus amplitudinis tuæ & incolumitatis.

Devs Opt. Max. Celſ. T. regimen diutiſſimè eſſe velit tum gratum bonis, graue improbis, verum fidis, ſeuerum fictis, Belgio toti ſerenum atque ſalutare: tum eruditorum virorum monumentis ſuffragiiſque poſteritati commendatum. Nihil enim intereſt vtrum pulcherrimos quiſpiam liberos gignat, nec cibis tamen enutriat, an ingentia edat facinora, nullis literarum teſtimoniis illuſtrata. Ex ruſculo noſtro Alueringemio, agri Feurnenſis. Cal. Ianuar. M. D. XCVI.

Ele-

ELEGIA
AD PHILIPPVM REGEM POTENTISSIMVM,
Pro publica pace.

HEROVM *genus, antiqua virtute Philippe*
(Cuius inexhauſtas Dij tueantur opes.)
Quæ cæſis tibi parta fuit victoria Gallis,
Quintinus Somonæ quâ pater aſtat aquis,
Siue Greuelingis quâ Flandria deſinit oris,
Non erit hoc verſu notior illa meo.
Sed dicam, iuſto quod pacem Marte petiſti,
Et bona quod populo Pax fuit orta tuo.
Quam (licet implexæ diſcordibus ora colubris
Eumenides, Belgis eripuere tuis)
Fac iterum redeat: Pacem te poſcimus omnes:
Pax iterum terris floreat alma tuis.
Nec minus ipſa tuis regnis Thetis obuia, Martem
Ex toto per te proluat Oceano:
Vt bene ſecuris Portuno mixta lacertis,
Indigenis Plutum gignat, alatque tuis.
Pace vigent alacris commercia mutua plebis:
Pace vigent artes, dedaliæque manus:
Pace viam licet, omniferos & carpere fructus:
Et dare fœcundis ſemina iugeribus.

Pace

Pace Aſtræa poteſt æquali ſtare bilance,
Et non viſuris munera luminibus.
Relligio donum, ſinceraque numinis aura,
Quæ laceram mæſto nunc trahit ore togam,
Et ſoror, affectus freno quæ temperat acres,
Imperium, pacis tempore, maius habent.
Pace licet tutis & comptis eſſe Camœnis:
Pace fluent laudes ex Helicone tuæ.
Deniq; Mars quantum producit in orbe malorum,
Omnigeni tantùm Pax dat vbique boni.
Quas natura homini dedit, eſt Pax optima rerum:
Quilibet inferior Pace triumphus erit.
Sic (vbi clementes tibi Pax finiuerit annos)
Filius ex oleis mitia ſerta gerat.

INDEX

INDEX GENERALIS TOTIVS DESCRIPTIONIS.

De Origine, Situ, & Etymo Flandriæ. pag. 5
De Commoditate, Fertilitate, & Potentia terræ. 13
De Gentis moribus, Artibus, Commerciis. 17
De Legibus & Lingua. 22
De partitionibus Flandriæ. 27
De Oppidis, Caſtellaniis, Arcibus, Portubus, Inſulis, Lacubus, Fluuiis, Siluis, Montibus, Abbatiis, Canonicorum collegiis, Viriſq. à ſcripto & doctrina claris, cuiuſque loci indigenis. 31
De Oppidis mœnitis. 33
De Oppidis non mœnitis. 71
De tribus Ordinibus, ſiue Statibus. 95
De claſſe ſtatus Eccleſiaſtici. 96
De claſſe Nobilitatis. 101
De claſſe Quatuor membrorum. 109
De Magiſtratibus. 141
De Magiſtratibus cuiuſque loci, De Scabinis. 146
De Balliuis. 151
De Gallo-Flandria. 154
De Antiquitate ac Nobilitate. 171
De ritibus Dominatus ineundi, & beneficij inueſtituræ, tum à regibus Galliæ, tum à Cæſaribus accipiendi: deq. auctoritate ac poteſtate Principum. 176
De nomine Grauiatus, aut Comitatus Flandriæ. 178
De Comitibus Flandriæ, nominatim, & nobilibus familiis, ſingulorũ Principatui, per annales attributis. 181

FLAN-

BALDVINVS *primus Ferreus.* 181
Balduinus ſecundus Caluus. 184
Arnulphus primus Magnus. 186
Balduinus tertius. 188
Arnulphus ſecundus. 190
Balduinus quartus, Pulcrobarbus. 191
Balduinus quintus, Lilanus. 193
Balduinus ſextus, Montanus. 196
Arnulphus tertius, Infelix. 198
Robertus primus, Friſius. 199
Robertus ſecundus, Hieroſolymus. 202
Balduinus ſeptimus, Securicula. 205
Carolus primus, Pius. 208
Guilielmus Normannus. 213
Theodericus Alſatius. 216
Philippus primus, Alſatius. 220
Margarita prima. 223
Balduinus octauus, Conſtantinopol. Cæſar. 225
Ioanna Conſtantinopolitana. 230
Margarita ſecunda, Conſtantinopolitana. 234
Guydus Dampierrus. 241
Robertus tertius, Bethunius. 246
Ludouicus primus, Creſſyus. 249
Ludouicus ſecundus, Malanus. 254
Margarita tertia, & Philippus Valeſius, Audax, Burgund. Dux. 261
Ioannes Digeonius. 269
Philippus Bonus. 279
Carolus ſecundus Bellicoſus. 293
Maria Valeſia, & Maximilianus Archidux Auſtr. 308
Philippus Auſtrius, Pulcher. 320
Carolus Maximus, Imp. Auguſtus. 324
Philippus regum potentiſſimus, quem Deus conſeruet validum ad pacem orbis Chriſtiani. 330

CIVITATES.

AERDENBVRGVS	51	*Haſebrouca.*	95
Aldenarda.	45	*Honſchota.*	90
Aldenburgus.	87	*Houcka*	77
Aloſtum.	33	*Hulſtum.*	41
Axella.	75	*Lanoya.*	162
Baſſea.	164	*Lila.* 157 *Loa.*	88
Belle.	92	*Lombarſida.*	77
Berga S. Winoci.	64	*Middelburgus.*	76
Bierulietum.	50	*Mardica, Monikereda,*	
Blanckenberga.	78	*Minda.*	77
Broucburgum.	69	*Meſſena* 80 *Menena.*	84
Bruga.	121	*Nortgemum.*	94
Caprica.	77	*Nieuene.*	41
Caſletum.	62	*Nieuportus.*	55
Cominium.	165	*Ooſtburgus.*	75
Curtracum.	48	*Ooſtenda.*	79
Damum.	53	*Orchieſa.*	162
Deinſa.	47	*Poperinga.*	91
Diximuda.	54	*Ronſa.* 74 *Rouſſelara.*	82
Duacum.	160	*Rupelmonda.*	71
Dunkerca.	60	*Saftinga.* 73 *Sinuſa.*	51
Ecloa.	77	*Stegra.*	93
Ermentiera.	164	*Teneramonda.*	58
Furnae.	58	*Terra Franca.*	156
Gandauum.	110	*Thieletum.*	81
Gheerdsberga.	45	*Thorhoutum.*	83
Ghiſtela.	87	*Turnacu & Torneſiu.*	168
Grauelinga.	70	*Waeſiena.* 65 *Werwyca.*	84
Harlebeca.	80	*Ypra.*	133

BELLA.

De bellis Flandrorum domi foriſque geſtis, illorum cauſis atque [illegible] 3[illegible] *De bellis ciuilibus.* 332

De bellis externis [illegible] 367 *Germanico.* 385

Anglico. 388 *Hannonico.* 392 *Hollandico Zelandicoq́;.* 394 *Brabantino.* 400 *Tornacenſi.* 403

Leodienſi. 406 *Lotharingico & Heluetico.* 413

Hieroſolymitano. 416.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIÆ Maieſtatis priuilegio cautum eſt, ne quis citra voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpienſis, librum cui Titulus eſt, *Iacobi Marchantij Flandria Commentariorũ lib. 4. deſcripta*, intra ſex poſt operis impreſſionem annos vllo modo imprimat, aut alibi impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet vænalémue habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, aliaque graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XV. Ianuarij. M. D. XCVI.

Signat.

De Berty

&

De Perre.

IACOBI MARCHANTII FLANDRIÆ DESCRIPTÆ COMMENTARIORVM

Liber primus.

HISTORIAM amare par eſt, laudare non eſt neceſſarium. Nam quis vituperet animam memoriæ teſtem cuſtodemq́; temporum, virtutum, vitiorum, euentuum, oblectamentum vitę? quis prudentiæ ciuilis magiſtram ac palæſtram? quis in illa ad imitationem boni, fugam mali, ad publicas priuataſq́; deliberationes tam auxiliari, non deamet tantã ingenuitatem atq; comitatem? Cui à fronte velum, à tota facie fucum, à veſtitu luxum amolienti, *Vt natura dedit, ſic omnis recta figura eſt.* Cui etiam mola ſalſa litant, qui thus non habent. Hinc quàm plurimi ſemper ad eius ſacra tractanda, & propaganda ſe contulere: quorum imitatione, ſtudiiq; mei propenſione incitatus, *Hiſtoriam* iam olim venerari, ac in ea colenda me exercere cepi, & de *Rebus Flandriæ memorabilibus* librum compendioſum iampridem euulgaui. Verùm ille magis conſuluit meę in patriam pietati, quàm lectoris ſatietati. Etenim breuitatis, & velut ieiunij, aduerſus humorum ſuperfluam plenitudinem, nimio ſtudio, maciem contraxit inamœnam, periitq́; à me iamdudum, vt maiori ſucco atque carne reſtauretur: Neque illi, in poſtulando æquitas, neque in patrocinio, amicorum meorum adiunctio, neque in affectu meo, propenſio, & quaſi paterna commiſeratio deſuit. Nouo igitur ſanguine imbuendum, noua forma

ma augẽdum ſuſcepi: & quicquid ab exordio rerum principumq́; Flandriæ, collegi, vſque ad *Philippum* omnium regum potentiſſimum, iam regnantem, & modico à patris exceſſu interuallo, in Hiſpaniam hinc diſcedentem, in *quatuor Commentariorum libros* digeſſimus, ex aliorum ſcriptis, tam impreſſis, quàm nondum euulgatis, decerptum: quid enim *hiſtoricus* eſt, quàm variæ materiæ vndique conductæ architectus? eo tamen temperamento, vt neque paſſim, quod triuiale; neque omnia, quod immenſum; neque ab omnibus, quod difficile eſt; aggregauerimus: ea ſinceritate, vt liberè veritatem (quæ, vt animanti oculi, ſic hiſtoriæ lumen eſt) eo iudicio, vt res memorabiles inprimis adferamus: quò nimirum infinita lectoris auiditas, hiſce moderatis ferculis nõdum ſaturata, aliorum Flandriæ ſcriptorum, præſertim Iacobi Meyeri, cui plurimũ omnes debemus, conuiuio copioſo expleatur. Si quis verò hæc leget, oratum volo, vbi ſentiet me ſubinde veterum auctorum ſententias magis quàm nomina, ſcriptis meis, ceu emblemata, intermiſcere; ne acrius hoc in me cenſeat quàm in phrygionibus: qui aulæis ſuis, eorum nomina non intexunt, vnde fila ſumpſere & exempla, ne videlicet contextus hiulcus ſit, impeditus, & inconcinnus. Porrò ciuile eſſe duxi, & memoriæ conducibile, lectorem antè monere, quem hîc ordinem methodumq́; tenuerim, vt faciliùs apertiuſq́ue quid quoque loco, & claſſe inueniendum ſit, velut in armario & promptuario ordinato conſpicetur.

Itaque PRIMO libro *terram Flandriam* tum generatim deſcripſimus, hoc eſt, quæ ad illius originem, ſitum, commoditates, potentiam, mores, commercia, artificia, leges, atque linguam vniuerſim reſpiciunt: tum illam maximè cui vſus ſermonis eſt ad Germanicum accedentis, nam de *Galloflandria* ſeorſim

ſim & in calce agemus; in ſuas partitiones, velut in familia herciſcunda, diuiſimus: in ſingula oppida cum caſtellaniis, arcibus, portubus, fluuiis, lacubus, ſiluiſq; diſtinximus: in Ordines denique Statûſve generales, atque Magiſtratus, perſpicua hermenia, analyſiq; diſcreuimus: Vrbibuſq; & aliis locis, ſuos indigenas, à ſcriptis, aut muniis, honorata doctrina claros, mihi cognitos, velut matribus liberos, in ſinum repoſuimus. SECVNDO libro atque TERTIO, quæ Flandriæ principum antiquitatem, nobilitatem, auctoritatem, poteſtatemq; in genere ſpectant, perſtrinximus: Deinde quæ ad ipſorum vitam domeſticam togatámque, conſtitutiones, generis imperiiq; propagationem, pertinent, nominatim recitauimus: Eorumq; exitum cuiuſque theoremate, aut paradigmate politico circumſcripſimus: vt ex hiſtoria in ſolem exercitiumque, ceu ex vmbra educta, fructum ampliorem capiamus, ac, velut igni à vicinis petito, non illic hæreamus, ſed focum noſtrum accendamus. Singulis autem Principibus, ne ſine apparatu & comitatu in publicum prodeant, nobiles Flandriæ familias ſubiunximus: abſque tamen gradus obſeruatione, quæ nomenclatoris potiùs eſt, quàm cenſuræ meæ: neque omnes protulimus; quod nimis arduum eſſet atque copioſum; neque ex affectu vel temeritate mea, quod reprehendi poſſet; ſed illas tantummodo; quas ego comperi per annales inprimis noſtros (nam Gallici, noſtratia tum loca, tum nomina maximè, idiomatis imperitia, corruperunt) nobilitatis nomenclatura inſignitas, & quaſi ſpiritu vitaque poſt mortem donatas: Quibus aut ſingulis, aut re coniunctis, ſua tanquam elogia, breuiſſimè addidimus, vt cur earum hiſtoriæ meminerint, pateſcat: licet harum multæ, vel bellis inteſtiniſq; factionibus interciderint, vel, deficiente

A 2 maſcu-

maſcula propagine; quaſi traduces, in aliarum nomina tranſiere. Quod à me compactum Nobilitatis Flandricæ theatrum, non minus quàm doctrinæ ab ingeniis Flandricis euulgatæ pulpitũ, opto eſſe tanto ad virtutem atque ſcientias incitamento, quantæ mihi fuit indagini & labori. POSTREMO, bella domi foriſq; geſta, & cauſas illorum, ſcitu vtiliores quàm faciliores, in tanta annalium rudiſq; ſeculi inopia, & negligentia, enarrauimus ſeorſim, & à vita Principũ togata ſeparatim: ac ciuilia quidem tela, in vnius ceu contextus telam, inuoluimus: externa verò, hoſtium nominibus, velut diuiſis caſtrorum frontibus diſcreta, diſtinximus: quod à nobis conſultò factum eſt, neq; exemplo, præſertim Lucij Flori, neque ratione deſtitutis: propenſiùs enim tenaciusq; auribus, memoriæ, & velut oculis ſic infigi poſſe putauimus. Cæterùm in deſcriptionibus locorum, nominum, dignitatum, ferè vtimur dictionibus vernaculis vix immutatis: patriæ enim & genitales voces, velut Cynoſura, ſpectandæ ſunt. Neque Nobilium nomenclationibus; vt videlicet à loci natalis agnomine liquidiùs diſtinguantur; interdum A, præfigere detrectauimus, atque dicere, pro exemplo, de Praetæ, Woeſtiniæq; Barone iuniore; in Burgimagiſterio terræ Francæ, primario collega pridem meo, *Ludouicus à Flandria Flandrus*: vt & familiæ & patriç nomen diſtinctè manifeſteq; denotetur. Vbicunque ſanè opus fuit, ingenuos domiq; natos vocabulorum partus expreſſimus, nulla nouandi auiditate aut temeritate: ſed ne Latini amictus, aut antiquariæ oſtẽtationis inſulſo ſtudio; vt plerique fecerunt ambitioſi rerum ſimplicium, apertarumq; fuci ac tenebriones; ambiguitati & obſcuritati locum faciam, in hiſtoria, luce veritatis.

DE

DE FLANDRIA GENERATIM, ET PRIMO,

De Origine, Situ, & Etymo Flandriæ.

FLANDRIAM, Germaniæ inferioris, veteriſque Belgicæ regionem, quibus iampridem finibus continetur, Morinorum, Neruiorum, Menapiorum ſobolem partemque eſſe, &, quibus olim limitibus finiebatur, Atrebates comprehendiſſe, verum eſt. De Neruiis quidem, ex ſitu ipſo, palàm eſt. Nam Schaldi Flandria interfluitur, Belgicæ ferè meditullium præterlabēti, tamq; celebri, vt Plinius Belgicam, non Rheno, quemadmodum Cæſar, at Scaldi à Germania diſpeſcuerit. Scaldi verò Neruios aſſediſſe non ambigitur: ac etiamnum Tornacum, quod inter Neruiorum oppida primarium, publicus conſenſus, & itinerarium Antonini Pij, aut cuiuſcunque alterius, certè antiquiſſimum, annumerat; vtrique *Scaldis* ripæ incumbere, manifeſtum eſt. *Morinorum* autem, vnde Cæſar breuiſſimum in Britanniam traiectum fuiſſe ſcribit, metropolis Teruana, Cl. Ptolomæi Geographiæ *ταρȣαύνα* dicta, cum ſuo tractu, in quo Antonini Itinerarium, etiam Virouiacū, Caſtellum, Minariacum ponit; Flandriæ dominis olim paruit, & vix ſeſquimiliari Germanico ab agro Flandriæ Caſletano adhuc ſeiungitur: illaque regionis plaga, ſæpe decliuis ac vliginoſa, originem nominis *Morinorum* æmulatur: qui vel à *Moure*, hoc eſt palude, nomen ſumpſere, vel à *More*, quod vetuſtiſſimis Gallorum mare deſignare, indeque Armoricos Britanniæ, quaſi ad mare ſitos, à Iul. Cæſare, eiuſque interprete Strabone, *ἀπωκεανίτας* nuncupari, eruditis quibuſdam placuit. At *Menapios* Morinis coniungi, quam-

pis Henr. Glareanus miretur, dubitetq́; quia Cæſar alibi ſcribit ad vtraque Rheni ripam & ad Moſam, eos ædificia pagoſq́; habuiſſe; non poteſt pernegari. Etenim præter Cæſarem, aliquoties hoc indicatem, Dio Caſſius, In Morinos, inquit, eorumq́; finitimos Menapios, arma Cæſar conuertit. Et Strabo etiam ad Oceanum illos connectit, hiſce verbis: Τοῖς μεναπίοις δ' εἰσὶ συνεχεῖς ἐπὶ τῇ θαλάττῃ μόρινοι. Quos Plinius imitatus, à Scaldi, ait, incolunt extera, Taxandri pluribus nominibus: Deinde interiùs (videlicet cis Scaldim, vt ſeries orationis, & eruditi Plinium explicat) Menapij, Morini, Oromanſaci iuncti pago, qui Geſſoriacus dicitur. Ex quibus documentis, licet compertum eſt, Flandriam, Morinorum, Neruiorum, Menapiorum ſedem quondã fuiſſe, tamen, vt magis atque magis hoc inclareſcat, addam teſtimonia exterorum, & propiorum noſtro æuo, & eximia Geographiæ vetuſtatiſq́; cognitione inſtructorum, Ioannis Goropij inprimis, & Petri Diuæi, Brabantorum: quorum hic in ſuis Galliæ Belgicæ antiquitatibus; ille in Aduaticis & Antuerpianis ſuis originibus, apertiſſimè iis quæ dicta ſunt ſuffragantur. Et Goropius quidem earum gentium, clientiumque ipſis obnoxiorũ, in Flandria habitationes, velut metatur. Morinos enim locat in eo littoris tractu, in quo Bolonia, Caliſium, cum portu Iccio Iul. Cæſaris (quibus Geſſoriaci ad mare interiacebant, cum Iccio promontorio Ptolomęi ad Blanconeſtũ) Greuelinga, Burburgus, Dunkerca, Winnociberga, & Nieuportus conſpiciuntur: atque Oromanſacos ponit, vbi Guineſiorum, & S. Audomari media ſunt. Ab illis Morinorum terminis, in Orientem Meridiemque, citra vltraq́; Scaldim, Neruij porrigebantur; à *Ner* & *Wys*, hoc eſt victus quærendi; præſertim ex agricultura; induſtria, eponymiæ cauſam adepti.

Eorum

Eorum cis Scaldim, nimirum in Flandria, clientes, Cęſar hac ſerie recenſet, *Centrones, Grudios, Leuacos, Pleumoſios, Gordunos*. *Centrones*, ait Goropius, habitabant, vbi hodie Curtracum eſt. Nam Sentrono in Tungris oppido accommodari nequeunt: tùm quòd non Eburonum, ſed Neruiorum clientes erant: tum quòd illud oppidi à ſancto Trudone, monaſterium ibi extruente, nomen induerit: quum priùs Harcinium diceretur. *Grudij* agitabant, vbi nunc ciuitas viciniaque Brugenſis, & adhuc *Grouda* pagus, & *Grutbuſiorum* antiquiſſima familia; quaſi *Gruutij*: hoc eſt grutis multiſque canalibus vſui appoſitis nobiles: quibus plurimi pontes inſtrati, eam vrbē à ſe Bruggam poſtea nuncuparant. At *Leuaci*, non Louanij, quod in vltimo Eburonum limite iacebat, ſed ad Sluuſam, Ardeburgum, Ooſtburgum, Axelam; vbi infimam Flandriæ littoris partem eſſe, tot inundationes nimium docuere; degebant: à *Leeg* & *Waec*, hoc eſt partium ad mare inferiorum cuſtodia, nominis fabricam nacti. *Pleumoſij* autem Morinorum finibus proximi, circa Feurnam, Honſchotam, Dixmudam, Ypram, vbi tempore hyberno, plurimū cœni ac vliginis; commorabantur: ita vocitati, quòd ad ſegnes aquas, & cœnoſa loca, quę *Moſen* vernæ noſtri dicunt, *Bi* apud, *Leu* tardum denotant, habitabant: hinc *Bileumoſy*, breuiuſque Pleumoſij denominati. *Gorduni* in monte Blandino Gandaui; vbi D. Pętri monaſterium & olim caſtellū; ſedes figebant: quod *Gor*, Brabantis paludem, & *Duun* noſtratibus collem, ſignantia, ſiue colles in ſtagnis ſitos occuparent. Verùm *Menapij* (vt diſpares de ipſorum in Flandria domicilio opiniones concilientur) cōtinuis Germanorum inuaſionibus vexati, quidam ad Rheni Moſæque ripas manſiſſe, alij ſedes ſuas reliquiſſe videntur, inque Flandriam traieciſſe, ſuoque nomine imbuiſſe

buiſſe Flandriæ ſpacium accliuius: quod in archiuis cœnobiorum, præſertim Petri Gandenſis,& legibus Caroli Magni ab Angeſiſo collectis,noſtratibuſque ánnalibus, *Menipiſcus*, pro Menapiſco appellatur: quaſi Menapiſcen, ea formula deriuationis, qua ex Geldris, *Geldriſcen* facimus. Poſtremò, *Atrebates*,hoc eſt,totum illum tractum,qui Atrebateſium,vulgoq; Arteſium dicitur;Flandriæ regulis obediiſſe,eorumque primarium oppidũ Arraſſum, quod Rigiacum vocare Ptolemæus videtur,Flandrici Comitatus caput initio fuiſſe,certiſſimũ eſt. Porrò illos,quos dixi, populos,& pleroſque Belgas, à Germanis, Rhenum tranſductis, teſte Velleio Paterculo; annis quinquaginta ante Cæſaris conſulatũ, oriundos eſſe, ipſe Iulius,Strabo,Dio,atque Plinius tradiderunt: Tacitus etiam ambitioſos Germanicæ originis affectatores fuiſſe,aſſeuerat. Hinc eas Belgicæ partes,non ſolùm hiſce ſeculis Germaniæ Inferioris nomine innoteſcere palàm eſt: verùm etiam ſub Auguſto,fuiſſe eo nomine inſignitas, Dio Caſſius atteſtatur. Quanta verò fuerit illarũ gentiũ in armis virtus, non eſt obſcurũ. Scribit enim Cæſar à Neruiis Belgarum præſtantiſſimis,ſeſe, captis vtrinque caſtris, in magnum diſcrimen fuiſſe coniectum: imò coactum, vt militi ſcuto detracto,in primam aciem procederet,pedeſq; dimicaret: demum ingenti eos clade fuiſſe attritos, quia ipſorum nemo fugam moliretur. Deinde illos ſibi tam fidos quàm priùs infeſtos, cõtra Pompeium etiam militaſſe. Auguſtus quoque contra Germanos,& Veſpaſianus contra Ciuilẽ,Neruiorum fideli opera vſi ſunt. Morini autem Menapiiq; difficillimè à Cæſare deuinci potuere. Non enim contenti aduerſa Romanis, Belgico bello,ſenſiſſe, in Celtarum coniurationem, ſubactis Belgis,nomina dedere: atque Cæſari, Armoricis ſuperatis, cum victore exercitu

citu venienti ſeſe oppoſuerunt:&, quamuis per Labienum Titurium que in poteſtatem redacti, poſtea tamen ad rebellionem fuere proniores,odio ſeruitutis: donec ſub Auguſto, à C. Carena domarentur: Romanis deinceps tam fidi, ſub Veſpaſiano, & diui Hieronymi etiam temporibus, teſtimonioq; ad Gerontiam, vt à Batauis, Vandelis, aliiſq; ferocibus nationibus deuaſtati, fidem in Romanos, calamitate ſua ſanxerint atque tolerantia, donec poſtremi omnium Franci, inclinante Romano imperio, Belgicam Romanis extortam ſubiugarunt. Quàm verò Atrebates peruicaciter varieque cum Neruiis & Bellouacis iuncti contra Romanos pugnauerint, quomodo ſub iugum miſſi, Comium regẽ accepere, fidum tunc Romanis: quomodo, ceteris pacatis, priuatim negocium Romanis exhibuere, ipſo Comio belli duce, & bis equeſtri prœlio ambiguè conflixerint, ex Cæſaris Commentariis perſpicuum eſt. Enimuerò illam agrorum vniuerſitatem, non ſolummodo Scaldi & Oceano Britannico, verùm etiã fluuio Somona circumſcriptam, in Balduinum Ferreum, primum Flandriæ Comitem eiuſq; ſucceſſores, à Carolo Caluo Franciæ rege, anno ſexageſimotertio ſupra octingenteſimum, fuiſſe tranſlatam, non ex noſtris tantùm annalibus, ſed ex P. Æmilio, aliiſq; Gallicis hiſtoricis, in confeſſo eſt. Quo in tractu, Sanvalericum, Boloniam, Caliſium, Guineſiam, agroſque annexos, & Arteſiam cum Teruanenſi Sanpauli, Heſdiniaq; ditionibus fuiſſe incluſa, & iuriſdictione Flandriæ Comitum comprehenſa, indubitatum eſt. Neque, quibus temporibus, à Flandriæ gremio ſint auulſa, ignoratur: Boloniæ nimirum & Teruanæ, Sanpauli, ac Guineſiæ comitatus, à Flandriæ complexu deſciuerunt, circiter annũ ſexageſimumſextũ, ſupra nongenteſimum, & Arteſia cum Heſdiniis, ad

annum nonageſimum primum, vltra centeſimum & milleſimum:vt latiùs apertiuſq; in vitis Arnulphi ſecundi,Philippi primi Alſatij, eiuſque ſororis Margaritæ, Flandriæ Principũ,enarrabitur. Ab ea Margaritæ tempeſtate, Flandria mutilata, & quaſi deartuata, Brabantiæ ab Oriente, Haynoniæ à Meridie, ab Occidente Arteſiæ Franciæque, à Septentrione Oceano Britannico,inſuliſq; Zelandiæ, nunc & iam pridem prætenditur. Præbet autem faciem peninſulæ, ſpectantibus ad Boream, mare ab Occidente Agnionam nouamque foſſam: ab Oriente,Scaldim Teneramq;: à Meridie,Lizam Scarpumque. Sed ad Euronotum, ex Aloſtano tractu & Gerardi monte, Hannonibus adiungitur continenti. Ne verò actum agam, exactam Flandriæ climatis geometriam, Gerardo Mercatori, Abrahamo Ortelio ſolertiſſimo, aliiſq; chorographis relinquo,hoc ſolum admonens doceri à Gemma Friſio,Gandauum, Brugamq; eſſe ſub quinquageſimo primo gradu (ſed illud 24. hanc 30. ſcrupulo) latitudinis, ab æquatore. Minus eſt in latitudinem,quàm recta regione,ſpacioſa. Longitudinem enim, cuius alterum latus piſculento mari totum prætexitur, per lunares motus affluente viciſſim & relabente, à Scaldi Antuerpiaq;,ad Greuelingam, Agnione incumbentem, triginta tribus miliaribus terminat:latitudinem, vbi maxima eſt, à Duaco Scarpoque, ad Breskinam, pagum Vliſſingæ oppoſitum,miliaribus vigintiquatuor: hæc autem ſingula, vnius horæ ſpacio metitur. Tam anguſtis finibus,pagi, quorum non pauci, frequentia & opulentia, oppidis pares ſunt,etiam à Lud.Guicciardino,& Michaële Eintſingero,exteris, centum quinquaginta quatuor, ſupra mille attribuuntur: Oppida ſexaginta duo,multæ arces, plurima ruri prætoria,continentur: Principatus tres,Comitatus quatuor, titulo

quàm

quàm potentiâ illuſtriores ; præter vetuſtum amplumq́ue S. Imperij Comitatum Aloſtanum; includuntur : Baroniæ ſupra viginti ſeptem : Cœnobia pluſquam centum triginta, in iiſq́ue Abbatiæ quinquaginta ſeptem; quarũ aliquot poſſident Satrapias principe viro dignas: Collegia canonicorũ vnum & viginti: Epiſcopatus noſtra tempeſtate ex quinque in ſeptem aucti, quorum tres hîc cathedram, domiciliumq́; figunt; comprehenduntur: quæ omnia ſuis locis copioſiùs, & ſpeciebus clariùs eluceſcent.

At Flandriæ (quæ vernaculè *Vlaendra* dicitur) etymon, minus certa ſcientia, quàm variis coniecturis ſubnititur : non ſecus quàm Brabantiæ, Geldriæ, Hollandiæ, Walchræ, Cleuiæ, Haſpegauwæ, aliarumq́ue plurimarum etymologia : quam de Mycenis, regia vrbe Agamemnonis, in ſex aut ſepté opiniones diſſiliiſſe, neque de Germania, neque de Roma terrarum domina indubitatam eſſe, notum eſt. Archiua cœnobij Benedictini Aldenburgici, ab æſtuante ventoſoq́; mari dictam eſſe Flandriam arbitrantur: & ad ſitum naturamq́; regionis, ventis in obiectas ſiluas aſſiduè olim reſonantibus obnoxiæ, à nomine, vbi ad Boream vergit, non abhorrentem, reſpexerunt. Scepperus, Nanniuſq́; à *Flendren*, qua voce Germani ſagittas denotant; nominis fontem eliciebant, quòd in belli paciſq́; exercitiis, arcus tenderent: Meyerus à *Vlaene*, quas lingua Flandricâ placentas vocat, quarum ſpeciem refert ſtagnans reluceņſq́; planicies, quo vocabulo aliquot circa Dixmudam, Furnamq́; cœnoſa loca etiamnum innoteſcunt: vel quaſi *Vol laenen*, vt opinor, potiùs dictam exiſtimat, hoc eſt, locis paluſtribus, elicibusq́ue procelloſi maris, ſiue latos olim campos occupantibus, ſiue tenuiores alueos efficientibus : qui *pagus Flandrenſis* olim audiebat: quatenus puta etiamnum Waterin-

teringam, hoc eſt, aquaticum vectigal ſoluit: cæterumq; & accliuiorem regionis tractum, qui Menipiſcus vocabatur, ratus eſt, propter vbertatem, commoditatem, famamq; maritimarum ſubuectionum, in illud nomen conceſſiſſe. Ad vltimum (ſi noſtram coniecturam Guilielmo Damaſo Epiſcopo pridem doctiſſimo conſentaneam, ſubiicere fas eſt) à multorum, aliorumq; ſubinde ex Germania populorũ aduentu, *Vlaendre*, contractè, quaſi *Vele aendre*, nomen fortè accepit: vt *Allemaniam*, ab *Alle man*, ceu omnis generis virorum colluuie, nomen induiſſe, Agathias in bello Gothorum interpretatur. Nam & Noortmani; ex Noortwega, Cymbricaq; Cherroneſo effluentes, nomenque à Septemtrione adepti, qui maximam partem Dani erant, & vocabantur, ſecundùm Reginonem & Eginhartũ, noſtroſq; annales, in Galliis, & hac regione ſæpiùs graſſati ſunt. Pagi *Sueueghemum* & *Sueueſela*, *Sueuos*: *Caſſela*, *Catſberga*, *Cathemum* referunt *Cattos*: *Gothemum*, *Gothos*: Flandriciq; littoris (quod adhuc à nautis *Ruthen* vocatur) vetuſtiſſimi accolæ, *Rutheni* erant: *Saxoneſq;*, vnde *Saſſum*, ſtatio Gandenſium maritima, nomen trahere quibuſdam videtur; vicinis Cymbris aſſociati, in hæc loca peruenere: & demum eorum non ſemel in Saxonia rebellium, in quibus nobilitas dignitaſq; elucebat, cum vxoribus liberiſq; ingentem numerũ Carolus Magnus anno 783. ad æquoris Belgici oram traduxit, Liedericiq; Flandri, ceu prudentiſſimi cuſtodis perſpectę induſtriæ fideiq; commiſit. Illos autem populos in Flandria egiſſe; præter locorũ, quas dixi, paronymias; hiſtoriæ teſtimonio ſunt. Nam Batauos Cattorum ſobolem non minùs huc viciniæ ingreſſam, quàm Hollandiæ Geldriæq; magnam partem poſſediſſe; & Gothos Gallias peragraſſe ac inſediſſe, ex Tacito Eutropioq; peruulgatũ eſt.
Et

Et Audoenus Rothomagenſis Præſul,D. Eligij coætaneus ſcribit, Eligium in Flandris, & Andouerpi-, multos erroneos Sueuos conuertiſſe: Saxonum autem nobiliſſimos huc in coloniam miſſos, P.Æmilius,aliíque ſcriptores aſſeuerant.Quo verò primùm tempore *Flandriæ* vocabulum vſurpari cęperit,mihi eſt minus compertũ, quàm Iudoco Badio, illud nomen circiter annum 436.vſucaptum aſſerenti.In catalogo antiſtitum Leodienſium, Agricolaus Epiſcopus ad annũ 512. filius cuſtodis Flandriæ appellatur. Et Beatus Rhenanus, In hiſtoriis,inquit,mediæ ætatis mentionẽ fieri video pagi Flandrieſis,Gandenſis, Menipeſci.Et Iac.Meyerus ſe legiſſe aſſerit Romam circiter annum 471.fuiſſe captam à Flandris,hoc eſt, ab iis Neruiis, Morinis, Belgicíque littoris accolis, quos Odoacer per vexatam Galliam in Italiam proruens Attilæ reliquiis adiunxerat.

De Commoditate, Fertilitate, Potentia terræ.

TERRA ipſa ferè plana eſt, aut collibus non difficilis, inutiliſque: ſi qui montes ſunt, aut impoſitis vrbibus habitantur; vt Caſſetanus & Gheersbergius, ad quẽ tractũ ſæpiùs Flandria intumeſcit; aut opportuni ſunt ſuperſtructis molis ſiue granariis ſiue oleariis,aſſiduo vento agitatis: velut Mons acutus, Cattorum,aliiq;. Neque hiemis rigore nimio exaſperatur, neq; æſtatis feruore exuritur. aëre ſalubri,auris marinis terreſtres noxioſque ſpiritus euentilantibus. Fluminibus lacubúſque nauigabilibus irrigua eſt, ac ſæpè nemoralis ex laciniis Arduennę: quam à Rheni ripis vſque ad Eburones,Menapios,Neruios,Morinos,Atrebatéſque fuiſſe protenſam, Cæſar aſſerit atque Strabo.

Certè

Certè arborum cuiuſque ferè generis ferax, ſi loca maritima excipias; quæ focum inſtruunt, vel bituminoſis cęſpitibus ſubterraneis ibi foſſilibus, ſciſciſque in teſſeras pedales; & ſole excoctis, ventoq; arefactis, at nitroſa fuligine oculos vultumq; mordicantibus, quas *daryncas* vocant; vel lignis ex vicinia aduectis ignem accendunt. Ceruorum eſt, aprorum, leporum, cuniculorum, apum, variarumq; alituum copioſa: Pomorum etiam exoticorum, vt Cotoneorum, Perſicorum, Bericocciorum locuples: Cytriorum, Aurantiorum, Limoniorum, ficuumq; interdum calidioribus in locis nec inops, nec omnino inſuauis: Granorum leguminumq; omnis ferè generis fertilis: Frumentum tamen domeſticum ſæpè tantæ multitudini non eſt nutriendæ, abſque ſubſidiario exterorum: Butyri ſapidiſſimi, caſeique multiplicis, tam vaccini quàm ouilli abundans, feniciiq; in locis decliuioribus: & luxurians in herbarũ odoriferarum, medicarumq; ſpecies infinitas: tam eximiæ ad opimandos boues, paſcuorũ pinguedinis, & velut aruinæ; præſertim inter Feurnam, Dixmudam, atque Loam, vbi ferè in vmbilico Lampreneſa eſt, neq; nõ in Terra Franca ad Occidentem Boreamque obuerſa; vt nulli terrarum herbam porrigere, palmamque cedere debeat, omnibus ferè anteponatur: parens etiam atque nutrix, vbi ad Occidentem Boreamq; vergit, partim equorum, robore ad ferendam panopliam, agilitate & forma præſtantium, adeò vt pulli aliunde huc adducti, ex tenui origine grandeſcant, ex deformi eniteſcãt: partim ouiũ vna fœtura quinque aut ſex ſæpè enitentium, tres aut quatuor ferè ſemper; in Feurnenſi nimirum caſtellania, vbi ea fœcunditas vulgaris, in cetero penè Belgicæ tractu, incomperta eſt. Diuerſiſſimi generis piſciũ copia ex Oceano alluente, lacubus fluuiiſque interlabẽtibus,

tam indigenis, quàm Arteſiis Hannonibuſque ſuppeditatur. Vrbium pagorumq; numero, ſitu & opulentia nulla Belgij prouincia Flandriam anteuertit. Etenim, ſi acto per Lud. Guicciardinũ cẽſui ſubſcribimus, *Brabantia* oppida, ſiue mœnita ſint, ſiue mœnibus egeant, 44. pagos 700: *Geldria* cum *Zutphania* oppida 30. pagos paulò amplius 300: *Luxenburgũ* oppida 23. pagos 1159. cõprehendunt: *Hollandia* oppida 37. pagos paulò ſuprà 400: *Zelandia* oppida 12. pagos 102: *Vtriceſium* oppida 5. pagos 70: *Tranſiſelana*, cum *Drento Tuentoq;* oppida 18. pagos aliquanto plures centenis: *Friſia* cum *Groeninga* oppida 13. pagos 490. continent: *Arteſia* oppida 11. pagos 854: *Hannonia* oppida 24. pagos 950: *Namurcum* oppida quatuor, pagos 182. complectuntur. At Flandria, vt iam diximus, oppida partim muris ſaxeis cincta, partim illis deſtituta, 62. pagos 1154. comprehendit: qui pagorum numerus veriſimilior erit, ſi dynaſtias plus quàm ducentas quinquaginta, pagis incluſas templi communione, iuriſdictione ſeparatas, pagorum nomine veſtias. Quantum verò reliquas præiuerit canonis dominici aliiſque emolumentis annuis, palàm eſt ex regeſto Yprę aſſeruato: vbi videre eſt, quomodo Maximilianus Auſtrius, ſtatim poſt aditũ per vxorem Belgij principatum, vt indicaret Belgij Ordinibus dotalium redituũ decrementa, demonſtrat, ad Carolum ſocerum anno 1475. liquidè perueniſſe, Ex Burgundiæ Ducatu Comitatúq; iunctis 27. milia, 400. lib. Turonenſ. Ex Brabantia 12. mil. 754: Luxenburgo 1180: Geldria 13. mil. 885: Hollandia 14. mil. 306: Zelandia 2685: Arteſia 17. mil. 683: Hannonia 12. mil. 199: Namurco 5936: Ex Flandria autẽ 42. mil. 390. rediiſſe. Præ cæteris etiam Belgij regionibus, à Principibus Belgicæ & culta fuit & honorata. Quum etenim aurei velleris comitia maximè

mè nobilia ſint atque ſolemnia, nunquam alibi toties habita eſſe non ambigitur. Nam in aliquot Belgij prouinciis nũquam: In *Hollandia, Zelandia, Vltrajectiſio, Turnaco*; *Burgundia* quoque & *Hiſpania*; ſemel: in *Arteſia* bis; & *Hannonia*: in *Brabantia* quater: verùm in *Flandria*, & primùm inſtituta ſunt, & ſepties celebrata. Omneſq; fermè Belgij Principes Burgundici nominis, & ipſe Maximilianus Auſtrius, nuptiarum ſuarum feſta & apparatus hîc potiùs quàm alibi exhibuere. Porrò quòd ceteri Belgæ in Flandriæ nomen apud Italos, Hiſpanos, Gallos, multoſque alios vſucapione tranſierunt, & nobiliore omnes cenſentur nomine Flandri (vt Ant. Meyerus cecinit) peruulgatũ eſt: neq; prætermiſſum aut Ambroſio Calepino, ſcribenti Flandriam eſſe Germaniæ regionem ad littora Oceani ſeptẽtrionalis, habẽtem varios populos veterũ Cymbrorum; aut Franciſco Guicciardino, Paulóq; Iouio, quorũ ille veritatis prudentięq;, hic facundiæ nomine cõmendatur, hiſtoricis, Belgicam Flandriæ voce deſignantibus. Neque illud magnopere mirandũ eſt. Nam, vt omittã emporij Brugenſis, à totius ferè orbis mercatoribus, præterquam Iudæis, frequẽtati, ac ceterorũ luminibus obſtruentis, celebritatem; & vti ſileam bellorũ à Flandris domi, in finitimos, in Gallos, in Conſtantinopolim, & in hoſtes Mahumedios in Oriente geſtorũ, quorum etiã annales Græci, Zonaræ, Choniatæ, Gregoræ ſæpè meminerunt, famam longiſſimè propagatã; certè Germaniæ Inferioris, regnorumq; deinceps ipſi annexorum, veluti compages, ſuam Flãdris baſim non temerè debet; Margarita tertia Malenſi, Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Niuernij Retheliique Comitatus, Mechliniam, Antwerpiamq., & certum in Brabantiam terráſque Tranſmoſanas ſuccedendi ius, Philippo Audaci in dotem adferente.

De Gentis moribus, Artibus, Commerciis.

GENS *Vlamingorum* (ſic enim vernaculè vocitantur) moribus eſt, vel exterorum ſcriptorũ teſtimonio, ex Germanica grauitate, & Gallica alacritate temperatis: totam aut ſeruitutem, aut libertatem pati neſcia: Ædificandi eleganter & commodè, curioſa: interſtitiò parietum metiente longitudinem cantheriorum, in culmine ſic coniugatorum, vt angulos faciant acutos ad iuuandum pluuiarum præcipitium, ventorumque impetum extenuandum: Domeſticæ ſupellectilis copioſæ, veſtitus apti, ſumptuoſi & variabilis, culinæque in longum tempus, bouina, porcinaque ſalitis, prouidendæ, ſtudioſa: manu prompta, & bellicoſa, niſi opibus luxuq; (vt olim, ex Crœſi cõſilio, Sardes) eneruaretur: natiuo & exotico ſermone diſerta, artium rapax: neque, vt quædam fruges, degenerans, imò permatureſcens in alieno ſolo; ac, ceu inter metalla Mercurialis, cũctis ſeſe nationibus facillimè accõmodans. Pictura, ſculptura, agricultura, ceteriſq; artibus manuariis, & Rhythmicorũ per homæoptota Flandricè cadentiũ, argutia, ac Muſicorũ acri dulciq; norma effloreſcit. Innotuit tũ ſuis, tum ferè totius Europæ foris, equorum præſtantium, boum opimorum, butyri ſapidiſſimi, alecum, aliorumque piſcium aptè ſalitorum mercimoniis: telarumque, partim linearum, varietate, candore, ſubtilitate, & quaſi floſculis; partim xylinarum, quas Arabes bombaxinas vocant, diuerſimodis textrinis expetitis, ſericiſque textis non omnino contemnendis: partim pannorum laneorum tum déſorum, tum leuidenſium textura tincturáque proba, & vbique

terrarum iam olim laudata; ceteriſque mechanicis artibus ingenioſis ac laborioſis. Aulæorum denique tapetiumque artificiis & velut picturis admirandis. Ex lini & rapi ſeminibus, nucibúſque iuglandibus oleum extundunt: Sal crudum, pullum, aſperúmque ex Gallia, Hiſpaniáque aduectum, in magnum candorem, ſaporem, augmentúmque amplis ſartaginibus excoquere non ignorant: Aleces ſub Angliæ Scotiæque ora, ab Auguſto in Autumnum capiunt, illuc infinito exercitu circa littora appellentes, ad euitandum maris Septentrionalis, vbi naſcuntur, gelidiſſimum frigus: dein captos, ſtatimque deſerto Neptuno expirantes, exenterant, condiunt, ſtipantque cadis ſalſamentariis, ſigillo oppidorũ vnde aduehuntur, inuſtis, priùs ex lege exploratos; vel leuiter ſalitos, fumo durant, inficiuntque colore ſoro; qui Gothis (teſte Hadr. Iunio) ſubrufum ſonat ad atrum accedentem: vnde equis Soris in Italia, & Alecibus Soretis in Gallia nomen eſt, & apud veteres, teſte Athenæo, ab æris colore chalcidibus. Viri ſunt ſtatura decenti, vultu flammeo, ingeniiſque ad omnes ſcientias & diſciplinas appoſitis: niſi luxu, velut in herba; aut lucroſis artibus, quaſi ſpinis, protererentur: plerumque aperti, promptumque vultu cor gerentes; ſanguinis enim ſpirituumque motu genuino fit vt citò & virtutis purpura erubeſcant, & aliis perturbationibus commoueantur: at humidiore corporum calore efficitur, vt ad accipiendam & deponendam offenſionem ſint molliores. Sympoſiis mutuíſque inuitationibus gaudent, & incaleſcunt, ſæpè ad ebrietatem, rixas, cædéſque; ſæpiùs ad beneuolentiam incundam, aut recuperandam; ceu cariſtiis & philotheſiis efficacibus, vſque adeò vt illis grauiſſimæ ſimultates cędéſque datis mutuis dextris obruantur, & abſque illis nulla reconciliatio firma ſit,

ſit,& velut ſigillata. Hoc gemendum eſt,tot permitti popinas, ebrietatis,libidinis,aleę officinas,& patrimoniorum, coniugiorúmque carcinomata; atque etiam multis non modò in vſu conuiuali eſſe capacium poculorum ingentes mutuóſque hauſtus, ſed in gloria poni,ceu probato animi ac cerebri ſpeculo, corporiſque firmitate: (quo argumẽto Cyrus Perſa, apud Lacedæmonios ſeſe regno, quàm fratrem eſſe digniorem volebat perſuadere) defendíque exemplis, vel gentium Arctoarum, à quibus ille mos huc ſerpſiſſe videtur; vel Græcorum, vnde pergræcandi prouerbium; vel Romanorum, apud quos Torquati,Piſones,Antonij, Cicerones, Claudij ea laude ſeſe venditabant. Non abhorrent à ſubitariis conflictibus; Belgis enim à *Belzen*, aut *Balzen*, quorum illud iraſci, hoc pugnare ſignificat; nomen indit doctiſſimus Goropius,cuius iudicium in locorum nominumq; originationibus ferè ſequimur. Longiùs abſunt ab homicidiis præmeditatis: quæ, niſi tutelæ inculpatæ neceſſitate eluantur, cuiúſcunque modi ſint,ſupplicio non eximuntur, niſi vel fuga, templorúmve aſylo, vel Principis condonatione, occiſíque proximo conſanguineo tranſactione & ſupplici ingeniculatione placato. Vinum, licet vuas maturas habent, aliunde accipiunt magna copia & diuerſitate: quamuis dolendum eſt, vina vulgo venália tam ſæpè impunéque adulterari calce, ſulphuréque, & aliis nocumentis, vnde in viris arthritici dolores, viſcerum corroſiones, renum cruces; in feminis aborſus ſterilitáſque oriuntur. Viníq; ad imitationem, largiſſimè conficiunt ſiti ac hilaritati,ex melle aquato coctóque, Medonem: aut ex pomis & pyris contuſis expreſſiſque, ex quibus ſaccaro mixtis, Dauidi Pretolano Æthiopiæ regi, potum in calice cryſtallino porrigi ſolitum P. Iouius ſcribit. *Siſaram*, iuxta ac

Byriam, ſiue Cereuiſiam; quam non eſſe tam aſpernabilem, vt Byrrhiæ Terentiano relinquenda ſit ſecundùm And. Lacunam medicum Hiſpanum; ſed ſalubritate, robore & forma bibentes imbuere, Manardus Italus inſigniſque medicus aſſerit. Hæc, velut Cereris vinum; quam olim Hiſpani Cœliam, Ceriámque, Thraces Illiricique Sabaiam, Ægyptij Zythum vocitabant; communis gentis potus ex hordeo auenáque madidis, dein torrefactis, triticeo farre, lupóque ſalictario commixtis, in aqua concoquitur: differens in eo à zytho, teſte Hadr. Iunio, quòd hic ex hordeo triticóve molito, in aqua macerabatur abſque coctione, donec ex putrilagine acorem viníque ſaporem indueret: mira, vt ait Plinius, viciorum ſolertia, nam inuentum eſt, quemadmodum aqua quoque inebriaret. Feminæ pari ferè colloquiorum, conuiuiorumq; virilium familiaritate atque pudicitiâ, formæ, ſermonis, amictúſque ſuauitate, œconomiæ procuratione, ſolertique labore commendantur. nam aut penſa trahunt, aut rotula verſatili in cannas fila agglomerant, aut pepla ſpectabili arte conſuunt exornantque, aut lineas veſtes ad ſolem, vndarum aſpergine, candore inficiunt; aut ruri, lacti emulgendo, butyroque, quod Plinius barbararum gentium laudatiſſimum cibum nuncupat, extundendo, verſandóve, & formando, aut caſeo coagulando comprimendoque operantur. Literarum formandarum, rationumque ſubducendarum, præſertim in oppidis, non imperitæ. Improbā mendicitatem plurimi Magiſtratus excludunt: Senio, morbo, vicióve corporis laborantem, admittūt: Ciuium tenuiorum liberos ex publico alunt, veſtiunt, literas aut opificia docent: Alienigenas Xenodochiis recipiunt, validos vnā noctem, ægros quoad reualeſcant. Ex antiqua vereque Chriſtiana inſtitutione & con-
ſuetu-

ſuetudine. Flandri, ſi crus fregerint, ſe felices clamitant, quòd collum nõ ruperint: ac vniuerſim, ſi quid improuiſi incommodi accidat, quòd duriùs nõ affligantur, ſe dicunt fortunatos. Pecunias in vſuras extendere, infame; ſed ne otioſæ maneant, fundo hypothecæ oppoſito, neque luendo niſi debitoris arbitrio, ſeruatur vſura ſemiſſis; excepta Mercurij prole, in amplis emporiis mercaturã faciente, cui plus licet aut lubet. Menſuram grauitatemq; iuſtã minus hìc deſideres, quàm earũ æqualitatem conſenſumque, ſiue res ſiccas liquidáſque, ſiue terras metiamur. Granariæ menſuræ paſſim differunt nominibus iuxta ac vaſis menſoriis. Vlna Brugenſis XXVIII. pollices longa, nunc duobus, nunc vno pollice Gandenſem ſuperat: E diuersò Gandaui XXVIII. ſextarij vini, aliorumque liquidorum, implent Brugæ XXIX. Miliare perticas ſiue virgas geometricas, M. CCCC. Virga pedes XIIII. efficiunt: quamuis virgæ terras dimetientes in Flandria Meridionali varient. Neque in pedum longitudine concors vbique ſymmetria eſt. Gandaui enim, Brugæ, Ypræque, & pluribus in locis quiſque pedum pollices vndecim: in magna parte Occiduæ, Boreæque obuerſæ Flandriæ, decem tantùm conſtituit. nec in ponderibus æquilibrium eſt: vbique enim libra vncias quatuordecim explet, prçterquam Brugæ, aliiſque paucis in locis, vbi ſedecim vnciarum eſt: communi libra, quibuſdam in mercibus, Brugæ non excluſa. Quæ varietates & inæqualitates tolerantur, quia inueteratæ, atque mercaturæ eiuſque ſubtili & quæſtuoſæ Arithmeticæ ſunt ſuſtinendæ. Libra pecuniaria, licet diſcordiam ponderis non admittit, vtpote certis normis legibuſque conſtricta, diuerſas computandi voces, modumque non recuſat. Guldi, ſiue aurei, libræque Turonenſes, ſex, libræ Pariſicæ duodecim, ſcellingi viginti, libram

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Flandricam conſtituunt, quam groſſorum vocant, quorum bini ſtuferum, ducenti quadraginta libram illã efficiunt,exacta ad genus põderis, quod Troium Campaniæ dicunt,vbi libra duas markas valet; marka octo vncias, quæ Romanæ libræ beſſis erat, libripende. *Auctiones*, hoc eſt, publicæ rerum priuatarum venditiones, aliæ auctore, præſenteque iudice fiunt, aliæ non item:ſed hæ ordinariam ſolùm actionem, illæ paratã executionem, manuſque iniectionem adferunt, in non ſoluentem tempeſtiuè debitorem. Exercentur autem vtraque diuerſis locis, diuerſo modo. In quibuſdam enim bona venalia addicuntur propoſitum à præcone pretium augenti, & plus ceteris offerenti: vnde auctionis nomen: In aliis præco inſtitutum à ſe pretium tãdiu gradatim diminuit, donec ex circumſtantibus emacibus quiſpiam indubitatè acclamet, *meum eſt*, quod vernaculè *myynen* vocant. Quo genere Auctionis Piſcatoria fora, mari proxima, in diſtrahẽdis primo appulſu piſcium potiſſimè vtuntur.

De Legibus & Lingua.

LEGIBVS Flandri ferè vtuntur municipalibus, & cuique Oppido aut Caſtellaniæ aſſuetis,tam in iudiciis,quàm in familiis herciſcundis,& vbi illæ deſunt, Iuſtinianeis. Peculiare hîc eſt,quòd ad imitationem Senatuſcõſulti Orphitiani, *Nullus ex matre nothus perhibetur*,hoc eſt, Nemo ob illegitimos natales materna hereditate priuatur : vnde ne illuſtris quidem feminæ concubinæ liberos Flandriæ leges eximunt; niſi illis ſtatutum municipale à Principe ſancitum deroget. Quemadmodum Curtracenſes ad annum 1557. & ſexto pòſt anno Gandenſes à ſucceſſione materna liberos, adulte-

adulterio aut inceſto natos, excluſere. Etenim anno 1532. in Septembri, Prouinciale Flandriæ concilium ſententiam tulit, vt Notho in feuda matris ſucceſſio competeret, cum priuilegio ætatis ſexuſque, etiam extantibus legitimis. Et anno 1573. Bergæ Winoci magiſtratus ex conſilio noſtrorum Iuriſperitorum, decreuit vt filia ſacerdotis hereditate matris non excideret. Durum, nec à Lege Iulia de vigeſima hæreditatum apud Romanos, cuius vi hæreditatum legatorum, cauſa mortis donationũ ad extraneos deuolutarũ, vigeſima ad Fiſcum pertinebat, alienum eſt *Ius Iſſuarum*, exitúſve, quod appellant, quo hæreditate ciuis, non ciui delata, etiam filio fratrique vrbium curatores ex ea decimam bonorum non Feudalium, in publicum vertunt: & quo nemo in alterius cuiuſcunque vrbis, aut caſtellaniæ ius corpuſq; cooptari permittitur, præterquam decimis, eo quo diximus modo, perſolutis magiſtratui loci à cuius iure & quaſi complexu diſceditur, niſi ea ſocietas locorum contracta (quam *Hanſam* vocant) interueniat. quod ex iis exemplis eſt, quæ aliquid ex iniquo habent, quod publica vtilitate compenſatur: quod tributum Plinius ſecundus extraneis dicit eſſe tolerabile, domeſticis graue: itaque his remiſſum, ne lachrymæ parentum aut filiorum ſint vectigales. Videtur enim primitus inualuiſſe ad alēdam frequentiam populorum in ſuis ſedibus, & ad familias ibi conſeruandas, velut Iſraëlitis bona filiáſve extra tribum transferre non licebat. *Teſtamento* ſupra tertiam bonorum, quibus Feuda continentur, partem legare Flandriæ leges prohibent; exteriſque ad magiſtratus hîc gerendos acceſſum, ex Caroli V. Cæſaris anno 1555. ſanctione, illis nimirum qui à ſe Flandros excludunt. Vtuntur iure ſiſtendi, manuſq; iniectione, tam in perſonas, quàm bona eorum, qui

ciues non ſunt, incipientes, contrà Iuris ciuilis præſcriptum, ab executione: quod mercatorum peregrè venientium, commoditas introduxit. At peregrinis licet in Flandria adire hæreditatem ſanguine coniunctorum: quod in Galliis, Anglia, Scotiaq; illis nefas eſt, vbi Principes, quo iure quaque iniuria Albinagij, morientium ab inteſtato, nulliſque ibi liberis relictis, exterorum bona occupant. A ſententia in corpus capitali, omniqúe interlocutoria ciuili, reparabili in definitiua, magiſtratus etiam inferioris, fruſtrà hîc prouocatur. *Lingua eſt Teutonica*, ceteris Belgis Germaniſſantibus communis, quam erudítiſſimus Goropius Cymbricam, vetuſtiſſimámque dicit, & artificio humaniqúe ingenij præſtantia omnibus præferendá, atque ad ſenſum animi indicandum, Tranſrhenana faciliorem, promptiorem, ſuauiorem: neque non quàm reliquas linguas aptiorem ad quamuis cuiuſuis idiomatis proſodiam accuratè imitandam. Facit autem aſperitas roburqúe ſpiritoſum Tranſrhenanæ, inprimis Sueuicę, vt mutua inter hanc & Flandricam intelligentia ſæpenumerò impediatur. Saxonum tamen, eorumq; qui Ooſterlingi vocãtur, & Dacicorum Tranſſiluanorum magnæ partis, Heluetiorumqúe ſermo à Flandris non difficillimè percipitur: quamuis Albertus Crantzius in hiſtoria ſua anno 1520. edita, conqueritur, Saxones (quo nomine etiã Brunſuicenſes, Luneburgios, Magdenburgenſes, ac Brãdeburgios complectitur) puro faciliqúe ſono verba enunciare ſolitos, non inuerſa ſtridoribus, non contorta diphthõgis, ſuo tum æuo ſtuduiſſe, vt ſuperiorum Germanorum frendores imitarentur. Quemadmodum è diuerſo Flandri vrbani, Gallicæ linguæ ſuauem alacritatem, aut adiungunt ſuæ genuinæ, aut (quod indignum) præferunt, ſiue propter commercia, viciniámq; regionum, ſiue

ſiue exemplum aulæ noſtræ principalis, ſola Gallica iampridem vtétis. Stuporem adfert quòd idem Goropius recitat, ſeſe ex Augerio Giſleno Boesbecano equite Flandro audiiſſe, illum, quum apud Turcorum Principem Conſtantinopoli eſſet legatus, familiariter ibi eſſe collocutum cum Aſiatico indigena, Euxini accola, cui Flandricus ſermo tam vernaculus erat: vti, *ſenene*, *elleuene*, *twaelue*, pro numero ſeptenario, vndecimo, duodecimo pronunciaret, ſcriberetque: vt omittam Gandenſis idiotiſmi vſuram, à ſcriptoribus attribui Indiæ Mexicanę quibuſdam gentibus. Mirabile interim, neque ſubticendum eſſe arbitror, tot vernaculas Flandrię Belgiique Germaniſſantis (quod ſub Flandriæ nomine exteris innoteſcit) voces, ex Græcæ linguæ, ſi non ſiphone, certè ſymphonia, neque aliunde eſſe: non enim de his agimus quæ Flandris cum Latinis Galliſq; Græciſſantibus ſunt communes: neque Goropij, polyhiſtoris acutiſſimi, manes offendere volumus, eas voces ex lingua Cymbrica Teutonicáve in Græciam traducentis. Illarum paucas totidem Grais conſonis (ope Iunia) exprimemus, vt curioſis doctiſque ingeniis gratificemur: eò procliuiùs, quòd linguarũ origines ac ſimilitudines, quæ populos conciliant inuicem aut diſtinguunt, à Logiſthorici indagine non abhorreant: *Grauen*, γράφειν, ſculpere: *Gripen*, γριφοῦν, vnguibus iñuolare: *Klothen* & *Cloſſen*, κλώθειν, globis ludere: *Yuer*, ἴβηρ, zelus: *Stiuen*, στιβεῖν, durare: *Steinen*, στενεῖν, gemere: *Thranen*, θρηνεῖν, lacrymari: *Dyr*, θὴρ, animal: *Liſpetonge*, λίσπα φθογγὴ, lubrica lingua: *Kalaphatre*, καλαφάτης, naupegus: *Krebbe*, κρέββατον, lectus penſilis: *Strop*, στρόφος, funis intortus: *Lampres*, λαμπρὸν, velum pellucidum: *Phiel*, φῖλος, ſcurra: *Kuyl*, κοῖλος, ſpecus concauus: *Vreeſen*, φρίζειν, metuere: *Brimſtich*, βριμάζειν, ſalacem eſſe: *Burg*, πύρ-

γος, turris : *Kolp*, *κόλπος*, ſinus maris impulſi : *Style*, *ςύλη*, columna : *Hulcke*, *ὁλκὰς*, nauis oneraria : *Mane*, *μάνη*, Doricè luna: *Tameer*, *τήμερον*, Atticè hodie: *Kirke*, *κυριακὸν*, templum Dominicum. Hæc teſtimonio ſufficiunt, faſtidium paritura, ſi accumulentur: efficiuntq; vt faciliùs huic Ouidij verſiculo aſſentiamur: *Græcaq. cum Getico mixta loquela ſono eſt.* Sequitur vt Flandriam (hactenus in Theſi, & vt ſpes eſt, Theſei filo delineatam) poſt hac partitè membratimq; exponamus, poſtquam hîc ſubiecerimus Franci poëtæ non nuperi auctoris Philippeidos, Philippi Galliæ regis Flandris infeſtiſſimi, & Othonis quarti, Cæſaris bellum complexæ; editum de Flandria, eiuſque populo teſtimonium:

Flandria Marte potens, armis exercita crebris,
Flandria gens opibus variis & rebus abundans.
Gens inteſtinis ſibimet damnoſa ruinis.
Parca cibis, facilis expenſa, ſobria potu,
Veſte nitens, membris procera, venuſta decore,
Splendida cæſarie, vultu rubra, candida carne,
Innumeris piſcoſa vadis, & flumine multo.
Frumento quam ditat ager, naualia merce,
Lacte pecus, butyris armentum, piſcibus æquor.
Multis ſilua locis facit vmbram. &c.
Neruius armipotens vbi bella frequentia geſſit.

DE

DE FLANDRIA PARTICVLATIM.

De his nimirum quæ ſpectant ad Flandriæ Partitiones, Oppida, Caſtellanias, Arces, Portus, Inſulas, Fluuios, Lacus, Siluas, Ordines, Magiſtratus.

ET PRIMVM,

De Partitionibus Flandriæ.

SI meritò ceteris meis de Flandria narrationibus ingenuè auideq; expecto quempiam qui diligentior plus frugis, eruditior plus artis, politior plus adferat ornamenti, multò iuſtiùs in hac tractatione, quæ corporis Flandriæ deſcriptionem, & quaſi animam, certè anatomiam continet, ille mihi exoptatur: quique nobis tum proponat, ceu in dapſili iucundaque cœna examinatum, & cum aliorum guſtu notisque collatum, quicquid rarorum piſcium mare, fluuij, lacus: quicquid notabilium auium aër, ſiluæ, ſtagna: quicquid herbarum, quicquid etiam lapidum, vſu aut raritate inſignium tellus Flandris producit: tum omnibus topographicè exhibeat, velut precioſum tricliniorum periſtroma; quicquid hîc ex Hunnorum, Vandelorum, Danorum; iiſq; nocentiorum ciuilium diſtractionum ſtrage reliquum eſt antiquitatis Romanæ: in delubris, aris, ſtatuis, epigraphis, arcibus, ædibus, viis militaribus, hermis, numiſmatis, vaſis, vrnis, annulis, fibulis: cum ſignatis Neptuni arroſionibus, alluuionibus, excluſionibus: Fluminum, lacuum, ſtagnorum, initiis, gremiis, exitu, nauigatione, piſcatione: cataractis, nimias imbre, humo, hieme aquas in

mare

mare exonerantibus: Siluarum lignatione, venatione, amplitudine: montium, aggerumq; vndis oppoſitorum diſtinctionibus, altitudine: quicquid deniq; multis abſtruſum, doctis gratum, curioſis expetitum in Flandria inuenitur. Quæ omnia luculentè nobis expreſſiſſent, niſi felici, ſed vobis præmaturo exitu, huic patriæ funeſtiſſimo diſſidio, exitioque præuertiſſent, Carolus à Mourbeca Drenoutrius, & Marcus Laurinus Watervlietius. Nam ille emiſſarios inueſtigationi, omnigenas herbas vſui, peritum pictorem memoriæ & oblectamento impensè nutriebat, in ſuo, ad flumen Liuiam, Mourkercano: legatiſque Louanienſi medicorum collegio *Simplicium* perſpectorum, floridiſſimeque effictorum quatuor voluminibus, & Geſneri de lapidibus, ſeque bona illius opera vſum, ſcribentis commendatione celebris documentum ſtatuit, quàm pronus eſſet doctorum ſtudiis adiuuandis, quàm appoſitus Flandriæ illuſtrandæ. *Laurinus* verò quum à penſione mandatiſque habuerit Hubertum Goltzium antiquarium, ſculptorem, typographum famigeratum, per quem numiſmatum gazophylacium, Faſtoſque conſulares edidit, omnes Flandriæ opportunitates, cuncta Romanorum monumentorum, & mnemoſynôn rudeta, propenſiſſimo aptiſſimoque ingenio nobis aperuiſſet. Quid ergo hìc nos? & deſtituti illis ſubſidiis, & afflicti hiſce ciuium bellis immortalibus? omnem calamitatem, nullam ſecuritatem, nullum ſtudioſæ indagationi aditum extra domeſtica limina adferentibus? Nihil ſanè, niſi quòd hac noſtra Iſagoge, conamur omnes excitare, vt Flãdriæ genitalis à Romanis, ſiue Morinos, Neruios, omnemque Galliam per tot ſecula poſſidentibus, ſiue in ditiſſimãm Britanniã ſæpè traiicientibus, frequentãtiſſimæ; ſingula membra & monumenta tam diligenter perſcrutentur,

tur, accuratè exprimant, venuſtè comant, vti externæ ſcenæ plauſus, Ortelij theatrum mereatur. Interea nos, in hoc exegetico, Flandriæ artus maximè vtibiles obuioſque, ceu in breui tabella delineamus tenui penicillo: nam & gliſcerent immenſum, ſi ad viuum lacertosè efformentur, & fucata pigmenta renuit tum mea exilitas, tum *Ornari res ipſa negans, contenta doceri*: quam, Deo auſpice, aggrediamur.

Antea demõſtrauimus, Flandriã, à Morinis, Neruiis, Menapiis, Saxonibus, aliiſque Germanis, partim indigenis, partim conuenis habitatam, inq; poſteritatem propagatam, ab Oriente Brabantis, à Meridie Hannonibus, à Septentrione mari Britannico, ab Occidente Arteſiæ Galliiſque iam olim prætenſam permanere, & Germaniæ Inferioris parte comprehendi. Ea terrarum quantulacumque vniuerſitas partim Franciæ Regibus, partim Cæſaribus fidelitatis iuſiurandum dabat: partim ſuperiorem præter Flandrię Principem non agnoſcebat, quam *Proprietariam* appellant. Ad *Francos* multò maxima ditionis pars, *Comitatus* titulo, reſpiciebat; reliquiæ puta dotis, Balduino Ferreo cum Iuditha, & hoc titulo attributæ; Scaldi, Tenara, Agniona, nouaq; foſſa, & Scarpo circumſcripta: ſi Waſiam, Quatuorque Ambachta excipias; quæ, licet cis Scaldim iaceant, nunquam Gallis hominium debuere. Hæc in *Teutonicam*, quam abſolutè *Flandriam*; & *Gallicam*, quam *Galloflandriam* appellamus; Liza fluuio ac idiomate ſeiungitur. Tranſlizana enim in Meridiem extenſa, Gallicè loquitur. Integram Carolus quintus Imperator, cum Franciſco Primo Galliæ Rege Madrilij, anno vigeſimo ſexto in Octobri, ſupra ter quingenteſimum: & tertio poſt anno in Auguſto Cameraci iterum pactus, perpetuò emancipauit ab omni fidei iuramento, patrocinij iure, ſupremo imperio, vltimę cognitionis poteſtate, & qualicunque obſequio, qui-

bus

bus Franciæ priùs obſtringebatur: non ſecus ac Arteſiam, Tornacum, eiuſq; agrum: exempta etiam Galloflandria ab omni retractus iure, quod ex conuentione Ludouici Malenſis (quoties herede maſculo Flandria careret) in illam ſibi Galli arrogabant. Quæ pacificatio in libris actorum, tabuliſque curiæ Pariſienſis, aliarumque in Galliis, & apud ſupremos Cæſareæ aulæ iudices, perſcripta fuit, ad perpetuam memoriam atque robur. *Imperialis* verò Flandria, Aloſtanos, Waſios, cum quatuor Ambactis, Tranſſcaldiaq; complectitur, quam vulgò *Dominatum* vocant; tum quòd antiquitus diſtinctis dominis, vt Waſia Hollandis, Aloſtana ſuis priuatim Comitibus parebant: Quatuor Ambacta Vltraiectino præſuli, ſi vera ſunt illius ſedis archiua, beneficium debebant; tum quòd ſupremæ cognitionis auctoritate, merò in omnibus imperio, liberiuſque quàm in parte Gallis obnoxia, Flandriæ Comites ibi pollerent: vnde Ludouicus Malenſis Flandriæ Comitem, Dominumq; ſeſe inſcribebat. At *Proprietaria*, hoc eſt, Principi Flandriæ tam propria & peculiaris, vt neque Galliæ Regi, neque Cæſari, neque, præterquam ipſi, mortalium vlli ſubiectionem fideique ſacramentum debeat, *Dendermondam*, *Gheersbergam*, *Bornhemam*, cum illarum agris continet. Quæ diſtinctiones non impediunt quo minus ex illis membris vnicū Flandriæ corpus compingatur, tam in generalium tributorum conſiliorumque conſociatione, quàm συμμαχία. Porrò quòd Flandria in *Occiduam* & *Orientalem* diſpeſcitur, non tam exactæ cæli poſituræ tribuitur, quàm præcipuo vſui eſt, vt duo generales canonis patrimoniique dominici coactores, ſub Carolo Quinto Cæſare diſcreti, quū antea vnius id munus eſſet, diſtinctiùs expeditiuſq; ſuis quæſturis perfungantur: nam quæſtor Occidentalis ab Agniona ad

Iſa-

Iſaram, & in Ypram, Curtracum, Audenardam, adiunctoſque agros ſe porrigit, neque omnino abſtinet à Lilana Caſtellania in quibuſdam muniis elocandis. Orientalis verò ceterum ferè tractum regionis complectitur, & inter Dunkercã Nieuportumq́ue, (quæ plaga Occidentem Boreamq́ue euidenter ſpectat, Dunos cuniculiferos, annexaq́; paſcua & ericeta annuo pretio oblocandi habet poteſtatẽ. Opimorũ autem boum, butyri, caſeiq́; præſtantia, equorum nitida magnitudine, tritici bonitate, laneis texturis tincturiſq́;, Occiduam Flandriam, quæ in Gallias & mare vergit, Orientali, quæ Brabantiam reſpicit, anteuertere, non eſt obſcurum.

De Oppidis, Caſtellaniis, Arcibus, Portubus, Inſulis, Lacubus, Fluuiis, Siluis, Montibus, Abbatiis, Canonicorum collegiis, Viriſque à ſcripto & doctrina claris, cuiuſque loci indigenis.

IN FLANDRIA, quæ Germanos lingua refert, ſiue Regibus Franciæ, ſiue Cæſaribus obnoxia, ſiue Proprietaria fuerit; nam de Galloflandria ſeorſim, & in fine agemus; omnes conuenarum accolatus, aut oppidis, aut pagis continentur. Conuenarum nomine quoſlibet habitatores complectimur, ſiue indigenę ſint, ſiue aduenę, ex vno loco venientes, aut diuerſis. Pagi voce non regionem deſignamus (vt Cęſaris Commentarij de pagis Heluetiorum, & Archiua noſtra Latina vetuſtiora, vbi de pago Flandrenſi, Tornacenſi, Menipiſci, ſimilibuſq́; loquuntur) ſed quem domeſticus cum Græcis ſermo, aut parœciam vocat, ſiue

acco-

accolarum conuentum, eiuſdem fontis quem πάσαν Doricè appellãt, conſortem, aut parochiam, hoc eſt, ædem præbitoriam, vt olim præſidibus Romanis itineris viaticum, ſic Chriſtianis diuina ſacramenta porrigentem. Qui pagi quindecim Caſtellaniis ferè vniuerſi includuntur. *Caſtellaniæ* nomine certum aliquot pagorum numerum, ſitum, complexumq́ue denotamus, ad vnum tribunal, quaſi metrocomiam, vel ad conſiliorum, onerum, armorumq́ue coniunctiorem ſocietatem reſpicientem. Quas Caſtellanias ſuis limitibus iam olim circunſcriptas adiunximus ſingulis oppidis caſtelliſve; vnde nomen fenerantur, vbi iudicia ſeorſim, ac per ſe exercent, & quibus in onere collationum, ex generali Flandriæ cenſu indictorum, longè anteuertunt: quæ perperam *Territoria* Latinè appellantur: hæc enim Iuriſconſultis ſignant vniuerſitatem agrorum intra fines cuiuſque ciuitatis. At *Caſtellaniæ*, quas vernaculâ lingua Caſſelrias & Ambachta, aut *Terrena* vocitamus, extra limites ſunt atq; iuriſdictionẽ cuiuſq; vrbis, vnde nomen cepere; & vbi leges, tribunalia, ærariũ, & comitia habent ſeparata. Pagorum nomina maximã partem finiunt in *Hem*, *Kerke*, *Capelle*, *Ele*, *Berg*, *Beeke*, *Hout*, *Marke*, *Burg*, *Brouck*, *Loon*, vocabula Germanica, domicilium, templum, ſacellum, nobilem, montem, riuum, ſiluam, limitem, turrim, paludem, ſublimiorem locum denotantia. In quam formam deſinentes plurimi pagi, in Arteſienſi quoque & Bolonienſi tractu manifeſtant vetuſtos Flandriæ limites linguamq; illuc peruaſiſſe. Verùm *Oppidorum* hîc alia mœnita ſunt, alia mœnium egena: quæ omnia plateas ad amuſſim dimenſas, & ſilice glareaq; ſtratas, molaſque quaternis alis pneumaticas, & in ſingulas ſeptimanas vendendis in foro mercibus ſtatos dies habent, liberiſq; nundinis annuos: in quibus nimirum

mirum ob debita extra illas ferias contracta, in neminem manum iniicere fas eſt,& vendere quidlibet omnibus, etiam exteris licet: quam libertatem corpora illic opificiorum per priuilegia ſua aliàs eliminant. Atqui oppida propriè ab ope & tuitione menium dicta, etiam vrbes vocantur: quod aratri vruo, muri deſignarētur,& vernaculè *Stad*,& *Steden*,quaſi firmè conſtituta nuncupantur: vnde Bartolus ciuitatem muris definiit. Cetera hîc tamen municipia, etiamſi mœnibus careant, nomē oppidorū induunt: quæ puta ſua peculiaria iura,fora, priuilegia, ærariū, magiſtratuſq; habeant,non ſecus ac vrbes muris circumcinctæ. *Deſcriptionem* autem ſingulorū ordiar ab Oriente,vergam cum ſole, finiamq; in Occidentem: ſed oppida mœnium egena à mœnitis peculiari vtriſque catalogo ſeiungam: at Gandauo, Brugæ, Ypræ ſuis poſtea vnicuiq; locus inter Ordines (Flandriæ ſtatuum enim præcipua ſint) attribuetur: quales Auguſtinus ſimpliciter *maiores vrbes*; Latini *matrices*, Græci *metropoleis* vocant, quòd inſtar matrum, alias ex ſe vrbes conſtituant, ac veluti gignant.

De Oppidis mœnitis.

ALOSTVM.

AD Orientem ſolem Flandriæ primum oppidum mœnitum *Aloſtum*, & vernaculè contracteq; *Aelſtum* eſt: fortè Flandris in Brabantiam cogitantibus tractum illum *Al Ooſt*,id eſt, omnino Orientalem, nomine ſuo denotans. Huiuſmodi autem etymologiis, vt hoc ſemel admoneam,vel addere fidem vel demere,lectori eſt liberrimū: in illis enim paucæ tribuuntur certitudini,plures ingenio & coniecturis. Conditum perhibetur à Gothis, eo præſertim loco vbi nunc Mons

Placentiæ, pone templum xenodochiumque, anno octogeſimo nono ſupra quadringenteſimum, eaque tẽpeſtate cuius D. Hieronymus ad Geruntiam meminit: qua Vandeli, Gothi, Alemani, aliæq; feræ nationes, terras Pyrenæo, Oceano, Rhenoq; tenus, rapinis inundarunt. Illuſtre eſt ampliſſimo & copioſiſſimo terreno: cum quo titulum Comitatus antiqui, ſibi peperit, Cæſaribus fidei ſacramento obligati: cuius occaſione Flandriæ Comites, *Sacri Imperij* Principes appellabantur, erantq; in numero quatuor Imperij Comitum militarium, & eccleſię Cameracenſis perpetui protectores. Deriuatum hunc Comitatum quidam exiſtimant, ex Comitibus *Caſtelli noui* Gandenſis (ſic enim dicebantur) ab Othone primo Cæſare ad Gandauũ anno 948. ædificati, & à ſplendida Germanica familia, cui deinde à Gandauo cognomen fuit, mãſitq;, adminiſtrati. Nam illius arcis Othonianæ præſidibus terra Brachantia, quæ poſt Aloſtana audiit, cum quatuor Ambactis aſſignabatur, vt ſtipendia alimoniamque præſidiariis militibus illinc prouiderent: quam auctoritatem in dominatum verterunt Cæſarum beneficio Aloſtani Comites dehinc nuncupati. Certè annales noſtri mentionẽ faciunt Wigmani Comitis noui Caſtelli Gandenſis, quem Othoni Cæſari reluctantem Miſachus Sclauus anno 967. interfecit: atque Theoderici Aloſtani Comitis: cuius ex filio nepotem Theodoricum cognomento Gandauenſem, ad Friſios vlciſcendos, qui patrem eius interemerant anno 1018. abiiſſe, Sigebertus auctor eſt. Neque ſilentio prætereuntur Aloſti Comites Ywani duo, alter quòd canonicos regulares Tronchinij anno 1137. in Præmonſtratenſes monachos conuerterit: alter, quem Gandenſem cognominant, quòd Laurentiam Theoderici Alſatij Flandriæ Comitis filiam duxerit. Ex quo matri-

monio

monio ortus Theodericus poſtremus, quum abſque prole obiiſſet anno 1174. viâ Philippo Alſatio Flandriæ dominio patefecit, ad poſſeſſionē Aloſtani Principatus. Porrò arcem illam terraſq; tributarias (quas diximus) Balduinus Lilanus Henrico tertio Cæſari eripuit, tranſactione poſſedit, filioq; Roberto Friſio propter nuptias donauit. Poſt quem ad proſapiam Gandauiam ille Comitatus rediit, iure mihi incomperto, donec Philippus Alſatius, Roberti Friſij pronepos hæreditatem illam, vt diximus, adiit; ignoto mihi titulo; ſed à Friderico Imperatore inauguratus: fruſtra reclamante & repugnante Theoderico, vltimi Theoderici Aloſtani Comitis agnato, Dixmudæ Beueræq; dynaſta: neque deinceps à Philippo, neque à cetera Flandria vnquam diſſiliit. Decoratur Aloſtum Burggrauiatu, Tenera fluuio, monetæ cudendæ olim officinis, per Guydum Comitem Gandauum tranſmotis, lupuli mercatu celebri; quā herbam Hommelam vernaculè cum Hebræis nominamus: aulæorum artificioſa textrina: nundinis menſe Octobri annuis: collegio canonicorum D. Gaugerici, ex Haltro pago vicino huc tranſducto: cœnobiis Gulielmico & Carmelitico virilibus, finitimaq; Abbatia Roſtenia Bernardina feminea, fundata anno 1228. Vtar enim in ſacrorum collegiorum ædiumq; notandis initiis calculo inprimis Meyeri, viri eccleſiaſtici, hiſtoriciq; diligentis, ac fundandi voce Latinè protrita. Ciues hîc & fruuntur iiſdē quibus quatuor membra priuilegiis, & permittuntur alterius iuriſdictionis corpus amplecti abſque bonorum ſuorum decumatione. Obſidionem & oppugnationem Gandenſium Principi obnitentium, anno 1453. Aloſtum fortiter repulit: quo facinore cladem ab illorum direptione anno 1380. acceptam, egregiè vindicauit: celebri antè fama acquiſita; propter necem

GuilielmoNormano,Flandriæ tyranno immiſſam: quum ſagitta ex hoc oppido per eum obſeſſo,& per Theodericum Alſatium defenſo vibrata, occubuit. Illuſtribus Maximiliani Auſtrij regis Romanorum, Belgiiq; legatorum comitiis anno 1483. frequentabatur: vbi Margarita eius filia Carolo octauo Galliæ Regi deſponſa fuit atque miſſa, non tam ex patris, quàm Gandenſium arbitrio. Ornatur ſcriptoribus Cornelio Scribonio, Nicolao Stopio poëtis; Ioanne Siluio,Petro Curio,Hadriano Voſſio Grammaticis; Theoderico Aloſtano Calcographo; Petro Couko Architectonico,eiuſq; artis librorum Italicorum interprete.

Diſtat Gandauo quinque, Bruxella quatuor, Mechlinia ſex miliaribus.

CASTELLANIA, ſeu TERRENVM ALOSTANVM ſapidiſſimi frumenti ferax,præſertim ſecalicei,Scaldi, Dendræq;, velut meſopotamia & interamnis interiacet:& ad Gandaui,Aldenardę,Dendremondę ab Oriente portas extenſa,latuſque Scaldis dextrum legens,ad montem Trinitatis,Turnaco vicinum,porrigitur: ac Brabantiam verſus quingentis eoque amplius paſſibus iuriſdictionis ſuæ alas expandit.Summum Prætorem habet à Principe impoſitum:cui quinque Bailiui,ceu Reipub. gerũdæ præſides aſſident in vrbe Aloſti, quum opus eſt, conuenientes: quam dignitatem noſtro æuo ex Montmorencya & Vilaina gente proceres adminiſtrarunt.

Pagos centũ & ſeptuaginta duos vulgaris calculus, magis quàm Flandriæ catalogus cenſualis illi aſcribit.In quibus ſunt (vt paucos velut pugno præferam in exemplum in hac & in ceteris Caſtellaniis) *Steenhuſa* gentis Gruthuſæ principatus titulo potiùs,exulumq; ceu aſylo,quàm opibus clara. *Liedekerca* gentis Hennartæ vetuſta ad Tenaram arce nobilis. *Lombeca,*

beca, Burggrauiatu inſignita: *Reſſeghemum*, & *Maſſemaea*, dynaſtę olim ſui aureo vellere ornati agnomentum, gentis Vilainę: *Herpa*, Scontetæ: *Wieſa*, Idcghemæ: *Dioniſii Boucla*, Borluutæ: *Hundelghemum*, Rymiæ, quod cum Hunnegemo Gheersbergæ templo, Hunnicum quid olere exiſtimatur. At illo, quem diximus, pagorum numero, continentur hę quinque *Baroniæ* primariæ: *Roda*, ſeptendecim; *Boulara*, ſedecim; *Gauera*, vndecim; *Zottinghema*, decem; *Schoriſſa*, ſeptem pagos includẽtes. In pagi Zottinghemi templo ſepultus eſt Lamorallus ille Egmondanus, nobilitate, forma regia, facundiaque, victoriis de Gallo partis, & Flandriæ gubernatione magis quàm vitæ exitu florentiſſimus: illiuſque in Baronia eſt *Velſica*, aut *Veltcica*, non egenus pagus Romani operis, puteorum, vaſorum figulinorum rubentium, ventre amplo, ore ſtrictiſſimo; ac numiſmatum Neronis, Gordiani, & Seueri, ad Conſtantinum vſque: neque non effigierum Apollinis Mercuriiq́;, numinum fabuloſorum: adeò vt paucos cis annos Gerardus Rentergemus Baroniæ Sottingemiæ à Secretis, penes ſe habuerit ducenta numiſmata Romanę antiquitatis, Veltcicæ inuenta, argentea. Diſtat Veltcica à Gandauo tribus, Aldernarda duobus miliaribus. Videtur autẽ ex ratione vocis, ſitus, itinerisq́; à Cæſare poſiti, ſonare *Veltcica*, caſtra Ciceronis: familiare enim Flãdris eſt quęrere dictionis breuitatem, conciſione vocum, vt quum pro Cathalina, Cal; pro Elizabet dicimus Bet; *Cic*, pro Cicero, & *Velt* ſignificat caſtra: quo in vſu ſunt Hiſpanis Gallisque, *Camp*, & *Camper*, & Vegetio *Campi doctores*. Porrò Q. Ciceronem Iul. Cæſaris legatum in Neruiis fuiſſe palàm eſt, non minus quàm ſitum Veltcicæ eſſe aptiſſimũ caſtris collocandis, propter fontium, paſcuorum, agrorumque vbertatem, & commoditatem lignationis.

TENERAMONDA.

DENDREMONDA (ſic enim vulgò appellatur) nõ eſt obſcura, propter os ſiue oſtiũ Dendræ, in Scaldim, ad hoc oppidum influentis, vnde illi nomen. Cuius oppidi inſignia; quæ Arma vulgò nominant, quia olim in armis, præſertim in clypeis depingebantur; ad Louanienſium accedunt. *Dendram* verò Latinè Tenaram vocant: qui in Hannonia ſupra Leuſam ortus, & Atham, Leſſinam, ac aliquot Flandriæ loca præterlapſus, huc accurrit in Scaldim, quem auget, nominis ſui, velut capitis, diminutione. Collegium hîc eſt canonicorum Virginis matris: cum cœnobio Brigittano virili, in Flãdria vnico. Vetuſtam hîc olim arcem extitiſſe, Waſienſibus imprimis bello ciuili infeſtam, annales noſtri & rudeta arguunt. Fertur cum agris, Chronicorum Brabantiæ teſtimonio, in precium fidelis ſtrenuique contra Grimbergios auxilij, Theoderico Flandriæ Comiti à Brabantis acceſſiſſe, & antiquitus, Antuerpiæ ius relatione petiiſſe: deinde ad Bethunæ dominos peruenit, à quibus ad Guydum Flandriæ Comitem per vxorẽ affluxit, eiuſq; filium & nepotem Gulielmum: cuius à poſteritate tranſiit nuptiis ad gentem Amboſiam, in Galliis illuſtrem: illinc emptam, cum terreno, Philippus Valeſius Gallorum Rex Ludouico Malano donauit: vt eo veluti auctoramento, coniugium eius cum Brabantina anno 1347. proueheret: excluderetque Regis Angliæ Eduardi filiam, Malano pactam, Brabantumque ſibi adiungeret: neque deinceps à Flandriæ corpore eiuſque dominorũ imperio deſciuit. Auſa eſt anno 1345. tripoli Flandriæ ceteros regenti, & in Anglos, quàm Principem ſuum proniori, obluctari: quod Gandenſes in pannificio leges illi præſcriberent, iuberentq;,

vt

vt anguſtiores ſolito, minoriſq; precij pannos texerent. Neque priùs de pertinacia ceſſit, licet acriter obſeſſa, quàm à Principe Ludouico Creſſio, & Amboſienſi, cuius tunc erat, vrbe effugientibus, deſereretur, contumacia languefieret, & poſtulata Brabantiæ Ducis interceſſione, controuerſia ex vincentium arbitrio componeretur. Hoc in oppido vniuerſalis, permanenſq; ille cenſus, quem Flādrię tranſportum vocitant, per Caroli Quinti Cęſaris, membrorumq; quatuor mandatarios, biennium illi operæ incumbentes, repetitus, mutatuſque fuit, & ad annum decimum ſeptimum ſupra ter quingenteſimū, à Principe ſancitus, miſſuſq; Lilam in tabularum conclauis rationum ſubducendarum. Cenſus etenim ille per Ioannis Digeonij, & Flandriæ membrorū trium delegatos anno 1408. Aldenburgi intra menſem renouatus, multis interim locis, bellorum, mariſq; ingluuie imminutis, auctiſq; mercatura vel exutis, in magnam inęqualitatē inciderat ac perturbationem. Cuius tranſporti vſus atque praxis hanc facilitatem cum quiete, æquilibrium cum ſoluendi neceſſitatē affert; quoties pecuniæ ab aula efflagitatæ, aſſenſuq; Ordinum impetratæ ſumma coaceruatur; vt vnaquæque vrbs, caſtellania, pagus, dynaſtia, illic, velut in ſpeculo conſpiciat, quantum ſingulis pro rata aggregare neceſſe ſit, atque numerare. Origo verò huius publici cenſus tranſportiq; ſub Roberto Bethunio fuit. Quum enim Philippo Galliæ regi pacando, & Roberto Bethunio anno 1305. ex iniquiſſima captiuitate liberando, Flandri viginti milia numûm Turonenſium annua Gallis promiſiſſent (Lila idcirco Duaco & Orchieſa cum agris hypothecæ oppoſitis) alterum illius ſummæ ſemiſſem ex Galliæ calculo prompta pecunia poſt redemerunt: alterū ex ſingulorum oppidorum pagorumque cenſu annuo per

ipſos ſtatuto,conflatum (decem puta milia numûm annua) in Regem tranſportarunt, vt,quamdixi,hypothecam luerent reciperentque. At Bethunius à Marignyo, Philippi regis mandatario familiariſſimo periuris pollicitationibus deceptus anno 1312. pignoris illius redimendi facultati fertur renunciaſſe, proprietatemq; hypothecæ in Regem tranſſcripſiſſe, illis decem numûm milibus annuis cenſitis, à Rege in Bethunium tranſlatis: Hinc ille cenſus Flandriæ generalis, nomen Tranſporti comparauit.

Ornatur ſcriptore Ioanne Teneramõdenſi, Theologo Carthuſiano. Scripſit de notitia Dei: De natura, lapſu, reparatione hominis: De fide Chriſtiana. Antonio Schoormano, Oliuerio & Anſelmo Nieulandis, Iuriſconſultis: illo Gandaui, his Brugæ magiſtratuum Conſiliariis.

Diſtat Aloſto duobus; Gandauo, Mechlinia, Bruxella quinque; Antuerpia ſex miliaribus.

CASTELLANIA, ſiue TERRA DENDREMONDIA, Scaldis, Dendræ, Durmæque ex pago Winkela oriũdi, ſubuectionibus & Abbatia Zwineca Bernard. femin. inſtructa, Pagos quindecim includit, in iiſque *Baſſerodam*, gentis Halewinæ, ſtatione in Scaldi nauium celebrem: *Laernam*, gentis Scontetæ, arce conſpicuam: *Hammam*, Douerloepæ, cui Caſtellaniæ aſſidet trans Scaldim *Terra Bornhemia*, Brabantiam verſus; quæ olim Burggrauij Gandenſis erat; tres pagos, cum arce Bornhema complexa: in quibus Hinghenã eſt, gentis Schetæ Grobendoncæ.

NIENE-

NIENEVE.

NIENEVEN liber cenſualis Flandriæ, vulgus *Nienhouam*, quaſi Nieneuævillam nuncupat. Puſillum eſt oppidum, ne quis fortè Aſſyriæ Nieneuæ vmbrā ſomnio ſibi fingat; non eſt tamen contemnendum, aut ignorabile, propter Dendræ appulſum, & Abbatiam D. Cornelij Præmonſtratenſem virilem, anno 1137. fundatam per Gerardum Conſtabularium, virum nobiliſſimum: Nundinas menſe Septembri annuas, & arcem Ludouici Malenſis tempeſtate à Gandenſibus dirutam. Condidit ibi nuper & ditauit gerontocomiū, ædificiumq; ad ſeptem ſeniculos cælibes alendos, exemplo non abſimilis Yprę inſtituti, Antonius Vlamincus Nieneueus, iuriſprudentia euectus ad cathedralis eccleſiæ Yprenſis Decanatum. Fuit olim Henrici à Flandria caſtrenſe peculium: iam pertinet ad familiā Egmondanam, cum terreno tenuis ſpacij, in quo Tempelmarſa eſt: quem pagum quidam vetuſtatis ſimij, templum Martis Latinè vocant. Ornatur ſcriptore Ioanne Deſpauterio, Flandriæ Priſciano, Grāmaticorū Coryphæo, vbiq; celebri, & in ſcholas recepto.

HVLSTVM.

INNOTESCIT Burggrauiatu, ſitu forti, elicibuſque vicini maris, lacuſq;, Cœnobio Franciſcano virili: nundinis Maio & Auguſto annuis. Senſit anno 1452. quia Principi ſe commiſerat, magnam à Gandenſibus calamitatem, non captum modò atque ſpoliatum: verumetiam funditus, præter templum cōcrematum: induſtria & opulentia ciuium, ambactiq; reſtitutum. Sculteti munus hîc gēti Liedekercæ hereditarium eſt. Ornatur ſcriptore Cornelio Ianſſenio, Theo-

logiæ Doctore Louanienſi, & primo Gandaui Epiſcopo. Scripſit Quatuor Euangeliſtarum Concordiam: Commentarios in Prouerbia Salomonis, & Eccleſiaſticum Sirachi,ac in Pſalmos paraphraſes.

Diſtat Dendremonda quinque, Gandauo ſeptem miliaribus.

AMBACHTVM HVLSTI primarium eſt *Quatuor Ambactorum*, hoc eſt, ſic appellati vnius tractus, triginta pagos vniuerſim complexi;ſed diſtinctim in quatuor regiones,ad quatuor capita in honore habita (*Hulſtum* puta, *Axelam*, *Aſſenedam*, *Bouchoutam*) reſpicientes: primo capiti 12, ſecundo 7, totidemq́ꝫ tertio: poſtremo, quatuor pagis ſuccenturiantibus. Compingitur autem *Ambachti*,per vernas noſtros in medio aſpirati,fabrica, ex *Ampt*, contracteque *Am*, munus publicum, mandandi potens, denotante; & *Acht*,hoc eſt,in æſtimatione habeo, vt ſit *Ambachtus* & collegium voluntarium,aliquem dignum ducentium,cui obediant;& is qui in tale collegium eſt cooptatus,ſiue ruri,ſiue in vrbe: Illic enim omnes ferè Caſtellaniæ, & hîc cuncta artium mœchanicarum corpora, & ipſa denique artificia, extra ius illarum ſodalitatũ exerceri publicè, illicita; Ambachtorum nomine inſigniuntur.Sic Iulius Cæſar: Alterum, inquit, genus in Galliis equitum, hanc vnam gratiam potentiamq́; nouit, ſi quàm plurimos circum ſe ambactos clienteſq́ue habeat:quaſi diceret (vt explicat Goropius) potentiam omnem equitum pendere ex gratia ambactorum, hoc eſt, aliquem voluntariè habentium in honore: quam equitum gratiam potentiamque ſeruis circumactis; quemadmodum vocem Ambactorum interpretatur Feſtus, tribui abſurdum eſſe videtur, ac indignum.

Porrò *Terra quatuor Ambachtorum*,triginta,vt dixi, pagos continens,tritici bonitate & candore, paſcuorum

rum

rum vbertate, elicibus, appulſuq́; maris, Lacu, Saſſi ſtatione, & Abbatiis (Ooſtecloa, ac Doriſela Bernardinis femin.) commendatur. Inter illos pagos inuenire eſt *Honteneſſam*, patriam Ioannis Brandonis, monachi Dunenſis: qui ſcripſit Chronicon ab origine mundi, ad annum ferè 1428. ex quo etiam Dunenſi phrontiſterio fuit, tractuq́; Hulſtenſi, Hadrianus Butus hiſtoricus. vt Bouchautam natali ſuo ornauit Ioannes Sindeuindus, Theologiæ Doctor Pariſienſis, magnæ celebritatis. *Saemſlachtum* & *Aſſenedam* vetera & ſpectabilia caſtella decorant.

GHEERDSBERGA.

GERARDIMONTEM Latini, Grammontem Galli locum hunc atque montem exprimunt: quem Balduinus Montanus à Gerardo nobili viro circiter annum ſexageſimum octauum ſupra milleſimum coemptum, ad oppidi amplam formã condidit, muniitque, venditoris nomine illi conſeruato: vt antiquitus rex Amrius vrbem, quam in monte ædificauit, à Somero, loci venditore, Samariam denominauit. Legeſque Montanus præſcripſit; vt, caput pro capite; membrũ pro membro amputetur, talione: vt ciues vel duellum inire, vel iudicium aquæ ignisve ſubire vulgari purgatione niſi ſpõte non teneantur. Oſtentat Abbatiam Benedictinã virilẽ, nomine Hadriani martyris Nicomedienſis, innoteſcentem, ipſumq́; oppidũ nomine illo frequentiùs induentem. cuius oſſa monaſterium illud ab Gubaldo ſacerdote Raulicurio ad annũ 1110. vt ſcribit Maſſeus, accepit. Habet cœnobium Carmeliticum virile, & fratrum Hieronymi ſodalitium, ludumque literarium frugiferum celebremque, ac nundinas annuas menſe Auguſto: neque caret fontibus ſalientibus, neque vicinia cœnobij Carthuſienſis,

ſienſis, Abbatiæq; Bernardinæ femin. Belli prati, fluuio Dendræ, qui hoc oppidũ præterlabitur, aſſidentis. Vidit hæc vrbs nobiliſſimum conuentũ Adulphi Cæſaris, Edmundi Eduardo Angliæ rege nati, Ioannis Brabantiæ Ducis, Gulielmi Iuliaci, Henrici Bari Comitum, aliorumq; Principum anno 1296. cùm Guydo Flãdriæ domino, contra Francos Hãnonaſq; fœdus componentium, Flandriæ funeſtiſſimum: facinuſq; anno 1325. admiſit notabilis doli atque illaudati. Conuenit enim cum Ioanne Namurci Comite per Ludouicum Creſſium, Gandenſeſq; aduerſum Brugenſes in rectorem Flandriæ electo, de præſidio militari recipiendo: vt cõmeatus ex Hannonia, cui appropinquat, ſecurior eſſet. At ciues, plebei imprimis trecentos milites cum Gaueræ Barone, quẽ ob habitus dignitatiſq; ſplendorem pro Namurceo habebãt; & ſuſceperunt, & penſilibus clathris demiſſis, portiſq; ſubitò occluſis, ferè omnes cum Gauerenſi trucidarunt: non impuniti anno 1381. quum à Galtero Enghiennæ dynaſta, Lud. Malani iuſſu, oppugnata vrbs hæc fuit locis pluſquam quadraginta, ſuperata, miſerabili omnis ætatis, ſexus, ordiniſq; ſtrage, ac funditus arſa & vaſtata, quia Gandenſibus adhærebat. Cuius crudelitatis auctorem Regulum Enghianum Rhamnuſia non deſeruit, à Gandenſibus pòſt interfectum, Malani propinqui mœſtitia incredibili. Demum anno 1452. ab Hannonibus, amicitiam defenſionemq́ue pollicitis admiſſiſq;, ciues decepti atque ſpoliati, fortunas amiſſas deplorarunt.

Ornatur Marco Neuiano claro olim philoſopho & vrbis conſule doctiſſimo, Philippo Baeſdorpio, Cornelij filio.

Diſtat Gandauo ſeptem, Aldenarda quatuor miliaribus.

ALDE-

ALDENARDA.

ALDENARDA, nominis auſpicium traxit ab *Ald*, ſiue *Aud*, ſynonymis vetuſtatem ſignantibus, & *Naer*, per diphthongum, pro *Ner*: hoc eſt, ab antiquis Neruiis: quorum curia fuiſſe exiſtimatur: ad quam Ambiorix, poſtridie quàm Aduaticos allocutus eſſet, ſcribitur appuliſſe; & hinc improuiſus caſtra Q. Ciceronis inuaſiſſe. Temporum bellorumque iniuriis imminutam, circiter annum 489. Gothi munierunt, ceu repagulum Scaldis cõtra Gandenſes à Vandelis occupatos. Quam opportunitatem Flandriæ poſtea Principes, quoties in Gandenſes belligerarunt, arripuere; magnis huius oppidi tum iacturis, tum conſtantiæ ornamentis. Fuit enim anno 1379. quatuorque poſt annos à Gandenſibus, principis Malani aduerſariis, inopinatò capta atque ſpoliata. At, circa eaſdē tempeſtates ab eorum exercitu ex tota pænè Flandria collecto, fruſtrà bis obſeſſa atque oppugnata. Decus illi adferunt tum illuſtria Comitia hîc indicta; tam à Balduino Lilano, vbi legati Hollandię, Roberto minori eius filio viduam Florentij primi in matrimonium, liberos in tutelam, Hollandiam in adminiſtrationem obtulerunt; quàm ab eius filio Montano, ante mortem liberos nobilitati ſacerdotioque commendante: tum ſedes figendæ aulæ, per Ioannem Digeonium electa; quum domicilium in Flandria ſe conſtituturum, ſub inaugurationem, Flandris ſtipulantibus addixiſſet. Neque modicum ſplendorē accepit ex natali Margaritæ, Carolo Quinto Cæſare cęlibe genitæ, matris Alexandri Farneſij, Parmę Placentiæque clariſſimi Ducis: quibus, pro Rege agentibus, Flandria, Belgiumque faſces ſubmiſerunt. Hanc Scaldis allabitur: ad dexteram eius ripam, oppido

pido Pamela incumbente, perque pontem connexo Aldenardę. Cuius fluuij in ſupercilio, à Philippo Audace caſtellum minus anno 1385. ponebatur. Vetus enim, cuius initia Gothis tribuuntur, Pamelenſis domini ſedes eſt Aldenardæ. Caſtella autem arceſq; nuncupo, nō prætoria inſtar arcium ad magnificentiam extructa; quorum vix credibilis in Flandria numerus; ſed loca ad arcendos hoſtes munita. Effloreſcit nundinis Maio & Octobri annuis: tapetiumq; & periſtromatum textura celebri, totiuſque ferè Europæ procerum aulas exornante. Quod artificium elegantiſſimum, non paſſim in Flandria, ſed hîc præcipuè, Brugæ, Aloſti, Tornaci, Lilæ exerceri permittitur: certis normis, excludendæ fraudi appoſitis, ſancitiſque Principum ſtatuto, ad annum 1544. poſteaq; renouato atque publicato. Ornatur Matthia Caſtellano Poëta, Iacobo Varentio medicinæ Doctore, & Profeſſore Louanij, eiuſdemque Academiæ ſubinde pridem Rectore, Iudoco Brakelio equite, Iuris Doctore, Conciliiq; prouincialis Flandriæ Senatore.

Diſtat Gandauo quinque, & Turnaco ſeptem miliaribus.

CASTELLANIA AVDENARDENSIS celebris eſt, commoditatibus Scaldis, eique adiacentibus paſcuis, & Abbatia Einhamia Benedictina virili, anno 1063. inchoata, auctore Balduino Lilano, Flandriæ Principe, caſtellumque Einhamum attribuente: neque non altera Maegdendalæ (quod vallem virgineam ſonat) Bernardina feminea. Pagos numerat triginta tres: in iiſque *Heynæ*, collegio canonicorum ornatæ, & Antoinij Ciſſcaldani, Boſſuutiq; Baronias: *Vichtam* nobilis domus, Mareſcalco Flandriæ perpetuò decoratæ, cognomen, peculiumque caſtrenſe: *Auvveghemum* gentis Trieſtæ: *Nocram, Beueramq́,* Vichtæ: *Mulhemum,* Cabeliauæ: & *Peteghe-*

Segheмum ad Sçaldim, Abbatia Veſtalium Clarana, & pulcro palatio principis Flandriæ Guydi, eiuſque vxoris deliciis exornatum.

DEINZA.

DEINZAM, & ex alteró latere Peteghemum agri Curtracenſis, Liza intermeat. Variæ calamitates; annuæ menſe Aprili, Auguſto, & Octobri, nundinæ; cœnobiũq; Auguſtinianum femineũ, quod plurimum familiæ Laleignę debet, inſigniunt. Ter enim diuerſis tẽporibus tempeſtatum à Gandenſibus, Principi obluctantibus, capta fuit, & incenſa: præſertim anno 1382. quũ nobilitati præſidiariæ extorta, portis, ædificiiſque dirutis, ſolo æquabatur. Emicuit tamen ex cineribus in oppidi ſpeciem non contemnendam, niſi in hac luctuoſa Belgicæ dilaceratione, quæ ad annum ſexageſimum ſextum ſupra ter quingenteſimum cepit, immenſumque creuit, cùm omnibus oppidis non mœnitis, & Abbatiarum, aliorumq; ſimilium locorum ædificiis, & Nobilium prætoriis, extra munitiones ſitis in Flandria, exarſiſſet: quam incredibilẽ diſſidiorum ciuilium ſtragem, viſum eſt mihi ſemel hîc notare, atq; deplorare. Coëmit *Deinzam* anno 1316. Robertus Bethunius quinque millibus librarũ Pariſicarum à Walerando Luxenburgio, Lignij Comite, eiuſq; vxore Guyota, Lilæ Caſtellana, vſufructui ſuo dotali, coram eccleſiæ Tornacenſis officiali, renunciante. Paulò ampliùs quàm miliari hinc diſparatur *Gothemum*, agri Curtracenſis pagus, ad Lizam vergens, voce ſua exprimẽs Gothorũ habitationem. Diſtat Gandauo tribus miliaribus.

CVRTRA-

CVRTRACVM.

CVrtrycvm, genuina & vernacula nota, quæ breue regnum indicat, denominatur: vulgus Latinorum Curtracum, liber Notitiæ prouinciarum *Corteriacum* nuncupat. Antiquitate, ac *Centronum*, qui Neruiorum clientes, habitatione commendatur. Lizam aſpicit interfluentem, eiuſq; in crepidine arcem, Nouam appellatam, anno 1385. iuſſu Philippi Audacis erectam in veſtigiis caſtelli veteris: aſſenſu Roberti Bethunij vnâ cum arce Caſletana, diruti, vt Philippi Longi, Gallorum Regis, petitioni ſatisfieret. Collegium habet canonicorum, memoriæ Virginis matris ſacrum, ſub Balduino Conſtantinopolitano inchoatum, xenodochiumq; opulentum. Iuxtim eſt Abbatia Groeningia Bernardina femin. anno 1285. ex Marka huc tranſmota per Beatricem Brabantinam, Gulielmi Dampierri, ad Flandriæ Principatum à matre deſignati, viduam: memorabilis, propter nobiliſſimum prœlium in conſpectu eius confectum; quo Gallicæ nobilitatis equitatuſq; flos oppetiit, & Flandria compedes exuit ſeruitutis intolerandæ.

Frequentatur nundinis Aprili Auguſtoq; annuatim recurrentibus. Ingentes calamitates pertulit anno 1325: quum ſuburbij, Ludouico Creſſio mādante, incenſi flammis Lizam atque mœnia tranſilientibus, magna ex parte deflagrauit. Et poſt annos quinquaginta ſub illius filio ferè interiit, à Gallis Lud. Malenſis contra Gandenſes auxiliaribus, clademq; Groeningiam, quæ Curtraci annuis menſe Iulio cantilenis tripudiiſque celebrabatur, vlciſcentibus, ſine obſtaculo captum, cęde ignibuſque vaſtatum: quamuis Ludouicus, ad Regis pedes proiectus, pro eius incolumitate orauiſſet: Ciuibus, ardente

patria, Gandauum, velut in aſylum confugientibus: & Philippo Audace Ludouici genero, miſeræ vrbi adimente, ac Diuionem transferente, eximium ſpecie, raroque iis temporibus artificio, horologiũ publicum. Ex quibus demum anguſtiis caput extulit, formamque induit elegantem. Ornatur Ioanne & Raphaële Polletis, fratribus: illo Theologo, hoc Iuriſconſulto, per Ant. Meyeri epicedia laudatis.

Diſtat Gandauo octo: Tornaco, Audenarda, Ipra, Lila pari ferè, quinque miliarium ſpacio.

CASTELLANIA CVRTRACENSIS, olim familiæ Neuelæ, adminiſtratur à magiſtratu *Hooftpoincterũ*, quibus à capitũ cẽſione nomen eſt: In quo probiſſimè ſeſe dedit Geruaſius à Schaga, veteri Gãdaui ſtirpe, & Præſide concilij Flandriæ pridẽ ornata: qua in vrbe filius eius Antonius, non minori integritate Senator eſt. Liza Manderaq; fluuiis irrigua eſt, & Abbatiam Bernardin. femin. Weuelghemi complexa. Pagos ſexaginta ſeptem comprehendit: in quibus ſunt *Englemonſtra*, arce & Baronia ſpectabilis: *Iſeghemum*, recenter Comitatus titulo inſignitum, linearum telarum textrinis & mercatu celebre, gentis Vilainæ: *Dadyſela*, gentis Croiſæ: *Sueueghemum*, Halewinæ: *Zueueſela*, Luuxæ: *Wackenum*, hebdomalibus nundinis ornatum, & *Caithemum*, Burgundicæ: *Denterghemum*, Dolehaingnæ: *Moſcronum*, Barræ: *Muelenbeca* & *Grammena* Beræ: *Heula*, Liedekercæ: *Putthemum*, Claerhoutæ: *Olſena*, Lanchalſæ. Cum illa in cenſu generali pecuniam vnà cõfe[illegible]nt, Tiletum, Harlebeca, Deinza, Menena.

D BIER-

BIERVLIETVM

A FLVCTV proximo videtur nomen aſciuiſſe. Nobile eſt Nicetæ Choniatæ Græcæ hiſtoriæ, Ioanni Zonaræ ſuccẽturiantis, teſtimonio; partiſq́; in vexilli & ſigilli gloriam, inſignibus Conſtantinopolis: cuius muros Bierulietani, ſub Balduino Cęſare inter primos aſcenderũt, ceperũtq́; turrim portui imminentem. Quorum inſigniũ characteres vel ipſis ciuibus obſcuri ſunt, ſignificatio ignoratur. Sunt autẽ quatuor maioris formæ B Græca, aurea, per rectam crucem, eiuſdem coloris, in ſolo rubicundo, interſecta: atque denotantia *βασιλεῦς βασιλεῶν, βασιλεῦσι βασιλευῶν*, hoc eſt, Rex regum, reges regens. Oceano ambitur, quum antiquitus continenti annecteretur, & per illud, itinere pedeſtri, Bruga Antuerpiam vltro citroq́; commearetur. In has anguſtias circumciſum fuit, quum longus agger, mariſq́; oſtium, quod Bierulietenſe foramen dicebatur, fuit anno 1377. interruptum violentia pelagi, ſeptẽdecim pagos tunc abligurientis, ob ſocordiam auaritiamq́; chomarchorũ, in cogẽdo paſſim vectigali marino, priuatumq́; in quæſtum vertendo ſtrenuorum, ſed aggeres, mariſq́; clauſtra negligentium. Obſidionẽ contra Gandenſes Anglis iunctos, anno 1385. & aduerſus Cæſarem Maximilianũ anno 1488. fortiter fauſteq́; ſuſtinuit. Nundinis menſe Iunio annuis, non infrequens. Parum antiquæ in mari potentiæ, & ciuilis opulentiæ retinuit, ſimilitudine æſtuariorum, quæ vndique proſpicit, inſtabilium. Domicilium hic fixit, & morte refixit anno 1347. Guillielmus Bouclenſis, inuentor artis ſtipandi condiendiq́; aleces in cadis ſalſamentariis.

Diſtat Gandauo ſeptem: Sluuſa quinque miliarib.

AER-

AERDENBVRGVS

HOc nomine vocari cepit à terrea forſitan de ſubito compacta munitione ſub Ludouico Creſſio: quum antea *Rodenburgus*, ab imbricibus teguliſque rubeis diceretur. Fuit olim metropolis Mercurialis *Flandrarum*, hoc eſt, Flandrię ab Antuerpia, Boloniam vſque & S. Valericum, maritimæ: opportuna videlicet Oceani ſubuectionibus per portum Zwinum, & canalem Ooſtburgo aſſidentem, aluei olim altioris, magiſque nauigabilis; ſed iamdudum defloruit, Sluuſæ Brugæque fortunis augeſcentibus. Collegium habet canonicorum Virginis matris, à Michaële Epiſcopo Tornacenſi anno 1296 inchoatum, templumque pulcherrimum & celeberrimum: cum xenodochio, nundiniſque, quindecim dierum annuis. Nunc oppidi ferè cadauer eſt, ciuilibus olim Gādenſium, & noſtri æui flammis factioſis. Ornatur Galtero Iſebranto Auguſtiniano, Theologiæ Doctore, Carolo Rocaſio Iuriſconſulto, & Poëta, Feurnenſi oppido agroq; à conſiliis actiſq; tribunalis.

Diſtat Bruga tribus miliaribus.

SLVVSA.

TRaxit originem appellationis à repagulo, aquas vel tranſmittente, vel refrenante, quaſi *Sluuta*, à claudendo: quum priùs ad annum vſque 1331. *Laminſvlietum* vocaretur. Fuerat iampridem pars hæreditaria Comitum Namurci, ex Guido Flādriæ Principe, maſcula linea oriundorum. At Philippus Audax eam ſibi aſſeruit, muroque lapideo cinxit, Guilielmo Namurceo Bethunæ donatione compenſato. Celebritatem illi aduexit portus Zuinus, quaſi Meridionalem dicas, omnibus ferè

orbis Chriſtiani mercatoribus frequentatus, dictuſque Flandriæ portus, per excellentiam: famamq; addidit, Comitis Thomæ Pennebrochij Angliæ Halmyrali interitus: qui vaſtato Caſato, quum huic oppido immineret anno 1405. balliſta ex mœnibus ictus, cum aliis 60. occubuit: Mudæ à ſuis tumulatus templo ibi flammas abſtinentibus, illam ob ſepulturam. In portum hunc anno 1468, menſe Octobri, centum & quinquaginta naues mercimoniis onuſtę eodem tempore ſub vnum obtutū appulere: quum antea in eo, viciniſque littoribus & ſtationibus, Carolus Sextus Galliæ Rex (aula ſua aliquot menſibus Sluuſæ fixa) inſtruxiſſet mille & quadringentarum nauium claſſem, qua Angliā inuaderet, ſed irrito apparatu. Fuit hîc, inſtar miraculi habitum, quòd conchylæ ſiue mytili, quas vulgus noſtrum, Græcorum more cum Plinio Muſculos vocat, marinis ſaxis, ſalebris, ligniſque adhæreſcentes, euanuere; quum illarum collectioni ab aula vectigal, quamlibet exile, anno 1441. imponeretur. Sunt enim inopibus obuium alimentum: at illo ſublato, rurſum affluxerūt, cum lautitiæ fama. Ex duabus arcibus, maiorē cum aſſiduo præſidio retinuit, contra hoſtes maritimos, præſertim Anglos, ſecuritati portus, & in arcano Brugenſibus cohibendis, anno 1385, ædificatam, impenſis Gall. Regis, à Philippo Audace patruo, perſuaſi. Minor, ſub Ioanne, Philippi filio, extructa ſumptu publico, ne maior à Gallis tunc infeſſa, portus emporiique Brugenſis libertatem offenderet, iam in rudetum corruit, iuſſu Caroli Quinti Cæſaris. Non caret cœnobiis vtriuſuis ſexus Franciſcanis. Sed templum hîc curiale præcipuum anno 1412. menſe Septembri funditus ex fulgure conflagrauit: magnaq; ciuium & diues negociatio extabuit: tum offenſionibus in mercatores Ooſterlingos, ex quibus qua-

draginta

draginta illic ciuium furiis anno 1436. oppetierunt: tum ſimultatibus multo antè ob Ioannẽ Comitem Namurceum, loci dynaſtam, contra Brugenſes ſuſceptis: à quibus magnam calamitatem accepit, victa, direpta, flammiſque fœdata; ſed à ciuibus reſtituta, & Brugenſibus (ad quos iam pertinet emptione, vendente Philippo nunc regnante) ſæpè infeſta, & damnoſa.

Diſtat Bruga tribus, Middelburgo Zelandiæ quinque miliaribus.

DAMVM.

DAMVM, aggerem obſtaculumque ſignificat, quo aquarum incurſus reprimuntur. *Honſdamum* initio hoc oppidum dicebatur, *Canemq;* pro inſigni, vt olim Alani, præfert: quòd inexplebilis ibi Oceani inundantis vorago, vlulante moleſtoque cane, in foramen cauernæ per foſſores Hollandos, ludibriumque iniecto, ceſpitibuſque ſtatim cooperto, ad annum 1179. obturata ſit. Non eſt ignorabile, propter Reyæ Liuiæque confluentium commoditates, atque tum alecum, butyri, ſeui, ſimiliumque (cadis incluſorum) mercatum: tum vinorum Francicorum emporium à Rochellanis & Santangelicis, circiter annũ 1331. aſſenſu Ludouici Creſſij, inchoatum: cuius opulentia & frequentia, cum extabeſcente Brugæ emporio, exaruit. Habet cum xenodochio annuas menſe Maio nundinas. Situs eius clauim maris, frenumque Brugenſibus obiicit. Tanti olim roboris, vt à Fráciſco Ackermano, Gandenſium tribuno militari interceptum, præſidioque mille & quingentorum militum cuſtoditum, reſtiterit Carolo Sexto Gall. Regi exercitum octoginta milium (ſi veri ſunt annales Gallici) adducenti, & ferè indies oppugnanti: neque ante ſeptimam obſidionis hebdomadam manus dedit: quum deſtituerentur,

tum à mari commeatibus, tum ex lacu Malenſi dulcis aquæ ductibus, tum ab Ackermano, per ſtratagema, euadente: perſuaſos enim ciues inſtare poſtridie, ſub crepuſculum, maximam hoſtium oppugnationem, cum mulieribus ceteraque imbelli turba, ne in periculo & impedimento eſſent, in templum curiale introduxit: iuſſitque vt ibidem quieti ſe continerent, foribus obſeratis. Ipſe interea, cum præcipuis præſidiariis antę lucem Gandauum incolumis effugit, deceptis hoſtium vigiliis. hinc oppidum patuit hoſtium cædibus rapiniſq;. Fortunatiùs anno 1488. reſtitit Friderici Auguſti, & Maximiliani Cæſaris copiis Germanicis, validè, ſed fruſtra aſſilientibus, cæſo Alberti Saxoniæ Ducis filio, intrepidè foſſas ad oppugnandum peruadente: quòd alij aſſcribunt fratri Badenæ Marchionis.

Diſtat Bruga miliari vno, Sluuſa duobus.

DIXMVDA.

ARCHIVA antiqua hanc Dicaſmudam nominant, ab aggeris eminentia: vbi eam ſcribunt à Thoma Becketo Cantuarienſi Archiepiſcopo, exule; cui à morte, ſancto nomen fuit; magno calice ac veſte donatam, quibus illic ſacris erat operatus. *Iſara* hîc largè affluit: qui ex Peena torrente, radicibuſque montis Caſſetani natus, ad Bambecam tenuis, ad Roesbriggam Stauelamq; latifluus, Loano fluento, Ipreleto Zarraque acceptis in ſocietatem, & Dixmudam præterlapſus, ad Nieuportum mare ingreditur: vnde hoc oppidum Dixmudanum ſubuectiones frequentes admittit, & ab agri circumiacentis valde paſcui vbertate, venalibuſque caſeo butyroq; ſingulis ſeptimanis, annuiſq; menſe Iulio nundinis triduanis, luculenta emolumenta percipit: ſoletque non inſulsè renibus aſſimilari,

lari, per ſe macilentis, ſed adipe inuolutis. Non caret cœnobio vtriuſuis ſexus Franciſcano; xenodochio, domoq́ue leproſorum. Pertinet ad familiam Sacqueſpeam: Rúarto interim, ſiue officiario, iura & emolumenta Principis Flandriæ, illic cuſtodiente, per Ludouicum Creſſium inſtituto. Qui hanc in vrbem à Nobilitate Flandriæ Occiduæ euocatus, incidiſſet (ciuium factionibus) in hoſtiles manus Brugenſium, Berſtæ ſubſiſtentium, niſi inſidiis intellectis, porta vi effracta, relictiſq́ue armis, ſarcinis & ſigillo, ferè nudus Odomaropolim aufugiſſet.

Ornatur Franciſco Cæſare Theologo, ad annum 1293. famigerato, quum libros magiſtri ſentẽtiarum in Academia Pariſienſi enarraret.

Diſtat Nieuporto tribus: Bruga ſeptem miliarib.

NIEVPORTVS

NOMINIS cauſam non à portu, ſed à nouo porto ſiue oppido, quaſi Neapolim dicas, elicuit: quum priùs Zanthooftum, ſiue arenæ caput diceretur. Antiquitus enim Latinè, concluſum mercibus opibuſq́ue recipiendis & exportandis oppidum, *Porti* vocabulo, & vernaculè, ciuem *Porterum* adhuc, *Portbailiuos*, & *Portmagiſtros* vocamus. Illuſtratur Burggrauiatu, viſenda platearum directione, & ſymmetria, portu maris ſecuro, ſed oblongo, & interſeptioni obnoxio: alecum captura, ſalſugine, mercatu, nundinis menſe Septembri annuis, templo ſpatioſo, cœnobiis Franciſcanis duobus femin. xenodochioq́ue. Portoriorum per totã Flandriam immunitatem anno 1168. à Philippo Alſatio impetrauit, atque leges illis temporibus moribusq́; magis aptas quàm æquitati; à Iac. Cuiacio, celeberrimo Iuriſconſulto, commemoratas: quibus cauetur: Si quis noctu vulneratus, hoc alij imputauerit, vt acuſa-

cuſatus ferro cādenti ſeſe purget, ſi ſcabinis dignum videatur, aut recuſans manum amittat. Vt furti poſtulatus, ab actore apud iudices iurato, vel expurget ſe ferro ſimili, aut laqueo ſuſpendatur. A Philippo Audace, anno 1385 muniebatur muris ſaxeis, foſſis renouatis, atque arce ex D. Laurentij delubro, in cineres, præter turrim lapideam, adhuc eminentem, paulo antè redacto, ædificata: qua tempeſtate totum oppidum, nulla ædicula ſacra prophanàve ſarta tecta conſeruata; incenſum à Gandenſibus Angliſque in buſtum corruit, propter ciuium beneuolentiam, in principem Malanum patefactam. Attamen ex flammis illis formoſiùs poſtea caput exeruit, ciuium induſtria & impenſis: neque modicam demum laudem peperit, anno 1488. menſe Iulio, fortiter feliciterq; repulſa, feminis ipſis galeatis militiæ audacter operantibus; obſidione, & trina oppugnatione ad portam Meridionalem Philippi Creuecurii Eſquerdij, Ducis Gallorum, cui aderant octodecim armatorum milia, cum Vendocinenſi Comite, multiſq; proceribus. Pharum oſtentat ſiue turriculam lapideam, ex qua ad regendos nauium curſus, & præcauenda vada, ignes ex arundine ſtipulàve noctu emicant, quamdiu maris feruor allabitur; quales etiam Ooſtendæ, Blancobergæ, pagoq; Heiſto conſpiciuntur: Quæ extra oppida ſunt, & *Vierboute*, ab accenſis ex arundine aut ſtipula flammis, appellantur. Neque enim Sluuſæ portui olim nobiliſſimo, neque Dunkercæ phari prælucent: Illic propter latentes in portus obliqui anfractu, ad arcem vſque, & ante portus oſtium, arenaceos ſcopulos verticeſque, qui vaſis cathenatis ſupernatātibus ſignati, de die noſci poſſunt, noctu nequeunt: hîc, tum ob eaſdem vadorum inſidias, tum modicam, grandiumque nauium incapacem; niſi affluente, & feruеſcente noua plenaq; luna

æſtu;

æſtu; portus altitudinem. Plebecula hîc, non aliter quàm in finititimis oppidis pelagus proſpectantibus; quum à nauigatione ceſſat, in texendis tragulis, verriculis, ſageniſq́ue canabinis occupatur, reſtibuſq́ue contorquendis. Rexit hîc magna celebritate peritiæ Latinæ Græcæq; ſcholâ Odomarus Leopardus.

Ornatur Iudoco Clichthoueo, Ioannis Clichthouei Furnenſis ambacti conſularis patruo, Theologiæ Doctore Pariſienſi: quem Carnotum canonicatu, & ſancti nomine viuentem cohoneſtabat, & Deſ. Eraſmus, ſcribens ad Ludouicum Epiſcopum Tornacenſem, nuncupat vberrimum fontem rerum optimarum; in quem edidit dilutiones, & appendicē de eius ſcriptis. Scripſit autem De vera Nobilitate: De officio Regis: De neceſſitate peccati Adæ: De doctrina moriendi: De laudibus D. Ludouici: Propugnaculum Eccleſiæ: variaq; commentaria in libros Ariſtotelis. Cornelio Sceppero, Ekæ ad Scaldim Comarcho, & Concilij priuati Regij Senatore. Scripſit in Aſtrologos futurum anno 1524. cataclyſmum prædicentes, & pro Chriſtierno 2. Daniæ Rege apologiam: inq́ue mortem Iſabellæ eius vxoris, ad D. Petri Blandinienſis, non procul ara maxima ſepultæ, ſolemnem elegiam, parieti, aureis literis inſculptam: cuius Odopericum Cōſtantinopolitanum, nondum liberi euulgarunt, valde expectatum. Quibus propinquus Iacobus Marchantius, hîc natus, Feurna oriundus eſt.

Diſtat Feurna duobus: Ooſtenda tribus: Dunkerca quinque miliaribus.

FEVRNA.

VEVRNAM genuinè Latinè, Galliceque Furnas vocant. Antiquo illuſtrique Burggrauiatu ornata eſt: quo titulo Gertrudis & Mathildis Flandriæ Principum viduæ, illa ex Saxoniæ Ducibus, hæc ex Portugalliæ Regibus orta, ſignabantur: iam minori vi eſt atque functione quàm fumo dignitatis. Muro lapideo ad annum 1390. iuſſu Philippi Audacis, communiebatur, foſſis apprimè ampliatis: præfectis illi cingendi muris curæ, induſtriis, ex familia Veyſa, Crana, Leiſela, Viſcha equitibus. A Gallis hoſtibus ſeptem poſt annos victa, direpta, inflammata: ab incolis demum eleganter fuit reſtituta. Ex tribus templis curialibus eminet, quod memoriæ D. Walburgis Angloſaxonæ regiæ ſtirpis inſcribitur: partim quòd eius initia antiquitatẽ ſuam à Balduino Caluo & Pulcrobarbo, vetuſtis Flandriæ Principibus repetant, tectumque eius plumbeis tegulis adhuc conſtratum eſt: partim ob aſſeruatum, ac magno in honore habitum, fruſtum veræ (vt annales aſſeuerant) crucis, in qua vnicus Seruator noſter Chriſtus, generis humani ſcelera expiauit: partim ob ſplendidum canonicorum collegium, quod antea gregis Benedictini fuerat, eiuſque Præpoſituram à viris ſtirpe generoſis geri ſolitam: vti patris mei vrbis bailliui tempore, ea dignitas à Mourbecana & Poitierſa, quæ Pictauica in Galliis domus eſt, nobilitate fuit adminiſtrata: nunc vnita eſt Epiſcopatui Yprenſi, hac tempeſtate procurato à Petro Simonio: qui variæ eruditioni eloquendi ſuauitatem, dignitati comitatem, vitæque probitatem annexuit. Interfluitur aquagio ab Oriente in Occidentem, turribus ac repagulis clatratis aditum exitumq; hinc inde tuentibus: cui ædes aſſident cum conclaui, quod Delphini dici-

dicitur,in quibus Rex Ludouicus vndecimus,quum adhuc Delphinatium Princeps,patrem vitabundus, apud Philippum Bonum alebatur, diuerſatus eſt.

Nundinas menſe Iulio annuas,& xenodochia habet, domumque leproſorum, cum cœnobiis Franciſcano & Auguſtiniano femin. Alexiano virili,quod mente captis cuſtodiam,& peſte extinctis ſepeliendi officium impendit. Aſpexit pridem ampliſſimæ ſtructuræ Abbatiam virilem S. Nicolai Præmonſtratenſem,foſſis oppidi mœnibuſq; adiacentem:anno 1119 erectam, per Nicolaum virum eruditum moribuſq; ſanctum,petitis à Norberto,primo illius inſtituti auctore, norma & exemplis. Quum anno 1411. populus Caſtellaniæ armatus huc in forum ſpatioſum procurriſſet, ciuibus alteram partem occupantibus, propter Cancellarium Ioannis Digeonij magnã pecuniam (prætexta promiſſaq; priuilegiorum confirmatione) imperioſe armataq; manu exigentem,motus periculoſus deferbuit , ſola principis ſtatim Santodomaro accurrentis præſentia benignaq; allocutione; plus æris à volentibus impetrantis comitate, quàm legati minis fuerat imperatũ. Ornatur Ioanne Boudinio,primario Senatore. Scripſit piè docteq; de Ieſu Christi Domini noſtri rerũ geſtarum , quum in terris verſaretur claritate & gloria : atq; de rebus externis ad eius vitã pertinentibus breue compẽdium: Chriſtiano Cellario,qui ſe Furnium inſcribit,quum Iſenbergę in agro Feurnẽſi natus ſit, Louaniiq; Græcè docuit, & Orationem euulgauit pro noua pauperum ſubuentione contra publicam mendicitatem: Mathia Becqueto, quorumdam verſuum editorum auctore: Maliardo Vuldero , Iuriſconſulto, Regio Gandaui Aduocato ; cuius eruditæ lucubrationes nondum per filium publicatæ ſunt.

Diſtat Dixmuda 3. Dunkerca,& Berga 4. miliar.

CASTEL-

CASTELLANIA FEVRNENSIS pagos quadraginta duos complectitur, vnius magiſtratus plenæ iuriſdictioni ſubditos: in iis *Aluerghemum* fluento Loano interciſum, amplitudine templi, & ſitus opportunitate ſpectabile: Wulpam xenodochio monialium notam: Haringã cum *Roesbrigga*. *Stauelam*, nobiliſſimæ ſtirpis cognomẽ & olim domicilium, monumentum: *Leiſelam*, Honſchotæ anterminam, atque *Lampreneſam*: cui pago à maris æſtuariis olim aſſerto, Græcum vocabulum mãſit λαμπρὴ νῆσος, quod ſplendidam fertilemque inſulam ſignificat. Eſt autem paſcuis maximè opimis, & phaſianorũ, cygnorum, anſerum anatumque ferorum, ex Borealibus regionibus per ſingulas hiemes aduolantium, fœcunditate celebris. Opportuna eſt hæc Caſtellania fluento Loano, Iſara fluuio, maris lacuſque appulſu, paſcuorum eximio & famigerato ſumine, agris frugiferis, arboribus omnis generis copioſis, & vbi ad Paperingam vergit, nemore Sinſixio, amplo & luculento: Abbatiis *Dunenſi*, hoc eſt ad maritimi ſabuleti colles, Bernardina viril. anno 1107. cepta per Ligerium Anachoritam: Victorina femin. ad Roesbruggam, ſiue Rorardi pontem, nobilem veteremque dynaſtiam, anno 1271. inſtituta per Guillielmum à Bethuna, Roesbruggæ dominum: Præpoſitura Abbatica *Euerſamia*. anno 1091. inchoata per Walbertum canonicum Caſletenſem, munificẽtia Roberti Hieroſolymitani, eiuſque matris Gertrudis. *Dunenſis* (cui D. Bernardus, Clareuallẽſis, anno 1139. primum Abbatem præfecit Robertum, ad quem eius extant epiſtolæ) non ita pridem illuſtrabatur templo ſpecioſo, vetuſtis rariſq; membranaceis codicibus manu ſcriptis, turrique nautis in mari de die curioſè obſeruata. Sub hac Caſtellania (cui anno 1332. Ludouicus Creſſius plurimas conſtitutiones ſanxit, Bal-

fartum

ſartum remiſit, conceſſitque paſſim vallis ad ſex pedes altis, foſſiſque ad quadraginta pedes latis, ædes muniendi facultatem) ſubſidiariæ ſunt.penduntque cum ſuis appendicibus (quas fiſſuras vocāt) non minus quàm quadrantem indictionum Principi illa in Caſtellania ſoluendarum, licet ſuum quæque tribunal habent, & iuriſdictionem ſeparatim, vulgò dictæ octo parochiæ, pagi opulenti: in quibus *Vlamertinga*, *Eluerdinga* fiſci Regij: cum *Lokera* gentis Horniæ, vbi mons nomine & re acutus, cuius in apice circumagitur mola pneumatica frumentaria: appendicumque primaria *Nieucapella*, gentis *Montmorencyæ Croiſilliæ*. In cenſu Flandriæ generali hæc Caſtellania cum Curtracenſi paria facit: cedit Aloſtenſi, reliquis anteſertur. Ornatur Hadriano Burchio equite, Iuriſconſulto, Vltraiectinæ ditionis Flandriæque Præſide: qui filium reliquit Ioannem, equitem Iuriſconſultum concilij Mechlinienſis, deinde Priuati Bruxellæ Præſide, & Lambertum Vltraiecti Decanum literatum: Ioanne Siluio Iuriſconſulto: Petro Mattardo Præmonſtratenſi: qui carmina quædam euulgarunt, librorum ab aliis editorum encomiaſtica: Paulo Leopardo, Philoſopho, qui ſcripſit Emendationum & Miſcellaneorum libros viginti, & quorumdam Græcorum Philoſophorū Apophthegmata. Emendationum verò decem tantummodo libri in lucem emanarunt ex officina Plantini: quos Petrus Nannius vocat accuratiſſimæ & elegantiſſimæ eruditionis: & de ipſo Leopardo ait, Nemo apud me de eruditione maior, neque de humanitate candidior habetur.

CASLE-

CASLETVM.

CASSELA indigenis, Caſſetum Latij cupidis nuncupatur: Cattorum, validiſſimęq; Heſſorum gentis nomen ſignare videtur, non ſecus atque *Caſſela*, vrbs Heſſiæ primaria. Nam *Velliocaſſij* Iulij Cæſaris, aut Plinij *Vellocaſſes*, non hîc, vt putat Sabellicus, ſed ad Cauxos, & Sequanæ Heptæque ripas aſſidebant. *Caſtellum* vocatur in *Itinerario*: quod (licet Antonini Pij Cæſaris nomine circumfertur, & antiquiſſimum eſt) tamē Antonini Pij eſſę nequit: Meminit enim Conſtantinopolis, ſic appellatæ à Conſtantino Magno, annis amplius centum, Antoninum ſubſecuto: Hinc à quibuſdam Marciano aſſcribitur: qui, Stephani Byzantij teſtimonio, librum ſcripſit cui titulum fecit, Τὰ ἀπὸ ῥώμης ἐπὶ τὰς διασήμους πόλεις, Itinera à Roma ad clariora oppida. Ex quo Antonini itinerario, antiquitas celebritaſq; huius vrbis innoteſcit: quum vias militâres tritaſque deducit partim à *Taruenna* (ſic enim vocat) per *Caſtellum* ad Baiacum, partim à *Caſtello* tum ad Tornacum, tum ad Coloniam Agrippinam. Et etiamnum itinera regia à Romanis, vt creditur, ſilice Bethuniēſi ſtrata, plurimis in locis perdurant à Caſſeto, tum per Straſelam, Noortberkinam, pontem Stegranum, ad Baſſæam; tum per Poperingam, Vlamertingā, Merkemum, Eeſſenam, ad Brugam & Rodenburgum.

Inſidet hæc vrbs alto monti, non inculto, cum vetuſta arce emicante, fonte viuo in foro ſaliente, collegiiſque binis canonicorū; præſertim D. Petri, quod Robertus Friſius erexit dotauitque, memor victoriæ illic acquiſitæ ad annum 1071. per quam Philippo primo Gallorum Rege profligato, cæſoque nepote Arnulpho, Flandriam ſibi aſſeruit, ſtabiliitque. Fuit, cum Caſtellania, Roberti à Flandria, quem Caſſetanum

num

num dicebant, portio hæreditaria: deriuata ad Comites Barenſes per Yolanthidis eius filiæ vnicæ nuptias: redieruntque ad Flandriæ Principes anno 1433. conuentione Renati Lotharingiæ Bariq́ue Ducis, ex captiuitate eo precio ſe redimentis. Nundinas habet Ianuario, Auguſtoque annuas, aliiſque interuallis. A Gallis anno 1329. & 1385. captum, direptum exuſtumq́; fuit, ſed ab incolis demum inſtauratum, ruinis parietum, velut cicatricibus, ſuperſtitibus.

Ornatur Nicaſio Ellebodio: qui è Græco quædam philoſophica tranſtulit: cuius ſæpè Manutius, Dioniſius Lambinus, aliique honeſtè meminerunt.

Diſtat Teruana Morinorum, Santodomaro, Winnociberga, & Aria quatuor vndique miliariũ ſpacio.

CASTELLANIA CASLETANA valde luculenta eſt propter Agnionam fluuium, Arteſiæ Franciæq́ue viciniam: ſiluas, tum Niepenſem cum arce Motana, ampliſſimi prouentus nominiſq́;, tum Ruhoutam, agricolarum Caſletenſium contra Teruanenſes olim velut aſylum: Abbaticã Præpoſituram Watenenſem, canonicorum Regul. fundatam anno 1072. auctore Roberto Friſio: bináſque Abbatias Bernardinas femin. Rauesbergæ & Woeſtiniæ: non procul ab altera eiuſdem inſtituti maſcula, Clarimareſci, cepta anno 1139. per Theodericum Alſatium, eiuſque vxorem Sibyllam: Ornata Abbate Huberto Rudolpho, Philoſopho, ſcriptore panegyrici, Alexãdrum Farneſium Parmenſem, Belgij Rectorem, collaudantis. Vbi lacus prodigioſus, cui nimirum paruæ inſulæ, boum ouiumq́ue paſcuæ, & arbuſtis conſitę innatãt. Qualem Plinius Iunior deſcribit proſoceri ſui Fabati nomine Vadimonis in prædiis Amerinis: In quo ſe pro miraculo vidiſſe ſcribit innatare inſulas herbidas paſcuáſque, & interdum iunctas copulatáſque ire, interdum diſcordãtibus ventis digeſtas, non-

nonnunquam deſtitutas tranquillitate, ſingulas fluitare. Pagos quinquaginta duos comprehendit, ſuis quidem peculiaribus tribunalibus obnoxios; ſed arma, pecuniam, conſilia conferentes ſub Valuaſorum in oppido Caſleti conſeſſu: qui, vocante & ſubmonẽte Bailiuo (quod munus ſtirpis Stauelæ hæreditarium eſt) congrediuntur, deliberant, ſtatuuntque. In quibus pagis numerantur *Haueskerca*, *Watenum*, veteres Baroniæ: & *Watenum* quidem oppidi nomine iam olim cohoneſtatum, multa antiquitatis veſtigia ſubterranea oſtentat: *Steenuorda*, oppidi inſtar, cum xenodochio, gentis Bellæ: *Mourbeca* & *Ruuſchura*, Mourbecæ. *Noortberkina* cum *Pleſſieto*, Gribouallæ: *Vletera* Wignacourtæ: Patria Antonij Meyeri, Iacobi ex fratre nepotis, editis variis poëmatiis clari: qui pater eſt Philippi, paternum dantis. *Peena* cœnobio Gulielmico viril. luculento, dynaſtæque ſui, gentis Halewinæ, Gallicarum iampridem partium, potentia, & Marchionis titulo ornata: *Bolleſela* annuis nundinis, ineunte Iulio frequẽtata, vbi cis paucos annos ab agricola fodiente repertus fuit cantharus ex alba terra, ingens, ore anguſto: in quo penè duo millia numiſmatum includebantur, habentium effigiem ac inſcriptionem Poſthumi in Gallia Cæſaris, à Lolliano deuicti, atque cæſi.

BERGA S. WINNOCI.

ORIGINEM huius nominis, quum prius Groeneberga, ſiue Mons viridis diceretur, accerſiit à colle ſuburbano; ſed iam annis ab hinc centum & quinquaginta, mœnibus incluſo: cui impoſita fuit, & memoriæ S. Winnoci Britanni, eximiæ nobilitatis pietatiſq;, dedicata, Abbatia Benedictina virilis, Wormhouto priùs, dein ex templo Bergæ Martiniano huc trãſlata per Balduinum Pulcro-

crobarbum : prouentibus & toparchiis comprimis opulenta : cuius cœnobiarcha ſecundum inter Abbates Flandriæ locum obtinet. Neque altera Abbatia, ſed Victorina femin., cœnobio Dominicano virili, xenodochiiſque D D. Ioannis & Iacobi, & Gerontocomio, domoque leproſorum, deſtituitur. In ſinum recipit Colmam fluuium, cataractis, quū opus eſt, vel emiſſum, vel retentum: habetq; aquæductum per aliquot elegantis caſtelli ſiphunculos, in foro ſcaturientem. Prætorium hîc, á Gallis hoſtibus, anno 1558. cum ipſa vrbe, incenſum, in rudeto manet: cui Ghiſelhuuſa nomen, vbi & Curia feudalis Comitis, Petra nuncupata, & in ſontes gladio animaduerti ſolet, & inimicitias atroces gerentibus, capitaliter iniungi, vt iuramento vadibusque caueant, de mutua corporis ſecuritate, quod *Giſelen* vernaculè, ſiue obſidem dare, dicitur. Cetera vrbis ædificia incredibili celeritate ab illis flãmis reſtaurata ſunt, indieſque vrbs ædificationibus efflorecit, præſertim conſule Giſlenio Diſerino : quum alio Gallorum incendio ad annum 1383. non minori conſumpta, incolarum ſumma induſtria impendiiſque ſeſe eleganter extruxiſſet. Celebris eſt Burggrauiatu, annuis menſe Octobri nundinis frequentatiſſimis, illuſtrique olim ingreſſu & conuentu Eduardi tertij Angliæ regis, eiuſque vxoris ac filiæ Iſabellæ, ad annum 1346 : vbi hanc Ludouico Malano ambitioſè, ſed fruſtrà deſpondit. Ampliſſima aula proximè periſtylium templi, in eam rem faſtuoſè extructa: vnde erat amœniſſimus quaquauerſum proſpectus. Ornatur Thoma Diacono, monacho S. VVinoci ; qui illam oppidi Bergenſis anno 1383. à Gallis direpti incenſique, & cœnobij ſui calamitatem, ſuamque captiuitatem ſcriptis publicauit : quod etiam cœnobium decorat Petrus Santomerius, VValomcapellus, nobili-

bilitate doctrinaque, Car. Argentæo Abbati ſuo non abſimilis. Scripſit libros ſex monaſticarum, partim Inſtitutionum, partim Illuſtrationum. Iacobo Yetzwerto, milite generoſo: qui edidit Aldenardiada, compoſuitque elegias elegantes, nondum euulgatas. Ciuitatem hîc fortunaſque adeptus, diu vixit, ſepultuſque eſt, Gerardus Meeckerus, ſocer Balduini Ronij Geldriæ Cancellarij, & Arnoldi Zegherſcaplij, huius oppidi conſularis, iuriſprudentia variiſque diſciplinis exculti: qui archithalaſſi maris Flandrici vicarius, ſub Carolo Quinto Cæſare ob victorias in Gallos Danoſque maritimas, celebre in annalibus linguæ Flandricæ nomen acquiſiuit. Cuius muneris famæque ſucceſſor Nicolaus Daenus Bredenardius, ciuitatem, domicilium, ſepulcrumque hîc etiam conſecutus eſt. Aperuere hîc ludum literarium, maximamque lucubrationum ſuarum partem hîc compoſuere viri doctiſſimi Ioannes Deſpauterius, Paulus Leopardus, Chriſtianus Cellarius, Petrus Curius editis doctrinæ teſtimoniis, non ignoti: ac Hadrianus Voſſius, aptus ſcolarcha, ibidem eos imitatur. Medicum habet vt Veurna, ceteráque ferè oppida mœnita, publicè ſtipendiatũ. Cui functioni præmaturè hîc immortuus eſt, ſepultuſque doctrinæ varietate mirabilis, Victor Giſelinus, horæ mortis ſuæ prænuncius, ex artis medicæ prognoſticis.

Diſtat Dunkerca vnius miliaris interuallo.

CASTELLANIA BERGENSIS fœcunda pecoris, butyrique ſapidiſſimi; frugum arborumque tam pomiferarum, quàm lignationi aptarum, & Agniona, eiuſque emiſſario Colma, ac Oceano affluente commoda, & triginta tres pagos continet: inter-

interq́; eos *Houtkercam*, cuius Comitem ſe inſcribit nobiliſſima gens Hoornia Gaſebecia, in ſumma iuriſdictionis potentiæque quam ibi poſſidet, exilitate: *Wormhoutum*, amplitudine, & diui VVinoci, qui primam illic cellam ſibi ſociiſq́ue ex diui Bertini conſilio extruxit, olim Abbatia, nunc Præpoſitura clarum; quo nomine non exigua eius pagi portio ad diui VVinoci Abbatem ſpectat, in templi vicinia. *Herzelam*, annuis in Iulio nundinis frequentem, patriam Iacobi Sluperij, editis poëmatis non obſcuri, cum *Eclesbeca* vetuſta, caſtellóque ſplendido exculta, ad Valentinum Pardieuum Motanum, celeberrimum equitem, ſcholámque ibi Muſis erigentem, ſpectante: & *Honſchota*, *Pitgamóque*: qui tres poſteriores, quatuorq́ue alij viuunt ſuis ſub toparchis, legibuſq́ue; ſed in oneribus indictionum publicarum, Caſtellaniæ Bergenſis auxiliares ſunt. Inter *Vxemum* & *Houthemum* illum Bergenſis, hunc Feurnenſis tractus pagum, lacus eſt ab æſtu maris natus, quam Mouram vocant, in magnam paruamq́ue diſtinctus, ac ſeptem miliaria in ambitu complexus, piſciumq́ue copioſiſſimus, ſed vliginem fundi, cænumq́ue in cena ſapientium, & nauigabilis, ſubindeque per tempeſtates periculoſus; paucos enim cis annos in eo periit Iacobus VVaueranus, Neoporti conſul præſtantiſſimus. *Lacum* verò nuncupamus locum aquis perpetuis copioſiſq́ue profundum; ſicut *Paludem*, quæ latè, ſed non altè diffunditur; interdumq́ue ſiccatur: quemadmodum *Stagnum*, aquam velut ſtantem habet, hieme collectam, æſtate exareſcentem. Quum in hanc vrbem & Caſtellaniam Yolántis filia Roberti à Flandria Caſletani Comiti Barenſi nupta, proprietatem poſſeſſionemq́ue iure paterno iam pridem ſibi

vendicaſſet,vtraque demum anno 1350. menſe Auguſto ſe illinc ſubtraxit,& ſeſe Lud. Malano Flādriæ Comiti perpetuum ſubmiſit, ambienti & Roberto Caſletano propatruo ſuo, nullum proprietatis, ſed hypothecæ ſolummodo ius illic fuiſſe aſſerenti, atque decernenti.

DVNKERCA.

A Templo Dunorum (quos Græci θῖνες, Latini arenaceos littoris colles vocāt, qui circa Sluuſam exurgentes,Greuelinga tenus, album dorſum in Flandria Neptuno prætexunt, nomen acquiſiuit, non minus quàm famam ob portum breuem,quem irruens Colma efficit,erecto,Caroli Quinti Cæſ. iuſſu,anno 1535. propugnaculo,& præſidio defenſum: faucibus anguſtis, & intrare volenti ſuſpectis,propter breuia, ceu areolas, quæ nautæ ſcamna vocant.Portuum verò nomine ſignificamus(ne quis aberret) non ſtationes malè fidas carinis,quæ in littore Flandriæ multæ ſunt; ſed oras maritimas, ad quas tutò naues ſe applicāt, ſe includunt, & perſæpè hiemant. Procul innoteſcit ob prœlia prædaſque maritimas, & alecum capturam, aptam ſalitură, & mercatum,teloniorum per totam Flandriam immunitatem, templique tum turrim excelſam,ex qua candicātes Angliæ circa Douuram montes,cælo ſereno clarè conſpiciuntur; tum altare amplum, altum, ex marmore variegato, lapide lydio & alabaſtrite conſtructum,ſumptu pluſquam viginti milium florenorum,tantoq; ſplendore, vt aſpiret ad faſtigium admirationis. Non deeſt hîc cœnobium Franciſcanum ſexus vtriuſuis, xenodochiumque. Per Laurentium ab Hiſpania,propinquum,vt videtur, Ferdinandi, Ioannæ Flandrorum dominæ mariti, anno 1233. vendita fuit Gotfrido Epiſcopo Came-

Cameracenſi: adiecta conditione, vt ab eius morte ad Ioannam, eiuſq; hæredes reuerteretur. Huc, mari concitato inuecta, refluoq; deſtituta, in arena, quam pondere ſuo impetuque ſulcauerat, anno 1404. ipſo Pareſceues, ſacræque concionis tempore expirauit *Balena* tanta longitudine, vt octoginta pedes expleuerit. Balenā verò appello, Gallorum voce, quā Flandri indiſtinctè *Walus ch*, hoc eſt, inſtar collis piſcem nominant, nam Romani à Balenis Orcas diſcernebant; qui duo maximi in Oceano piſces, cruentiſſimis inter ſe prœliis dimicant. Spectat vnà cum Greuelinga & Burburgo, ad familiam Borboniam Vendomiam: cui acceſſerunt per nuptias neptis Ludouici Coneſtabilis, ex domo Luxenburgia Sanpaulina, ad quam à Barenſi ſtirpe affluxerant, iis oppidis dotata per Yolantæ Roberti Caſletani, qui Flandriæ Principe Roberto Bethunio progenitus fuit; filię heredisq; matrimonium. Quæ arcem Dunkercæ ſtruxiſſe fertur, veſtigiis eius ad muros Meridiem ſpectantes ſuperſtitibus.

Diſtat Caliſio ſex: Bruga duodecim miliaribus.

BROVCBVRGVS.

BROVCBVRGVS, quamuis *Burburgus* vulgò nominatur, non eſt in obſcuro, propter agrum paluſtrem fertilemque, cui nominis occaſionem acceptā refert, ac Burggrauiatum, pręſidium militare aſſiduum, nobilemq; Abbatiam Benedictinam femin. anno 1 0 9 9. foris fundatam per Clementiam Flandrię vſufructuariam, propter annuas Iunio, Septembriq; nundinas; xenodochium, domumq; leproſorum, & agros Hoymilianos, limitibus oppidi incluſos; qui, præter morem, ad alterum coniugum, ſuperſtitem, & ab hoc ad liberorum natu minimum deuoluuntur. Non caruit anno 1383. in-

ſigni aduerſitate: quum enim Angli Gandenſibus iuncti, Lud. Malenſi repugnantibus, oppidum hoc acriùs oppugnatũ quàm defenſum, Gallis Ludouici protectoribus dedidiſſent, rapinis, cæde, ignibuſq; vaſtatum eſt, donec ciuiũ impenſis reficeretur. Erant autem *Burgi* antiquitus, militum in limitibus præſidiariorum, caſtra atque habitacula.

Diſtat Greuelinga vnius miliaris ſpacio.

Castellania brovcbvrgia, quæ olim Comitum Guineſiorum fuit, prope Greuelingam, Agnionam, eiuſque elicem Colmam & Oceanum ſita, *Pagos* quatuordecim continet: in iiſq; *Cranewicum*: *Loonum*, ornatum Burggrauiatu gentis Doiſæ: *Drinchamum*, vetuſta arce nobile, gentis Vilainæ: atque *Holkus*, Comitatus epigraphe ſignatus, ſpectánſque ad Præpoſituram VVatenenſem, iam annexam Epiſcopatui Santodomari. Per Agnionam ſeparatur à *Bredenardæ* & *Houkæ* terrenis, quatuor pagorum ſingulis, Flandrici idiomatis, pridemq; iuris; nunc ad Arteſiam ſpectantibus.

GREVELINGA.

GRevelinga, in Occidentem ad Arteſiam Galliámq; vergentibus, eſt muratarum in Flandria vrbium poſtrema: à Theoderico Alſatio ad annũ centeſimum ſexageſimum poſt milleſimum condita, in pago diui VVillibrodi: firmatáque à Carolo Quinto Cæſ. anno 1528. arce valida; &, Flandriæ impendio, propugnaculis, quibus bello arduis Gallicè nomen, perpetuoque prçſidio cuſtodita, ac famam oppidi munitiſſimi adepta. Portum habet anguſtum prolixumq;, in quem Agniona fluuius, oppidum ferè lambens exoneratur: vulgò Aa, Carolo Liebardo poëtç, *Alpha* vocitatus, aliiſque Romera: qui in pago Rumil-

lyo

lyo agri Bolonienſis tenuiter ortus, per Vreſecum Faſquũq; repens, perluit foſſas arcis Rentyæ, & Falcobergã: ſemperq; torrentium ſocietate augeſcens, & Arkas, Santomerumque ingrediens, incurrit mari ad Greuelingam: anteaq; circiter Watenum & Linkam, obſequens cataractis emittit elicem, ſub Colmæ nomine, Bergam, Dunkercam, Oceanumq; irrumpentem. Non eget xenodochio, domoq; leproſorum. Auxit huius loci celebritatem inſignis conflictus anno 1558. iuxtim initus finituſq;: quo Thermus, Galliæ Marſchalcus, exercitusq; legatus, auſpiciis Philippi potentiſſimi Regis diligentia audentiaque Lamoralli Egmondani victus fuit, ſpoliis exutus atque captus. Fixum hîc telonium exigit portoria lanarum, ex Anglia Caliſioq; in Flandriã aduectarũ.

Diſtat inter Dunkercam & Caliſium ferè pari trium miliarium ſpacio: ab Aloſto pluſquam triginta miliaribus.

De Oppidis non mœnitis.

RVPLEMONDA.

RVPLEMVNDA, vrbium Flandriæ mœnibus carentium, ad Orientem prima eſt: quæ nomen adipiſcitur ab oſtio fluuij *Ruplæ*, aut Ripelæ, ex Brabantia in eius aggerem oppoſitum, vñdas Netha Diliaque auctas, validè exſpuentis, & ſe Scaldi (cui hoc oppidum incumbit) affundentis. Arcem robuſtam ſpectabilemque, à Margarita ſecunda erectam, oſtentat veterũ Flandriæ diplomatum, indultorumque principalium gazophylacium: iuuenumq; aſotorum, ne aſoſti & inſanabiles euadant, famoſam cuſtodiam: procerumq; olim perduellionis ſuſpectorum carcerem. Vbi an-

no 1320. quiddā accidit, narratione non indignum, ad excludēdos aulis principum delatores, iudiciumque præcipitatum. Robertus Bethunius Flandriæ Princeps, quum eſſet animi ſagacitate, non minùs quàm ætate, declinante; filium Ludouicum natu maximum, Niuernij Rethelijq; Comitem, per aulicos ſuſurrones, arceſſitum pręparati in patrem veneficij, hanc in arcem inauditum & duci iuſſit, & annulo ſuo literis ſigillatis, in quo conſiliariorum quorumdam, fratriſq; Roberti fraus ſuſpecta fuit, arciſq; Præfectǫ miſſis, decollari. Verùm Pręfectus, ab atrocis aſtorgiǽ mandati prompta obedientia alienus, ad Bethunium aduolauit, effecitq; vt diligentiori indagine de crimine inſtituta, Ludouicus incolumis carcere emitteretur, paterq; gauderet prouida Præfecti cunctatione. Par alterius eiuſdem caſtelli cuſtodis prudentia anno 1433. perſpecta eſt. Etenim Philippus Bonus, Franconem Borſalæ, Verę́q; nobiliſſimum Comarchum comprehendi, huc mitti, & capite plecti imperauit, à factione Cabeliaua (Iacobæ infeſta) incitatus: quia ille Iacobam Hollādiæ Hannoniæq; dominàm, beneficiis (quum pecunia maximè egeret.) deuinctam, cupientemque, in vxorem duxerat, Philippo conſobrino & curatore, vrbibuſq; Iacobæ primariis inconſultis. At huius arcis præfectus circunſpectus, Borſalo, volente & ſuadente, in abditis turrium compedito, eiuſque nece diuulgata, ad aulam feſtinauit, ex Philippi vultu, geſtu, verbis, de vita aut cæde captiui conſilium capturus: vbi à Duce de Borſalo interrogatus, dixit, Seſe Principis mādato obediiſſe: quum verò Philippus gemebundus exclamaret, Eheu quid feciſti! aliaq; pœnitentiæ ſigna ederet, tunc Præfectus in genua procumbens, ſalutem ſibi veniámque precatus eſt: ſed alter: Tu culpa vacas ait, Feciſti imperata. Verùm Pręfecto refe-

referente dilatum mandatum, eiuſque cauſam, & Borſalum viuere,geſtiit Dux gaudio, captiuumq; liberum vxori reſtituit: poſtea tam gratioſum, vt & aurei velleris ſplendore, & Comitatu Ooſteruandiæ ornatus ſit, & Carolus Bellicoſus eum ſemper patrẽ nuncupauerit. Vtriuſque autem Præfecti, tum humani,tum prudentis,nomen in annalibus ſileri,tam indignum eſt, quàm factum laudandum atque imitandum. Ornatur Gerardo Mercatore,Coſmographo, qui Chorographicam Flandriæ chartam, effigiemq; edidit, ceteras aliorum præeuntem induſtria accurata: Bartholomæo illius filio.

Diſtat inter Antuerpiam Dendremondiámq; ferè pari trium miliarium ſpatio,

SAEFTINGA

FLANDRIÆ velut promontorium eſt & ancona: vt alter locus (in Ambacto Axelenſi, eademque ad mare linea) cui, *Ternenſa*, ſeu naſo,à figura nomen. Præter vetus caſtellum, à Margarita Secũda excitatum,oſtentat arcem per Maximilianum Auſtrium, Philippi filij Flandriæq; tutorem,quum Flandris ſuccenſeret, in ipſo terræ prominentis cubito, anno 1484. erectã, ad oſtium Scaldis mari incurrentis, & ad Zelandos diuaricantis.Situ ipſo,fortitérque tolerata anno 1382 obſidione Gandenſium,Malano reſiſtentiũ, famam peperit. Aſſident illi in tractu Hulſtenſi arua atque paſcua fœcunda,mille & quingentorum Bunderum quinque ferè pagos,antè abſorptos,complectẽtium: quæ omnes ferè Latij amatores noſtri iugera vocant, nulla proportione: Bundera enim nobis communiter ſingula implent tres menſuras, hoc eſt, nongentas perticas, quatuordecempedas ſingulas: Iugerum verò apud Romanos,teſte Quintiliano, erat ducen-

torum quadraginta pedum in longitudinem, dimidij in latitudinem: quòd tantum ſpacij arari vno die ab vno pari boum conſueuerit. Hæc Ioannes Guydi Flandriæ Principis filius, Namurci Sluuſæque dominus, ex mari obſepta, recuperauit: Vnde illis *Poldro Namurcenſi* nomen. Sic enim terras ex Oceano ad culturam aſſertas, vernaculè nuncupamus à *Poel*, hoc eſt, palude, vnde recuperatę ſunt. Quod autē Meyerus à pullis equorū, qui illic optimè aluntur & grandeſcunt, nomen deducit; quaſi *Voldrū*; forſitan reſpiciendum eſt ad Græcam vocem πωλὸς, pullum equinum ſignificantem.

Diſtat Hulſto tribus circiter miliaribus.

RONSA.

ROTORNACVM Latinis, *Renaſa* Gallis, *Ronſa* vernaculè nūcupatur. Guydus Dampierrus à Reynoldo Abbate D. Cornelij Indenſis, diœceſis Coloniēſis emptam, in filium ſuum Guydum Rikeburgenſem tranſtulit. Famam opeſq; peperit, tāto pannificij, aliorumq; artificiorū quæſtu, vt in generali Flandriæ cenſu cuncta oppida, præterquam tres Flandriæ matrices, collatione antecedat: celebritatem etiam frequentiámque ſibi conciliauit, templo collegioque canonicorum D. Hermetis, martyris Romani, eiurandis energumenis famigerato. Quum anno 1519. mulier quæpiam in plateam effunderet aquā, quidam tunc illi dæmoniacus: Tu quidem, ait, nunc aquam abiicis, at ignoras ſtultula quàm illa tibi futura ſit ante veſperum neceſſaria: vergente enim die pluſquam ſeptingentæ domus fortuitò illic deflagrarunt. Spectat ad Fridericum Perenotum Granuellanum, ærarij financiarum Præfectum, facundum atque literatum. Ronſæ & Leſſinæ interiacet *Silua Podsbergia* ingens atque luculenta.

ſenta. Ornatur Hermete Wingheno, Iuris Doctore Louanienſi, & Priuati Concilij Senatore.

Diſtat Aldenarda duobus, Geersberga quatuor miliaribus.

AXELLA

VICINIAM maris lacuſque habet, & Abbatiæ Terhagiæ Bernardinæ femin. per Margaritam Secundam Conſtantinopolitanam inſtitutæ, nundináſque Auguſto & Octobri annuas. Caput eſt Ambacti fertilis. Ciuilium bellorum fructus anno 1452. percepit: quum à Gandenſibus munita, à Philippi Boni Gandẽſes oppugnantis militibus direpta fuit atque vſtulata, quia Gandaui inopiam clanculum iuuare inſimulabatur: incolarum & accolarum impenſis pòſt reſtituta, & hoc ſacro inteſtinoque Flandriæ bello vallis præſidioq; tam armata, vt finitimis ſit formidoloſa. Fuit olim cognomentum, & ex parte caſtrenſe peculium illuſtris proſapiæ, iampridem in Grachtiam & Liedekerciam tranſſcriptæ.

Diſtat Gandano quinque, Hulſto duobus miliar.

OOSTBVRGVS.

A MVNITIONE, Orienti ſoli obuerſa, hoc oppidum nomen accepiſſe, vulgò notum, antiquitatem habere annalibus perſpectum eſt. Cuius meminiſſe hiſtorias mediæ ætatis, Beat. Rhenanus aſſerit. Gandenſes, à quibus direptum incenſumque fuerat, agro per aggerem marinum inciſum repentè inundato, ad annum 1384. deprehenſos, huius oppidi ciues in vltionem oppreſſerunt. Cum Ambachto, cui nomen fœnerauit, valde fertili; hinc Caſantiæ inſulæ aſſidente, illinc Vliſſingæ ad Breskinam & Nieuwerhauum oppoſito, circumcingitur vndis reciprocantibus. Emporio, vel ante

Brugam

Brugam cognitam frequenti:nundiniſq; adhuc non obſcuris menſe Auguſto,annuatim recurrentibus.

Diſtat Bruga quatuor miliaribus.

MIDDELBVRGVS.

OPPIDVM eſt Liuiæ proximum, atque recens. A Petro Bladelino, Feurnēſibus oriundo equite, anno 1446. foſſis, portis, valliſque circumducebatur: qui, Middelburgi dynaſta, Philippo Bono, eiuſq; filio œconomiæ magiſter fuit, Conſiliarius, & Ærarij aurei velleris Præfectus. Ædificati illic prætorij non contēnendi auctor, & conditi collegij canonicorum: ſcriptoq; hærede Carolo Bellicoſo, quum liberis careret, ante aram templi maximam illic ſepultus eſt. At muris hoc oppidū exutum fuit deſtructumq; anno 1488. à Brugenſibus, Maximiliano Cæſari obluctantibus: Ibi videre eſt, vti in ceteris ferè omnibus Flandriæ oppidis, cœnobium Franciſcanum femineum: cuius inſtituti mulieres euocantur ad ciues domi ægrotantes, ſeruitio ſuo refocillandos. In proximo eſt Abbatia Zoetendala, quod dulcem vallem denotat, canonicorum Regul. virilis, anno 1215. erecta: atque Caſtellum, cui Leeſta ſiue Forma calcearia nomen eſt, eiuſdē familiæ Bladelinæ opus, in qua neutrū diu permanſit: hoc enim ad Matthiam Laurinum pertinet: illud Caroli Bellicoſi dono anno 1476. (qui à morte Bladelini quartus erat) deriuatum eſt ad Gulielmum Hugonetum Cancellarium; perque eius ſobolem ad gentem Hameſam ac Ongnieſam.

Diſtat inter Aerdenburgum atque Damum breui interuallo, vnde fortè nomē Middelburgi induit.

ECLOA,

ECLOA, CAPRICA, LEMBECA.

TRIA oppidula ſunt inter ſe contermina: linearum telarum opificiis, & frequenti mercatu, cęliq; temperie non ignota. *Ecloa* imprimis (quod Altiuſculum quercetum ſonat) vico longo atque lato ſpacioſa, ac trito regioque itinere, & repotiis, Bruga Antuerpiam aut Gandauum tranſeuntium; xenodochioque, ac ſubinde ludo celebri literarum frequentata. Magnum fecit anno 1452. diſpendium à Picardis (ſic enim Philippi Boni, quum in Gandenſes pugnaret, omnes milites Gallici idiomatis vocitabantur) direpta atq; inflammata: quod ſuſpecta eſſet commeatus clàm & ſæpè Gandauum miſſi, claſſicumque æris campani ſonaret, quoties latrones illos, quo nomine Plautus pro militibus vtitur, aduentare ſentiebat.

Diſtat Ecloa à Bruga quinque, Gandauo tribus, Antuerpia circiter vndecim miliaribus.

HOVKA, MVDA, MONIKEREDA, LOMBARSIDA, MARDICA.

HÆC oppidula, quamuis duo poſtrema, & inter ſeſe, & ab aliis præſertim, procul diſparentur; tamen hîc ſimul coaceruantur: tum, quòd omnia maritima ſint; tum, quòd pari ſtragi inuoluta: olim quidem non infrequentia, propter Oceani, & piſcationis lucra: nunc autem oppidorum nomen & priuilegia adhuc retinent, cadauera referunt, tenuiumque vicorum faciem, & dignationem vix merentur. Tria prima inter ſeſe vicina, vbi omnis generis piſcium marinorum, malorum nauticorum, picis, ſalis, frumenti celebres mercatus erant; à Bruga Sluyſáque (interueniente ab hoſtibus, præ-

ſertim

ſertim Anglis, incendiorum clade, velut abſorptæ ſunt. *Lombarſida*, à Nieuporto (cui ad Orienté proximè incumbenti, portum olim ſuum vendidit) ſuppreſſa, & ex empto, principe vendente, poſſeſſa. Denotat Longobardorum Idam: Ida verò ruſticam tuguriorum ad piſcationem maritimorũ compagem: qualem eo nomine videre eſt mille paſſ. à Nieuporto, Occidentem verſus, Ooſtdunckercæ pago Feurnenſi. *Mardica* verò, à fama aggeris fortè nomen adepta, magna vetuſtate, portuq; olim famigerato fuit, qui iampridem ſabuleti copia turgeſcit. Valde huic loco nocuit Dunkercæ & Greuelingę, quibus interiacet, vicinia ac incrementum.

BLANCOBERGA

ANTIQVITVS *Scarphoutum* dicebatur: quod maris proteruia, anno 1334. diſperdidit, non ſecus atq; Teſtreepũ, iuxta Ooſtendã. *Poſtea* à candore tumuli arenarij & littoralis, cui inſidet, aliud nomen auſpiciumq; comparauit. Stationẽ maritimã habet & piſcationem copioſam. Appulit huc anno 1489. in quadrageſimã & capta fuit ingens balena. Hîc eccleſiæ curio paſtorq; fuit Iacobus Meyerus, quũ opulentiſſimi ſacerdotij ſplẽdorem promereretur: defunctus eo munere atque vita Brugę, ſexagenario maior, ad annũ quinquageſimũ ſecundũ ſupra ſexquimilleſimũ: quãuis Bodinus in ſua hiſtoriæ methodo perperã aſſerat Meyerũ vixiſſe ſcripſiſſeq; (Cominçi coëtaneũ) Ludouici XI. Gal. regis tẽpeſtate: quod annotandũ exiſtimauimus, non vitilitigãdi, aut doctiſſimi viri reprehendendi cauſa; ſed chronographiæ admonendæ. Aſſidet Blancobergæ pagus *Wikerca*, dynaſtia, & pridem cognomen nobilis gentis, aurei velleris ornamento illuſtratæ.

Diſtat inter Ooſtendam, Sluuſamque pari ferè trium miliarium hinc inde interuallo.

OOSTEN-

OOSTENDA.

NOMEN elicuit à termino ſoli Orienti oppoſito: quum è diuerſo pagus ad Nieuportum & Occidentem vergens, Weſtenda nominetur: Tecta ferè eius omnia ſunt arundineo tegulo obducta: diues tamen eſt portu breui, copioſa piſcatione maris, alecumque ſalſilagine & mercimoniis. Sturione recens capto, donatoque à magiſtratu Carolo Bellicoſo primitus oppidum ingreſſo, mutuoque iureiurando ſeſe atque ciues deuincienti, magnam ab illo, hilariſſimè accipiente, gratiam iniit, exquiſitum à templi paſtore, oblatę ad oſculandum Euchariſtiæ, honorem renuente modeſta animi demiſſione. Sacro hoc Flandriæ Belgiiq́ue bello tam eſt inſtructa vallis, propugnaculis, agroque ſuburbano per maris incilia, de induſtria interſecta, impedito, ac ad obſidendum importuno, vt ſit totius Flãdriæ noxa, atque ſpelæum, non ciuium culpa oppreſſorum; ſed ibi poſitorum in præſidio exterorum. Philippi Alſatij tẽpeſtate captus hic piſcis fuit monſtroſus, quadraginta pedum longitudine, roſtro aquilino, criſta gladiata; & formidoloſo ſecuturæ Flandriſq́ue calamitoſæ inundationis oſtento; octo Balenæ, alto æſtu & procelloſo huc appulerũt anno 1403. duodecimo die Nouembris, ſeptuaginta pedes longæ, emorientes in littoris ſabuleto ob Oceanum refluentem: quòd inflatè reciprocantis pelagi inſecuta ſubitò tranquillitate, prægrandium caudarum flexibus eluctari ex arena, fugámque in altum moliri, multo gemitu fruſtrà conarentur, circumfuſis populis prædę atque ſpectaculo: tanta altitudine & craſſitie, vt per ſcalas aſcendi, exoſſariq́ue ſecuribus opus fuerit; tantaq́ue pinguedine, vt vigintiquinque vaſa ſingulæ adipe impleuerint, atque ingentia oſſa celebribus

bribus

bribus in locis ſuſpenſa, miraculo fuerint. Ornatur Cornelio Muenicxo Iuriſconſulto, Concilij Mechlinienſis pridem Senatore.

Diſtat Bruga quinque miliaribus.

HARLEBECA.

RES humanas æſtuaria quædam & ludibria eſſe vicis ſortiſque mundanæ vel hoc oppidum atteſtatur: tantæ vetuſtatis atque olim dignitatis, vt Balduini Ferrei, primi Flandriæ Comitis maiores, hinc ſibi primarium honoris titulum, annis abhinc octingentis, aſſcripſerint: dicebantur enim Harlebecæ Comites, vt vulgus annalium aſſerit, certè domini: nam Comitum titulus rariſſimo in vſu illis temporibus, & regionibus; neque tam protritus erat, vt talibus locis attribueretur. Ceterùm qualicumque inſcriptione fuerit, hoc conſtat, Liedericum Harlebecanum eiuſque poſteros, ad Ferreum vſque, Harlebecæ dynaſtas & fuiſſe, & audiiſſe arcem & domicilium ibi fixiſſe, ſepulcrum elegiſſe. Sunt enim illorum tria ibi ante chorum primarium conditoria, humilibus ſaxis obtecta, epigraphe detrita. At Balduini Ferrei ditione potentiáque tátopere augeſcente, decreſcere & iacere cepit: atque ad annum 988. à vicinis Curtracenſibus, Principi Pulcrobarbo reluctantibus, clàm noctuque intercepta, & cum arce temploq; exuſta, ferè interire: eiuſq; cladis veſtigiis nunquam abolitis, direptionibus, nouiſque incendiis à Gandenſibus (Philippi Boni aduerſariis) fuit diſſipata, ciuium propenſione reparata, cicatricibus ſemper conſpicuis. Locus hic illuſtri ad annum 1381. conuentui delectus fuit, ad Gandenſes Malano reconciliandos: in quo Princeps ipſe, omniumque Flandriæ oppidorum primarij magiſtratus, & Gandenſium deputati, cum Brabantiæ, Hannoniæ, Leo-

diiq́ue legatis interfuere, concordiámque inierunt, à Gandenſibus, legatorum ſuorum acta improbantibus, ſubitò diſſolutam. Situm eſt hoc oppidum ad Lizam, ornatumq́; Burggrauiatu, annuis Septembri nundinis, & canonicorum collegio, temploq́ue, cultui Seruatoris conſecrato, perquam vetuſto: cuius nimirum initia ad Liedericum Harlebecanum deducuntur, qui anno 808. communi luce priuatus eſt. In quo ad annum 1294. ſexto idus Februarij rigidiſſimo in gelu duæ philomelæ cecinerunt ea anni parte melos rariſſimum, fortè portentoſum: ſtatim ſubſequentibus ingenti Cometa, Guydi Principis captiuitate, belliſq́; diuturnis ac pernitioſis.

Diſtat Curtraco vnius miliaris interuallo.

THIELETVM.

TILETVM, in Flandriæ propemodum vmbilico äëre ſalubri eſt: linificio frequenti, atque quęſtuoſo: xenodochio neq; inopi, neque ineleganti, cum cœnobio Franciſcano femin. ; nundinis Septembri annuis. Quum anno 1402. menſe Martio, huius oppidi ciuis & incola Alexander Spierincus, Margaritæ tertiæ eiuſq́; viro Audaci à conſiliis, ſupremuſq́ue Flandriæ Baiiliuus quendam capitis damnaſſet, à reo morituro, iniuriámque ſibi fieri äſſerente, vt intra octiduum, Dei conſpectui ſeſe & iudicio ſiſteret, citatus eſt. Octauo die, quum pila Tileti luſiſſet, inter confabulandum, Eram, inquit iocabundus, ab illo reo intra dies octo vocatus ad Dei tribunal. En dies octauus adeſt, & me ſoſpitem adhuc conſpicitis: Vix hæc locutus, ſubitò incidit in morbum tam præcipitem & exitialem, vt ante octaui illius diei & vadimonij terminum, vitam finierit. Quod exemplum neque ridiculum eſt, neq; Ferdinando quarto Caſtellæ, Petro Ceremonioſo,

Arragoniæ regibus & Franciſco Britanniæ Duci ad eum modum citatis, extinctiſq; incompertum: neque magiſtratibus aſpernandum, aut obliuiſcēdum, & inſontiũ preces non obſcurè exaudiri manifeſtat.

Ornatur Iudoco Raueſteyno, Theologiæ Doctore Louanij, eiuſdemq; Academiæ ſubinde Rectore: ſcripſit aduerſus Catheciſmum confeſſionis Auguſtanæ, Antuerpiæ editum. Petro Simonio in eadem academia Theologiæ Doctore, Epiſcopo Yprenſi, perquam laudato: eiuſque gentili Guilielmo hiſtorico: Petro Pantino: qui ſacros hymnos publicauit: Cuius agnatus Guilielmus Pantinus fuit diu Brugæ medicus celebritatis non inferioris, quàm Guilielmus Bernartius Tiletanus, Louanij medicinæ Doctor, quem ſcholaſtici, ob vultus morumq; grauitatem & integritatem, Catonem vocitabant.

Diſtat Gandauo & Bruga circiter ſex miliaribus.

ROVSSELARA

ROVLAEAM Galli vocant. Ornatur Burggrauiatu: non eſt exigua magnitudine, neque forma, neque fama: ob pannorum lineorum, ſingulis ſeptimanis, annuaſq; in Septembri nundinas, valde quæſtuoſa eſt: per fluuium Manderam iuxtim ortum, perq; Iſeghemum & Englemonſtram, Lizam, ad Wackenum ingredientem, ſubuectiõnes Lizæ conſecuta. Spectare hoc oppidum ad Ducem Cliuenſem, in propatulo eſt: ex hæreditate nimirũ agnati Philippi Raueſteynæ reguli: ad quem cum Thorhouto, Winendala, & Breskina aduenerāt ex Mariæ auiæ paternæ (Ioannis Digeonij filiæ) Adulpho Cliuiæ Duci nuptę, illiſq; locis dotatæ ſucceſſione. Qui Philippus templi hîc curialis feneſtras nobiliſſimis proſapiæ ſuæ tam paternæ quàm maternæ regiæ Luſitanicæ inſignibus depictis, cohoneſtauit:

uit: non incelebris in noſtratibus, Gallicis, Italicisq; hiſtoriis: tum propter Sluuſenſium arcium, Brugenſiumq; contra Maximilianum Cæſarem (pro quo Brugenſibus ſpoponderat) infauſtam Flandris protectionē: tum propter exercitus Lesbum & Mitylenas illic in Græcia fruſtra obſidentis, ac Genuæ præfecturam, auſpiciis Ludouici duodecimi Gall. Regis conſobrini.

Diſtat Curtraco & Dixmuda pari ferè quatuor miliarium ſpatio.

THORHOVTVM.

A Silva Thoraldi Teutonum regis, quem Gaſſarus ſeptingētis ante Chriſti natalem annis regnaſſe ariolatur, denominatū quidam aſſerunt, apud quos veri periculum ſit. Antiquiſſimum eſſe vetuſtiſſimi emporij fama & annales noſtri aſſeuerant. Collegium habet canonicorum diui Petri, cœptum anno 1073. auctore Roberto Friſio: xenodochium, annuáſque menſe Iunio Iulióque nundinas. A Thorhouto ferè Gandauo tenus multa ſunt gremia diuerſorum ſtagnorum piſcoſorum. In proximo eſt illi arx VVinendalæ, à Roberto Friſio ſtructa ad venationes aprorum ceruorúmque, in ambiente nemore ampliſſimo: eiúſque & ſucceſſorum oblectamentum: quam Philippus Raueſteynus ſplendidiſſimè excoluit: cui ſubeſt terrenum quatuor pagorum; multarúmque clientelarum.

Diſtat Bruga quatuor miliaribus.

MENENA

Meninas Galli vocant. Non ignota eſt ob Lizæ præterfluentis opportunitates, & ibi pontem ſublicium penſilémque, aurigis bigas aut quadrigas, mercibus onuſtas, dirigentibus, quod noſtris *Menen*, Latinis Minare dicitur; tritiſſimum, foſſáſque iam pridem circumductas, atque ob lanificij & cereuiſiæ ibi coctæ, totámque ferè per Flandriam expetitæ, pinguiumq; caponum (vt gulonibus aliquid demus) celebritatem, annuas nundinas menſe Octobri, molámque granariam, procurato Lizæ impetu circumactam, tanti prouentus, vt ex eius elocatione ſex mille floreni ad principem quotannis redire ſueuerint. Porrò hoc ſacro & internecino Flandriæ Belgiiq; bello ciuilium diſtractionum velut claſſicum erat: quòd inopinatò à Gallis Belgicis occupata, iiſq; erepta ſit & permunita. Græcæ Latinæque literaturæ frequentem ſcholam hîc aperuit Petrus Megangus. Eſt in collimitio Gallo-Flandriæ: & hinc diſſidet ad dextram Lizæ ripam, quadrante circiter miliaris, *Halewinum*, arce, panniſicioq; luculentum in Gallo-flandria, illuſtris potentiſq; familiæ cognomentum, & pridem Caſtrenſe peculium, iam ad Carolum à Croya, Principem Chymaium deriuatum ex materna hæreditate.

Diſtat Curtraco duobus, Lila tribus miliaribus.

WERVYCA

Viroviacvm, in Antonini Pij Itinerario (quod, licet antiquiſſimum, Chriſtophorus Longolius videtur primus in lucem typographicam edidiſſe) denominatur. Commendatur vetuſtate, ſitus ad Lizam accurrentem opportunitate, templi venuſtate, nundiniſq; annuis menſe Auguſto.

guſto. Opulentiam illi ex pannorum laneorum textrinis magnã Froiſſartus hiſtoricus attribuit: quum à Gallis Malani auxiliariis anno 1381. diriperetur atque deflagraret. Cui ſtragi aliæ pòſt acceſſerunt. nam incendium fortuitum anno 1440. ædes ſupra mille abſumpſit: & aliquot poſt annos Veſpillones peſti curandæ adhibiti, amplius quàm mille ciuibus pro remedio venenum contagiumq́; , pro vita necẽ porrexere, non impuniti. Ornatur Guillielmo Lapidano, Philoſopho. Scripſit methodum dialecticam.

Diſtat Meeſſena duorum, Menena vnius milia- ris ſpatio.

WAESTENA.

VARNETONA à Gallis vocitatur, non obſcura propter ſitum, & viatorum inter Ypram Lilamq́; frequentationem, atque Lizæ appellentis, nauibuſq́; ſæpè conſtrati, emolumenta, ob lanificij quęſtum, Abbatiam canonicorum regul. virilem, arcemq́; Bailliui habitationem. Illuſtratur ſepulcro Roberti à Flandria, Caſletani: erecto Ioannæ vxoris eius, Arturi Britanniæ Ducis filiæ natu maximæ, propenſione. Per quorum filiam hæredemque Yolanthidem, hoc oppidum cum caſtellania in Barenſem familiam matrimonio tranſiit: Hinc ad proſapiam Naſſauiæ Comitum per nuptias acceſſit. Ornatur Chriſtiano Maſſeo, quem hîc natum Iacobus Meyerus cenſet: quamuis ſe ipſe inſcribit Cameracenatem, ob eius vrbis in qua ſcholæ luculentæ diu præfuit, celebritatem. Edidit Chronicorum multiplicis hiſtoriæ, vtriuſque teſtamenti libros viginti.

Diſtat Ypra duobus, Lila tribus miliaribus.

CASTELLANIA WAESTENIA Lizæ intercurſu irrigua, pagos quindecim continet: in quibus

ſunt *Zoeterſteda*, arce olim munitiſſima, & Mareſchalco hæreditario Flandriæ ornata, gentis Etourmellæ: *Wuluerghemum* gentis Wytſę: *Coudenhemum*, Mourbecæ.

MEESSENA.

MESCHINAS Galli nuncupant. Cuius initia etymumq́; veſtales Meeſſeniæ, ex antiqua traditione referunt ad tres puellas, quas vernaculè *Meiſen* nominamus, eximiæ pietatis & caſtimoniæ prodigiis, ſub Balduino Lilano celebres, ibi conditas, habitaſque in honore. Vbi etiam annales ferunt Dulciam mulierem coniugatã anno 1347. famigeratam fuiſſe, quia aliquot annos omni cibo potuq́;, nullius fraudis comperta, abſtinuerit; præterquam Euchariſtiæ, cœnæq́; Dominicæ. Obſcureſcere nequit hoc oppidum propter Abbatiæ Benedictinæ femineæ, ab Adela, Roberti Gall. regis filia, Balduino Lilano nupta, fundatæ anno 1065. largiſque prouentibus auctæ, nobilitatem: quam etiam oppidi dominatu, ſuoq́; domicilio, & ſepulcro exornauit. Ciues pannorum laneorum textrina quęſtum atque famam acquiſierunt: nundinis menſe Octobri annuatim recurrentibus. Ornatur Guilielmo, antiqua familia Meeſſenenſi, dignitate Patriarcha Hieroſolymitano, tẽporibus Roberti Solymi: Matthæo Ryco, medico: Iacobo Cruquio, literarum humaniorum publico Brugæ Profeſſore; qui ſcripſit in Horatium Commentarios, eorumque in præfatione, vrbis Brugenſis Encomion: Carolo Liebardo, Theologo & Poëta.

Diſtat Ypra & Bella duobus miliaribus.

ALDENBVRGVS.

SIc enim pro Audenburgo vernaculo in archiuis Latinis vetuſtioribus inſcribitur: ex Germanico idiotiſmo eiuſdem notationis, antiquitatem ipſo nomine præferentis. Pro comperto habetur ab initio fuiſſe oppidum primæ notæ in Flandria, ac à Balduino Caluo, ad annum 865. Burgum Brugenſe, quũ à Patre eius muniri cœpiſſet, lapidibus cinctum eſſe ex Aldenburgi ruderibus, Hunnicæ ſub Attila ſæuitiæ teſtibus: Nam vt canit Sidonius Apollinaris: *Terrificis diffuderat Attila turmis In campos ſe Belga tuos.* Abbatiam habet D. Petri Benedictinam virilem, fundatam anno 1084. per Arnulphum Epiſcopum Sueſſionum, aſſenſu Roberti Friſij, donatum ſibi à Conone cubiculario ſuo, templi Audenburgici patrocinium tradentis Rabodoni Nouioduni, Tornaciq́ Epiſcopo, illud poſtea in Arnulphum illum transferenti. Non deſunt hîc xenodochium, nũdinæ Ianuario & Februario annuæ, & prælabentis Ipreleti commoditates.

Diſtat Ooſtenda duobus, Bruga tribus miliaribus.

GHISTELA.

GHISTELA illuſtris domus, cui pridem parebat, cognomentum, nuptiis tranſiit in familiam Bethunienſem, atque Luxenburgiam, vnà cum Brugenſi telonio, Ghiſtelæ dynaſtis attributo, vt eo velut auctoramento, Oceanũ Flandriæ affluentem, piratarum expertem ſeruarent. A Comite Briennæ, Gallo, vt ſe faciliùs captiuitate redimeret, in quam anno 1544. inciderat, vẽdita fuit Ioanni Carolo Affaitado, patricio Cremonenſi, qui Antuerpiæ negociabatur. Opificio Sayarum, quibus

Ghiſtellenſibus nomen, ſpectabili dynaſtæ caſtello, nundinis menſe Nouembri annuis, agroque fertili commendatur, non minùs quàm aſſidenti Abbatia Benedictina feminea, dedicata memoriæ D. Godelieuæ, quod nomen Theophilam ſignat, anno 1070. hîc ſtrangulatæ per duos ſeruos domeſticos, ceruici faucibuſque eius mantile intorquentes; auctore Bertulpho marito, clari Ghiſtelæ generis, à matre, nurui infeſta, irritato in vxorem, Lonfordia ſtirpe nobilem formoſamque, ſed comendi & illecebrarum negligentem, pietatiq; in Deum, charitati in egenos nihil præferentem: cuius vitam exitumq; perſcripſit Drogo monachus & ſacerdos, id temporis Ghiſtelanus. Atrocitatem verò illam Bertulphus in eximiam reſipiſcentiam, cutiſq; loricatæ caſtigationem in diui Winoci Bergenſi Aſceterio fertur conuertiſſe. Nomine Iudoci à Ghiſtela, equitis clariſſimi circumfertur typis editum Itinerarium Hieroſolymitanum, varium atque amplum linguæ vernaculę: quem Goropius Iuſtum Ghiſtelenſem vocat, eiuſq; teſtimonio oculato vtitur, vt doceat montem, vulgò Sinai dictum, nulla aquarum penuria laborare.

Diſtat Ooſtenda duobus, Bruga tribus miliarib.

LOA.

LOA, cum Ecloa, Calloa, aſſimilibuſq;, olere quibuſdam videntur Latinæ vocis, *Colonia*, reliquias atque teſtimonium: alij eminus hoc petitum, originemq;. Germanicam eſſe exiſtimant, à *Lò*, quod locum altiorem notat, ſtagnis aut torrentibus adiacentem. Celebrem hîc olim mercatum fuiſſe, via lata, rectaq; agnominis, quæ à Stegra huc ducit, indicat. Portas adhuc lapideas habet ad Orientem & Occidentem ſolem cum foſſis oppidum ambientibus. Altera pars oppidi, ſpectans Septem-

Septemtrionem, Præpoſituræ ibi Abbatiæ canonicorum Regul. virili, inceptæ anno 1050. ſubiicitur: præcipuæ dotationis initio orto, vt ex archiuis illius cœnobij palàm eſt, per Philippum Ypræ Burggrauium, Roberto Friſio natum, eiuſque filium Guillielmum Yprenſem: qui Eccleſiæ Loenſi dederunt terram (vt ipſorum verbis vtar) præconis, Comitatum, Stallum totius oppidi, telonium, exactionem, cunctumq; ibi ius ſuum ſeculare, exceptis gladio & moneta: vt manifeſtum eſt ex diplomatis Caroli Pij & Philippi Alſatij, Flandriæ Comitum: illius, datis anno 1122. huius, anno 1181. confirmantibus eam, quam dixi, munificentiam eiſdem illis verbis. Vnde & apparet nondum tunc extitiſſe habitatam eam oppidi partem, quæ Meridionalis eſt, potiſſimaque Principem Flandriæ reſpiciens: & mirum videtur Comitatus dignitatem fuiſſe iis temporibus tam triuialem, vt oppidulo nullam habēti foris iuriſdictionem, cingitur enim à Feurnenſi Caſtellania; nullam domi amplitudinem, attribueretur: niſi ille titulus magis ad poſſidentium, qui ex Flandriæ Principibus emanabant, quàm ad poſſeſſionis magnitudinem referatur. Indidit nomen tum fluento, hinc Ypram, illinc Feurnam, Dixmudam, Nieuportum ducenti, atque in Oceanum: tum pago adiacenti, templi Loani communioni, Feurnenſis Ambacti tribunali, obligato: vbi imprimis comprimuntur, veneuntq; caſei præcipuæ notæ ac celebritatis, Parmenſibuſque lautitiæ gloriam cedere dedignantes, *Nieumolkini* vocitati; quòd ex recenter emulcto vaccino lacte, cui cremor non eſt detractus, coaguleſcant. Nundinas annuas habet menſe Octobri, & *Seneſchalkiam*, multorum feudorum matricem, in iiſque ſolummodo nundinis Bailiui munus Loæ exercentem, quæ gentis Pollinchouæ eſt. Ornatur Iacobis Bud-

 ſino,

ſino & Claiſſo, quem Paulus Leopardus Nicoleon & doctiſſimum vocat, Iuriſconſultis multarũ diſciplinarum peritis, eorumq; propinquis Rolando Arnoldoque Zegherſtapliis, & Carolo Claiſſo fratribus literatis: illo Feurnæ, his Bergæ conſularibus.

Diſtat Feurna, Dixmuda, Honſchota duobus miliaribus.

HONSCHOTA.

HVIVS loci etymon ex canum venaticorum, aut ſtabulo, vti Petrus Nannius ad Leopardum ſcribens, κυνοικοιτὴν Græcè, Honſcotam nominat, aut pullulante cremento, aut tributo, velut Cynegium, elapſum eſt: neque enim auſim huiuſmodi nominum originationes ad certitudinis libram appendere. Oppidum vulgò habetur, inſcribiturque, ſed reuera pagus eſt, collationibus à Principe Bergenſi caſtellaniæ indictis, ſubiectus: à cuius tribunali nõ eſt auulſus, ante annum quadringenteſimum trigeſimum, ſupra milleſimum: quo tempore Philippus Bonus in Compendij obſidione, pecuniæ modicus, Ioanni Hornio, equiti, dynaſtę loci, vendidit quater mille florenis meri imperij, gladiiq; poteſtatem. Vbique innoteſcit per totam ferè Europam textoriis officinis tenuium pannorum laneorum, quas Says & Sayettas vocant: quibus conſignandis plumbo, & internoſcendis, à Malano ad annum 1323. ſigillum impetrauit. Tanta ibi fuit, ante hoc ſacrum & incendiarium Flandriæ bellum, frequentia ædium, populique radio telas percurrentis, incilia calcantis, pedibusque argutantis, & textrinæ fila, cannas præparantis, vt pluſquam viginti incolarum milia illic inuenire fuerit. Magiſtratus cura & induſtria ſingularis eſt, egenis pueriſque adiuuandis, & ab ocio, publicoque mendicabulo, ad laborem quæſtum-

quæſtumque adhibendis. Cœnobia habet Crucigerorum Trinitatis viril. & Franciſcanum femin. atque nundinas hebdomadales binas, & circa ferias Pentecoſtes, annuas. Adiacet illi toparchia luculenta Præpoſituræ Donatianæ Brugenſis: riuo, cui pons lapideus inſternitur, & iuriſdictione diſtincta, ſacrorum templique communicatione vnita. Erat quondam nobilis familiæ cognomentum hærediumq; iampridem ſpectans ad gentem Horniam Gaſebeciam.

Ornatur Iacobo Nauarcho, qui ſcripſit epiſtolam Aſiaticã de ſectis in religione Orientaliũ populorũ.

Diſtat Feurna & Berga duobus miliaribus.

POPERINGA

PVPVRNINGAHEMVM antiquitus, nunc *Poperinga* vocatur. Lanificio textrinaq; pannorum laneorum tam denſorum, quàm leuidenſium & villoſorum, quas Poperingias Baias dicunt, & ſelectiſſimi lupuli ſalictarij, qui cereuiſiæ incoquitur, magna copia quæſtuque celebratur: non minùs quàm tribus templis curialibus, vicis ædificiiſque ſpectatu dignis, xenodochio, & nundinis annuatim in Aprili reuertentibus. Stragem vicinis incumbentem anno 1382. non euitauit, à Gallis Malano opitulantibus, Britonibus præſertim, flammis atque cedibus fœdata: quum duos ante annos ſeſe Iprenſium ſubſidio viriliter protexiſſet, aduerſus arma inſultúmque nobilitatis indignabundæ, quod Iprenſi factioni eſſet illigata. Ciuium impenſis citò reſtaurata fuit. Agnoſcit dominatum Abbatiæ Bertinicæ, ex donatione Balduini Securiculę, vetus Walberti Arkenſis, potentis reguli, & in monaſterium illud profuſiſſimi, beneficium confirmantis.

Diſtat Ipra duobus miliaribus.

BELLA.

HANC alij *Belgiolum*, alij frequentiùs *Balliolum* cum Gallis nuncupant, non obſcuram, ob vetuſtatem, celebrem textrinam, tincturamque pannorum laneorũ: annuas menſe Septembri nundinas, & viciniam Prioratus Antoniani, pauculis ab hinc annis euecti, aut aggeſti in Abbatiam D. Ioannis Teruanenſis, Benedictinam virilem. Aſſidet illi dynaſtia Bellæquintę, gentis Vaſqueſæ, Luſitanis oriundæ. Sueuit alendæ ad diſciplinas Latinas ſcholæ diligenter prouidere, Ioanne Lottino vrbis tutore, eam curam non negligente: cuius germanus Petrus, terræ Francę ſcabinus, hiſtoriam reparati generis humani explicare meditatur. Ornatur Iacobo Meyero, Flandriæ hiſtoriographo, fidei & induſtriæ præclaro, annales ſuos poſthumos (ſollicitudine & ope Antonij, ex fratre nepotis, editos) finiente, anno ſeptuageſimo ſeptimo ſupra quadringenteſimum milleſimum, exituq; Caroli ante Nanceium trucidati: Franciſco Torrio medico & Poëta: Iudoco Courtewillo, equite Calatrauæ, primario arcani concilij ſecretario: Guilielmo Cornhuſa, & Franciſco Roſa, Iuriſconſultis conſiliariis.

Diſtat Ypra tribus miliaribus, Lila quatuor.

CASTELLANIA BELLANA, pagos decem habet, ſupra quatuor quos vocāt angulos, à totidem mundi cardinibus denominatos: In quibus *Eeka*, gentis Bellæ: patria Wulmari Bernardi Iuris Doctoris Louanij, eiuſdemq; academiæ ſubinde rectoris: *Caeſtra*, Thienneſæ: vbi non minùs quàm Gandaui, Brugæ, Ypræ, Slipæ domum, opeſque non exiguas poſſidēt hoſpitales Ioannitæ, quos pridem Rhodios, nunc Meliteos commendatores vocant. *Nieukerca*, quod Neoclеſiam ſignat, gentis Egmondanæ: decorata

rata ludo literario idiomatis Græci Latiniq́ue, impenſis incolarum inſtituto: tam feraci hominū eruditione præſtantium, vt multi inde clariſſimi prodierint: interq́ue eos Iacobi Martinius, Heſſeliuſq́; indigenę: quorum vterque ad equeſtrem dignitatem, & ille ad præſidis, hic ad primarij in ſenatu Flandriæ, conſiliarij munus illinc emerſerunt doctrina induſtriaq́ue. *Drenoutra*, dynaſtia Caroli quondam à Mourbeca, Græcè Latineq́ue docti, artritidiſq́; dolores lenientis, herbarum, piſcium, auium, lapidum naturis in Flandria cognoſcendis, & per domeſticum pictorem exprimendis. *Bertena*, vbi maxima pars montis Cattorum, in vertice geſtantis binas molas, alteram oleariam, alteram frumentariam. *Nipkerca* Ermentieræ cis Lizam proxima, ac ornata Prioratu gregis Benedictini opulento, & Henrico Vicquo, Ooſthouio, Iuriſconſulto, Bergæ conſulari, qui ſcripſit de Chriſti deſcenſu ad inferos. *Bellam* cum terreno, Margarita Conſtantinopolitana dedit Ioanni, ex filio Ioanne Dampierro, nepoti: in ſolutum bis mille librarum Pariſicarum patri, in ratam hæreditatis maternæ addictarum annuatim. Illinc emptam patruus Guydus Flandriæ Princeps donauit Guydo Namurcenſi, ſuo ex ſecūdis nuptiis filio, Rikeburgi domino; cuius morte abſq; liberis extincti, ad Flandriæ Comites perpetuò rediit.

STEGRA.

GALLI Eterram vocant. non ignoratur propter Lizæ alluentis, & pontis ibi lapidei, valde frequentati, commoditates: nam per Stegram, Caſſletumq́; via regia, vetuſq́; opus vel Romanorum, vel Brunechildis Francorum reginæ, vt volunt chronica Bertiniana, ac multis locis, etiamnum ſaxis compacta, ex Atrebatibus ad mare ducit: vt alia

quæ

quæ per totam Flandriam lapidea dicitur, fuitque magis quàm eſt à Teruana, Treuiros verſus pandebatur. Itinerum verò militarium antiquorum, quæ illic ceu exercitus viæ, *Herſtrata* vulgò dicuntur, ſaxea compages, quum aliis tribui quàm potentibus Principibus nequeat, & noſtris per nullos annales aſſcribatur, probabile eſt, Romanos grandium & mirabilium fabricarum ſtudioſos, talium viarum ſtrata procuraſſe. In Lizæ crepidine arcem habet ſpectabilem validamque, dynaſtæ domicilium. Pertinet ad gentem Stauelam, lanificij quæſtuoſa. Non procul monaſterio virili Crucigerorum Trinitatis, Stegræ, & Ermenteriæ vltra Lizam interiacet *Laleua*, pomifera fertiliſq; regiuncula quatuor pagorum; in quibus Leuentiſa & Gorga; quã, licet iam Arteſiæ ſubcenſeatur, Margarita Conſtantinopolitana, à Couchij domino emptam, Flandriæ annexuit.

Diſtat Ermentiera & Bella duobus miliarib.

MERGEMVM.

VETVSTIVS eſt quàm ditius, quamuis pannificij quæſtuoſum. Communis opinio obtinuit, vt pro *Minariaco* (cuius meminit Antonini Pij Itinerarium, habeatur: a Gallis Meruilla, quaſi minor villa forſitan vocitatur. Situm eſt hinc ad Lizam, illinc ad ſiluã Niepenſem: finitimumque eſt Abbatiæ Belli prati, Bernardinæ femin. ad Lizam ædificatæ. Olim cœnobio Broylenſi ornabatur: cuius Abbas Morandus fuit anno 701. non minùs celebri ſanctimonia, quàm nobilitate: qui Amatum Senonum Pontificem, ab Ebroino magiſtro equitum, ſede ſua expulſum, excepit ibi hoſpitio, mortuumque ſepeliuit, pietatis fama longè inclareſcentem, donec vrentibus Flãdriam Normanis, Duacum tranſmoueretur, & in æde Virginis

nis matris conderetur, eamque indueret ſua nomenclatura.

Diſtat Caſſeto quatuor miliaribus.

HAZEBROVCA.

Finit iam Flandriæ oppidorum mœnibus egétium deſcriptionem, non illuſtris lepos, at ſoli paluſtris lepus, qui *Hazebroucka* nomen induit: vt ſæpè leues, & ridiculæ occaſiones locis nomen imponunt. Fruitur hoc oppidum commoditate riui effoſſi, ductique in Lizam per nemus Niepenſe: in quo Niepa, Borraq; torrentes ſunt, Lizæ incurrentes, & cœnobium Præuenenſe Crucigerorum Trinitatis, & arx regia ampla, valida, prouentuſque opulenti, quàm coluere, ornaruntque ædificiis Robertus Caſſetanus, Mathildis, Philippi Elſatij, & Iſabella Philippi Boni viduæ. Linearum telarum mercatu frequenti eſt, atque copioſo, nundiniſque annuis menſe Iunio. Aſſidet illi *Mourbeca* pagus, ſuorum dinaſtarum prætorio genere, captoque in prœlio apud Pictones Ioanne Gallię Rege, Anglis victoribus, nobilium celebritate illuſtris.

Diſtat Caſſeto duobus miliaribus.

De tribus Ordinibus, ſiue Statibus.

Antiqvvm & vſitatum eſt publici concilij corpus, ex lectis totius regionis viris conflatum, cogi vt reipublicæ proſpiciatur, quoties Princeps vel ætatis, vel mentis imbecillitate, vel captiuitate non eſt potens regni adminiſtrandi: vel vbi principatus generali cenſura indiget: vel bellum ſuſcipiendum, aut deponendum eſt: vel pecunia vniuerſo populo irroganda. Et licet in

in ea multitudine plerumque ſententiis certetur, tamen ex diſſimilibus iudiciis, velut ex diſtinctis ſonis, concentus harmonicę proportionis efficitur, reipublicæ ſalutaris, vbi in eundem ſcopum, hoc eſt, populi vtilitatem collimatur. Illo reipub. firmamento non deſtituitur Flandriæ reſpublica: ſed tria genera, ſiue Ordines complectitur, qui *Status* vocantur: quia in illorum auctoritate conſiliiſque ſalus publica ſtatuitur, & ſtatis ſubſelliorum ordinibus diſtinguũtur, nimirum: *Sacerdotium*, *Nobilitas*, *Quatuor membra.* Sine quorum aſſenſu, neque pecuniam ſubſidiariam Comites olim exigebant, neque bella ſuſcipiebant. Et populũ quidem hæc libertatis ſpecies, quum tributa poſtulantur, adhuc conſolatur: Principi verò moderatè imperanti, nihil detrahit. Horum autem *Statuum* comitia indicuntur ſcriptis à Principe, aut eius nomine à concilio Flandriæ, literis ad *Antiſtites*, *Optimates*, & *vrbium Magiſtratus*: vt illi nominatim euocati, & Magiſtratuum delegati, præfixo loco dieque conueniant; Comitis, aut eius Vicarij voluntatem audituri, & poſt aliquot dies, vtrinque præfinitos, vbi domi deliberatũ fuerit, reſpõſum relaturi.

De claſſe Status Eccleſiaſtici.

QVVM Flandria Galliis innexa, Conſtantino Magno eiuſq; poſteris paruerit, templa idolorum occludentibus, Chriſtique propalandi cupidis, ſemina Chriſtianæ religionis tunc & antea fuiſſe hîc depacta, non abs re exiſtimatur. Quod annalibus etiam probari poteſt, aſſerentibus, Victoricium Fuſcianumque Morinis Teruanẽſibus Chriſtum annunciaſſe, ac Piatonem, & Chryſolium, illum Tornaci, hunc Cominei, prædicationem Euangelij martyrio obſignaſſe ſub Diocletia-

cletiano Auguſto: qui circiter annum 285. ad Imperium peruenit: neque ambigitur, quin Eleutherius, circa annum 484. Epiſcopatum Tornacenſem adminiſtrauerit: & Agricolaus ex cuſtode Flandriæ genitus, teſte Ioanne Placentino, à Synodo Aurelianenſi in Epiſcopum Tungrorum, ad annum 512. diui Remigij ſuffragio electus ſit. Verùm ſeges boni ſeminis videtur tam aruiſſe, aut delituiſſe, vt eius initia illuſtria, & ex prouentu conſideranda, ad Amandum eiuſque ſocios deducantur. Amandus Aquitanus, Tungrorum; Eligius Lemouix Nouioduni; & Audomarus Conſtantienſis, Teruanæ Morinorum epiſcopi, cum Læuino Scoto Hyberniæ antiſtite, Flandros pro falſo Mercurio (quem plurimi venerabantur) veri ſinceriq́ue Mercurij, hoc eſt, paternæ mentis voluntatiſq́ue interpretis Chriſti cultu imbuerũt, Eccleſiæq́; Romanæ ritibus: atque doctrinam ſuam, Dagoberti Gall. Regis diplomatis ſanxerunt, circiter annum Seruatoris noſtri vnici ſexcenteſimum atque trigeſimum: vnde Flandrorum apoſtoli denominati ſunt. Tanto prouentu ſanctimoniæ, vt multi in Flandria nati, ob virtutum celebritatem, inter cęlites faſtoſq́ue fuerint à Pontificibus Romanis indigitati: in quibus emicant, pręter *Gerulphum* Merendrenſem, *Rembertus* Thorhoutanus, *Arnulphus* Teyghemenſis, *Liebertus* Brakelẽſis, Bremæ, Sueſſionum Cameraci Epiſcopi: *Adelhardus* Hiniſenenſis, *Garenbertus* Wulpenſis, *Theodericus* Laernenſis, Corbiæ, Boenyæ, S. Huberti Abbates: quæ vox Syra, & Eſſeorum monachorum patres denotans antiquitus, nobis parem curam illuſtriori ditioriq́ue ſignat dignitate. Ne verò mulieres hoc albo excludamus, *Graphaildis* Aloſtana, cum filio, & Læuino Scoto, eccleſiaſte, ob Chriſti cultum martyrio nobilitata, & *Godelieua* Ghiſtelæ habitationem, matrimonium, mor-

tem violentam adepta, memoriæ conſecrationem acquiſierunt Ex hac religione, anxioq; ſalutis æternę deſiderio, & hinc orta profuſa liberalitate, ſcaturiit ſumptuoſa magnificentia templorum, amplitudine, feneſtris vitreis, picturis, ſtatuis, veſtibus pretioſis, organiſque pneumaticis (quæ Pipino primùm à Conſtantino Græcorum Imperatore miſſa feruntur) ingentibuſque, in turribus, campani æris vaſis, ornatorum: atque inprimis hierarchia Eccleſiaſtica, varia & opulenta: quæ primam inter Ordines Flandriæ, conſeſſus claſſem obtinet: tum propter dignitatis, tum ob redituum, ex poſſeſſionibus, ac dynaſtiis numeroſis amplitudinem: diſtincta in Epiſcopatus, Abbatias, Præpoſituras, Decanatus, alioſque honores collegiorum canonicalium *Epiſcoporum* nulli Flandria, præterquam Nouiodunenſi, per Ioannem octauum Papam, anno 879. illi aſſcripta, principio addicebatur. At poſtea diœceſes & iuriſdictiones quinque illic Epiſcopi exercuerunt, *Tornacenſis* nimirum atque *Teruanenſis*: ille à Nouiodunenſi diſiunctus, & poſtliminio ſibi reſtitutus per Eugenium tertium Papam anno 1146. Theoderico Alſatio impetrante. Hic *Teruanæ*, vetuſtiq; Comitatus *Alkini* dominatum anno 1156. Ludouici ſeptimi Gall. Regis beneficentia adeptus, & Morinorum Epiſcopum ſemper ſeſe inſcribens. Quibus primaria & latiſſima Flandriæ pars Comitatus titulo inſignita obſequebatur. *Atrebatenſi* Duacum ſubeſt, Ermenteriaque: ad annum 1090. ſeparato à Cameraceno, per Vrbanum ſecundum Pontificem, rogatu Roberti Hieroſolymi, & occaſione de ſucceſſuro Epiſcopo controuerſiæ inter canonicorũ collegium, & Henricum quartum Cæſarem, Vrbano odioſum. *Cameracenſi* Flandria *Imperialis* & *Proprietaria* parebat. *Vltraiectino*, *Quatuor Ambacta* ſubdebantur: quod modico anguſtoque

ſtoque vndarum interſtitio, tunc à Zelandis diſparata per Willibrodum Clementem, Vltraiectinum antiſtitem, qui de ſua peregrinatione librum, ac homilias epiſtolaſq; ſcripſit, circiter annum 691. initiata fuerint ritibus Chriſtianis. Horum omniũ in Flandria poteſtas atque iuriſdictio, vſque ad annum ſexageſimum primum ſupra milleſimum & quingenteſimum perdurauit: quo tempore ſub Philippo Regum potentiſſimo, illis prætermiſſis, & per Pium quartum Papam reſtrictis, ac, quoad Flandriam exauctoratis, *Flandria Teutonica* Epiſcopis, quorum nominatio in arbitrio Flandriç Principum eſt, *Gandaui*, *Brugæ*, *& Ypræ* inſtitutis, ſedeſque collocantibus ſuis cuique limitibus à Pio quarto præſcriptis, obtemperat; præter Aloſtum, eiuſque terrenum, quod Archiepiſcopo Mechlinienſi: Curtracum, eiuſq; Caſtellaniæ magnam partem, quæ Epiſcopo Tornacenſi adhuc: & Caſletani Burburgiiq; tractum nõ exiguum, qui Epiſcopo Santodomarenſi obſequuntur. Epiſcopis aliquot Archidiaconi, plurimique parochialium curionum Decani ſuccenturiantur, & obediunt.

Abbatiarum; vt eas ſuis antea locis ſigillatim ſignatas, in numerum colligamus, de abbatiis templiſque collegiatis Galloflandriç, ad huius libri calcem commemoraturi; *Benedictinæ* viriles ſeptem, femineæ quinque: *Bernardinæ*, cum Clarimareſci, licet in limites ordineſq; Arteſiæ proniore, viriles quatuor, femineæ quindecim recenſentur: *Præmonſtratenſes* viriles tres: *Victorinæ* femineæ quinque: *Claranæ* quatuor: *Canonicorum regularium*, cum eiuſdẽ normæ *Præpoſituris* abbaticis, viriles nouem connumerantur. Quibus alia inferioris gradus, auctorumque variorum cœnobia (vbi locus poſcebat) obiter adiunximus: quãuis minus ad trium Statuum ſymbola ſuffragiaque apertè faciant, quàm ad claſſis eccle-

ſiaſticæ corpus, populumque & optimates concionibus, in iis quæ Religionis & pietatis ſunt, inſtituendos. Quibus omnibus vitæ inſtitutis nomen eſt, vel *Cœnobiis*, à vitæ facultatumq; communione: vel *Monaſteriis*, à puræ vitæ ſolitudine: vel *Phrontiſteriis*, à ſtudio commentationis: vel *Aſceteriis*, à religionis exercendæ officinis: neque *Xenodochia*, & *Noſocomia* annuis prouentibus dotata, prætermiſimus; vt Principum erga peregrinos, inopeſq; ęgros cura & munificentia, non ſilentio iaceat, ſed exemplo ſerpat.

Præpoſituras, aliaſq; dignitates luculentè oſtentant *Collegia Canonicorum*, de quibus à ſeculo nomen nactis, priùs meminimus vbi locus admonebat. Quę ſit autem ibi annuorum redituũ, inter ſeſe inæqualitas, curioſi æſtimare poſſunt ex ea taxatione, quæ Abbis ſexus vtriuſuis, Præpoſitis, Prioribus, Parochis, Xenodochiiſq; anno 1522. imponebatur, in ſubſidium pecuniarium Carolo quinto Cæſari ad bellum Gallicum in Flandria perſoluendum. Ceterùm primarum omnium ſacerdotij functionum dignitatumq; nominatio atque diſpoſitio ad Principem regionis: confirmatio verò & expeditio ad Pontificem Romanum pertinet. Neque Status Flandrię eccleſiaſticus oneribus regalibus, aut vllis ſanctionibus eccleſiæ Gallicanæ vnquam obſtrictus fuit. At ſacerdotibus olim ſiue inteſtatis, ſeu teſtamento facto morientibus, in ſemiſſem, aut (ſi aliis crêdimus) aſſem bonorum mobilium Comites ſuccedebant, vſque ad Robertum Friſium: qui licet idem vſurparet, aſſereretque, ſeſe iure ſuo vtentem, nemini iniuriam facere; ius autem ſuum, antiquo continuoque vſu maiorum ſuorum niti: tamen hoc illis onus remiſit atque ſeruitutem, excommunicationis metu, & Vrbani ſecundi Papæ anno 1091. Roma datis literis, perturbatus, præſertim hiſce earum verbis: *Scire debes*,

debes, Creatorem tuum dixiſſe, Ego ſum Veritas, non autem vſus, vel conſuetudo.

De claſſe Nobilitatis.

NON ignotum eſt quin Nobilitas in tres ſpecies, ceu ramos diffuſa, Virtuti vna, Naturæ altera, tertia Doctrinæ debeatur: neque retragandum quin ſecunda, quæ ſanguinis eſt, ſi à prima, id eſt, ſcaturigine ſua deſciſcat, nomen Nobilitatis haud mereatur: non ſecus atque riuus ex puro fonte emanans, ſi fœdas cloacas præterlapſus, fluentum inquinet, non aquæ limpidæ, ſed lacunæ turpis nomen obtinet: Imò tertia, quæ à *Doctrina* oritur, non videtur infimo gradu æſtimanda, vel ipſius Cæſaris Sigiſmundi teſtimonio, ceteris præferentis nobilitatem ingenij eruditi, & ad domeſticos proceres ſæpè dicentis, Seſe vno die quam plurimos baltheo, aut opinione vulgi nobiles creare poſſe, at vix intra decēnium, vnicum ab ingenio & ſcientia nobilem. Verùm nos hîc agimus de Nobilitate, quam Græci eugeniam, Cicero blandam conciliatriculam vocat: cui impoſita eſt neceſſitas (vt bene Boëthius) ne à maiorum virtute degeneret: æquum eſt enim meliores eſſe, qui ſunt ex melioribus: deque his Nobilibus tractamus, quorum vel in Ordinibus ſuffragia auctoritáſque, vel in Principis familia, aut reipub. adminiſtratione, opera vſuſque requiruntur. Horum alij *Baroniis*, quidam *Toparchiis*, alij *muniis Feudalibus Hæreditariisq́;* inſigniũtur: quibus baltheo equeſtri exornati, adiũgi poſſunt, aut illinc oriundi: quos *Scutigeros* vulgus vocat, auctore Plinio: qui ſcribit Romanos, poſt exactos Reges, in ſcutis, quibus pugnæ obibantur, expreſſiſſe imagines tituloſq́; eorum qui illis vſi fuerant, & ſacris priuatiſq́; ædibus oſten-

taſſe. Omittimus verò eorum ingentem numerum, qui pro Nobilibus ſe gerũt, quod maiores ſuos æmulentur, quos annui, abſque artificio aut mercatura, prouentus aluerunt: ſuffragante, in commentariis, Machiauello, multorum aulicorum heu Pythagora, is, Nobiles eos voco, inquit, qui ſuis ſe facultatibus alunt, neque vlli arti exercendæ ſeſe applicant. Porrò præcipua vexilla militaria erigunt *Barones*, quos nos *Baenderheeren*, ſeu Bandæ dominos vocamus: Procopius *Bandophoros* Romæis ait nominari. Vnde *Banderi* ditio, ſiue *Baronia* obligata erat ad ſequendum illud ſignum, quo dux bandæ iuſſerat: quales *Baroniæ* ſunt *Pamela* & *Heyna*, gentis iam Lokinghemæ: *Boulara* Naſſauiæ, quæ cũ Cyſonio ſtirpis Werchiniæ, quatuor Flandriæ inſigniores *Beræ*, ſiue Baroniæ iam olim vocitantur, & ad quaternos topographicarum Flandriæ chartarum angulos appingũtur: *Neuela* & *Schoriſſa*, gentis Laleignæ: *Winendala*, Cliuiæ: *Beuera*, Croyæ: *Roda*, Borboniæ: *Praeta* & *Woeſtinia*, Flandriæ: *Haueskerca*, Stauelæ: *Dixmuda*, Sacqueſpeę: *VVatenum*, Ongnyeſæ: *Gauera*, in Principatus titulum à Carolo quinto Cæſare erecta, & *Zottinghemum*, Egmondanæ: *Maldeghemum*, & *Gutſa*, Claerhoutæ: *Poucka*, Maſteingnæ: *Inglemōſtra*, Edelheræ, Platæ: *Ronſa*, Perenotæ Granuellæ: *Reſſeghemum* & *Borsbeca*, Vilainæ: *Ghiſtela*, Affaitadæ: *Liedekerca*, Hennartæ: *Rotſelara*: dein *Mala*: quæ vernis noſtris peram denotans, aliquot Flandrię Principum tum domicilio deliciiſque, tum natalibus ſuperbiit: Nunc cis paucos annos cum *Siſela* in Baroniam erecta, veniit: poſſideturque à domino Ioanne Lopez, Gallo nobili Hiſpano, quondam ſuæ maieſtatis Catholicæ factore. *Toparchiæ*, ſiue oppidorum pagorumq; dominatus, vnde nobilium familiarum cognomina ferè deriuantur, aut aſſuuntur; ſæpiùs cum

ingra-

ingratitudine quorumdam, hiſce ſplēdidioribus genuina maiorum cognomenta ſupprimentium, tāto numero ſunt, vt, citra tædium lectoris, exigi nequeāt ad libripendem, earumq; maximam partem vbi Caſtellaniæ deſcribuntur, & ſecundo tertioq; libris, ſingulis ſub Comitibus ſpectare eſt. Penè omnes autem beneficium poſſeſſionis, & quaſi animam motumq; accipiunt ab aliqua Feudalium Comitis curiarum, conſuetudinibus ſæpiùs inter ſe diſſidentium; ſed in hoc conuenientium, quòd Beneficiarius fidelitatem iuratus, & ſic poſſeſſioni, actorumq; regeſtris aſſcriptus, alienare feudum ſuum neutiquam poteſt, niſi vel Principis, vel proximi hæredis aſſenſu, vel inopiā iuramento teſtificata apud curiam, vnde feudū pendet, decumiſq; numorum ex alienatione prouenientium, Bailiuo curię perſolutis: aut, in nouis ſucceſſionibus, prouentu anni trium proximè antecedētium copioſiſſimi, aliiſve iuribus, ex formula feudali repræſentatis: Feudorum hæreditas ad primogenitos affluit: ſi trientem excipias, ſecundo loco natis, ſi velint, accedentem, modò ſuam, in non feudalibus, ratam, primigeniis deferant. Nefas eſt toparchis, quocumque titulo & iuriſdictione polleant, ſubditis ſuis tributa imperare, niſi volentibus, Flandriæque Principis aſſenſione. Sunt & qui dicuntur Vaſſi, & Vaſſalli, quorum illi ſuperioris, hi autem inferioris ordinis cliētes ſunt. *Porrò curiæ feudales Comitis* hac nomenclatura inſigniuntur. *Vetus Burgus Gandenſis: Burgus Brugenſis, Feurnenſis: Sala* (quod atrium denotat) *Yprenſis: Caſtellum Curtracenſe: Curia Caſſetana, Harlebecana, Bellana, Tiletana: Ghizelhuſa Burburgia: Petra Aloſtana; Aldenardia, Bergana: Domus Teneramondia, Deinzana: Terrenum Waſium.* Eſt autem incredibilis numerus varij ponderis feudatariorum, ab aliqua illarum Curiarum immediatè dependentium: Vnde

Comes (vbi vel alienatione, vel hæreditate transferuntur) tam pecuniaria emolumenta, quàm diuerſi generis operas militares, aliáque ſeruitia ex formula (quum opus eſt) percipit: quibus valuaſoribus hoc prærogatiuæ eſt; vt vbi magiſtratus ſcabinorum, gladio in reos animaduerſurus eſt, bini illorum, quaſi Comitis vice, intereſſe debeant. A primariis beneficiariis mouentur ſecundarij, & ab his viciſſim alij infiniti. *Curiis* Comitis Feudalibus, ceteriſque omnibus Feudorum matricibus præeſt *Camera legalis*, de qua poſtea. vnde beneficium & inueſtituram abſque medio recognoſcunt omnia Feuda ex corpore Flandriæ auulſa, dotationique, cognationi, aut familiæ Principis herciſcundæ, conceſſa: qualia ſunt Dunkerca, Greuelinga, Burburgus, Winendala, Ronſa, Pamela: ab hac poſtrema iam olim mouentibus, Leſſina cum arce Flobecæ, quas terras litigioſas vocant, ob illam, quæ inter Flandros Hannonaſque de iis fuit, contentionem. *Munia Feudalia* & *Hæreditaria* (quibus Nobiles illigantur, & illuſtrantur) vel *Iuriſdictioni conſilioq́; Principis*: vel *Rei militari terra mariq́; gerendæ*: vel *Dominicis rationibus reditibusq́; procurandis*: vel *Aulæ miniſteriis* deſtinantur. Inter primos eminet *Flandriæ Cancellarius* (quæ vox, magis quàm dignitas in Arcadij Honoriique ſanctionibus exprimitur) ſic enim nomophylax, ſi ad Romani Imperij officia alludere fas eſt, munera Primicerij notariorum, Magiſtrique epiſtolarum & Memoriæ, ſimul complectens, iampridem denominatur: quòd Principis annulo ſigillaritio, decreta obſignandi, reſcriptaque vicioſa circumducendi tranſuerſis lineis, velut cancellis, haberet poteſtatem. Quæ dignitas perpetuò affixa Præpoſituræ, Brugenſis collegij canonicorũ Donatiani, maioris olim functionis vſuſq; erat, ante Principum tanta incrementa, erectumque Flan-

Flandriæ concilium. Deinde emicant *Buggrauiæ* quibus in Burgorum arciúmve,iudiciorum publicorum,& cuſtodiarum, moderamine,additis prærogatiuis mulctarumque pro rata, quæ plerumque triens erat, commodis;vices ſuas Comites permittebant: vnde aliis *Vicecomites* nuncupantur: *Gandaui* nimirum,*Ypræ, Aloſti,Feurnæ, Bergæ, Harlebecæ, Burburgi, Nieuporti, Rouſſelaræ.* Illorum verò ingentem antiquitus fuiſſe auctoritatem, ac adminiſtrationem, quæ iampridem ex prærogatiua militari, in ciuilem iuriſdictionem commutata eſt, hinc manifeſtū eſt, quòd Philippus Roberti Friſij Comitis filius, Ypræ Burggrauius erat, atque vocabatur, qui honos nunc eſt gentis Ongnyeſæ, atque illius Roberti vidua, & Machildis Regina, Philippo Alſatio marito ſuperſtes,Feurnenſes Burggrauię appellabantur:& iam ea dignitas ex gente Stauela, ad Hoorniam nuptiis peruenit: non ſecus atque Bergæ, quæ iam ſpectat ad Longinos emptione. Burggrauiorum,qui & Caſtellani,& Vicecomites vocabantur,non eadem vbique præeminentia & iuriſdictio eſt; ſed per Comites pro meritis aut imminuta,aut amplificata: quod vno atque altero exemplo magis quàm certa norma explicandum eſt. Ad Caſtellanum Dixmudenſem pertinet oppidi dominatus,qui nullis aliis Caſtellanis tribuitur: item magna in foro libripens butyri caſeiq;, cum oppidano portorio, atque poteſtas gladij, lucrúmque mulctarum tres libras Pariſicas non excedentium. maioris enim ſummæ triens ad eum, dodrans ad Comitis ibi Ruartum ſpectat. Triens item bonorum quæ à nothis, quibus liberi deſunt, relinquuntur; & albinagij ſemiſſis: præterea facultas creandi Bailliuum, Schoutetū (qui & carceris publici præfectus) atque tredecim ſcabinos, in iiſq; Burgimagiſtrum. Burggrauio autem Yprenſi, officiarij

Iuſtitiæ adminiſtrandę, tam in vrbe, quàm in Caſtellania Yprenſi ſeſe non minùs quàm ipſi Comiti deuinciunt ſolemni iureiurando, & illi accepta feruntur, fide obſequioq́; aſtricta bis quadraginta feudalia beneficia. Mulctarum itẽ trientem vtrobique vendicat, & Scoutetum, publiciq́ue carceris Cuſtodem, Scribamq́; tribunalis, & in Caſtellania tres ſcabinos ex nouem inſtituendi facultatem. *Aloſti* Burggrauiatus litigioſus eſt inter Emmerſelios & Carondeletos. *Rouſſelaræ*, ad gentẽ pridem Halewinam, nunc Huylandam reſpicit: & Gandaui, Nicuporti, ac Burburgi Burggrauiatus ad Principes Eſpinoyæ, Chimai & Marchionem Renty, ex VVingliis, Cominæis, & Guineſiis familiis tranſierunt. *Militia* præerat Coneſtabilis (quod vocabulum genuinum nobis eſt, diciturq́; *Conincſtapel*: quaſi columen Regis, eiuſq́; ſtatum conſeruans: *Coninc* enim Regẽ, *Stapel* fulcrum ſignificat, cui ſedes, vel aliud quippiam innititur. De Comite Stabuli ſacri Cod. Iuſtinianeus meminit, & Ammianus Marcellinus, vbi narrat, Ab Imp. Valentiniano Valentem fratrem ſtabulo ipſius præfectum cum tribunatus dignitate: Equitum magiſtrum Latinè vocant, quàm appoſitè neſcio: Equitum certè magiſtri apud Romanos, Dictatori; ἵππαρχοι, eadem apud Athenienſes ſignificatione, πολεμάρχῳ ſuberant: at ſummum eſt Coneſtabilis in re militari imperium: Neque hîc deerant, *Halmyralus* (detorta in noſtratem Græca voce) cui maris, rerumq́; maritimarũ ſuprema cura incumbebat: neque *Marſchalcus*, à peritia totius artis equeſtris ita dictus. *Mar* enim Germanis olim equum, & Mari aut Meri adhuc equam ſignat, *Schalc* callidum denotat: neque hinc aberat *Seneſchalcus*: quem Guillielmus Tyrius (de Alexio loquens) Mega domeſticum vocat, qui in aula Conſtantinopolitana δομεστικὸς μέγας dicebatur.

Sin enim & *Gheſin* familiam domeſticam ſignificat. Prima dignitas genti Meluneæ Antoinianæ:Secunda, Hugherſluuſæ, iam olim euanidæ : Marſchalcorum duorum alter in progenie Zoeterſtedia:alter in Vichtia conſpicitur: Poſtrema, domui VVauriniæ adhærebat. Illorum verò militarium officiorum titulus,familiis manſit,functio deceſſit. *Ad Dominicas rationes procurandas* pertinẽt *Quæſtores* ſiue *Receptatores Feudatarÿ,Spicariæ,Vaccariæ,Lardarÿ, Breuium,* ſimiliumque Principis canonum prouentuumque: quæ tributa ſunt agrorum perpetua,& poſſidenti ineuitabilia : *Spicarum*, hoc eſt, frumenti, auenæque: *Vaccini caſei*,& *Lardi*, numorũq; culinæ comitis importanda.Sed iampridem precio pecuniario, per Lilanum computationum conclaue ſingulis annis variè ſtatuto, illa alimentaria redimuntur. Hac in claſſe quæſtoria emicãt, *Præpoſitus D.Donatiani*, ob eam dignitatem, quæ ampliſſimæ potentiæ eſt, atque hæ familiæ: *Croya, Walla, Bera, Vandereyka, Vtenhoua, Zomerghema*:Ob ſpicarias Curtraci,Harlebecę,Feurnæ,Dixmudæ,Ruplemondæ,Aloſti: *Niuernia,Claerbouta,Ghenta*,ob breues ſiue literas,Lokeras,Maldeghemias, Altrias. *Noyella, Burchia, Scotta*,ob lardarium Brugæ,Feurnæ,Bergæ: *Laurina*, ob vaccariam Feurnenſem. *Aula miniſteriis* præficiebãtur,*Magnus magiſter domus*, ſiue œconomiæ: *Camerlingus*,cubiculo eiuſque ornamẽtis : *Pocillator* poculis Principis præpoſiti : Ille Ermentieræ,hic Aldenburgi,Merkemiique,tertius Ledæ comarchus. Venationum verò aucupiiq; præfectura, atque VVatergrauia, nulli familiæ affixa munera, pro lubito Principis conferuntur.Prima per Balduinum Securiculam,vt nobilium de venandi iure,limitibuſque altercationes pręcideret, erecta,ceruos aproſque; quod ceteris ſeuerè prohibetur ; lepores, cuniculoſque,retibus, canibus,vi-

uerriſq;

uerriſque venatur & inſectatur: quod poſterius, nobilibus venationi aſſuetis liberum eſt, aliiſque præfecti aſſenſione: qui iam eſt Baro Croiſillæ magnus Brugæ, Terræq; Francæ Bailliuus, gentis Mommorencyæ. Obtinet autem poteſtatem eos appreheñdendi, qui in leges venaticas committunt: &, ex duorum Comitis beneficiariorum ſententia caſtigandi. Neque aucupium Phaſianorum, Buteonũ, Ardearum, Perdicũq; conceſſum eſt, præterquam nobilibus illi deditis, aut à præfecto Falconum Principis, facultãtem prece, vel precio impetrantibus. *Watergrauia*, magiſterium præcipuamque curam in lacus fluuioſque exercet, contra hos præſertim qui Cygnis Principis nocent, oua, nidos, pullos rapiunt, aut ibi olores nutriunt, citra ipſius VVatergrauij voluntatem: qua in functione iampridem eſt Ludouicus Blaſerius, eques. *Balthei equeſtris Riderorum* ſiue equitum; qui ab aureis calcaribus, aliiſque ornamẽtis attributis, aurati vocantur; decus pro virtutis ſagatæ & ſæpè togatæ hoſtimento à Principe indulgetur: humero læuo enſe nudo perſtricto, additis verbis ſolenni more conceptis: tanto ſplendore, vt hominibus nouis, eorumque poſteris nobilitatem adiiciat, nobilibus augeat. Enimuero Nobilitatis dignitatem in primis dilatauit Balduinus Pulcrobarbus: nam equeſtris aurataque militiæ prærogatiuis, ac diſtinctarum comarchiarũ titulis, emolumentiſque plurimos honeſtauit: qui illacrymabiles, vt ait ille, iacent, ſepulti longa nocte, quia carent vate ſacro, ſcriptiſque teſtimoniis. Illius exemplo poſteri nobilitatem amplificarũt: quæ in Flandria numeroſa exiſtit, vtpote quæ ſub Principibus generoſiſſimis, Europam, magnamque Orientis partem armis peruagata eſt, multiſque honoribus fruitur: ſtudium pecuarium, agrorumq; cultum à profeſſione ſua non eliminat: mercaturam, opiſi-

opificium, artificiumque manuarium dedignatur: ad exemplum Germanicæ, Gallicæ, Anglicæ, & hodiernæ Romanæ nobilitatis: nullam tamen immunitatis præeminentiam, vt in Galloflandria, vicinaq; Arteſia & Hannonia, ex ſeſe gignit; ſed pari cum cetero populo, tributorum, indictionum, vectigaliumque onere viuit: prudenter ſanè atque circumſpectè, vt multitudinis tumultuoſæ, & quæſtu inſoleſcentis, nobilibuſque ferè ſemper obtrectantis, auerſionem turbaſque, ea veluti ſymmetria mitiget atque æqualitate.

De claſſe Quatuor Membrorum.

PRÆCIPVAM in Flandria, aut veriùs, reipſa omnem auctoritatem potentiamque obtinent quatuor regiones, *Gandauum, Bruga, Ypra, Terra Franca*, ceu tetrarchia, quæ *Quatuor membra* vocantur: quia inſtar corporis membrorum ad reipub. validam compagem, directionem, functionemque ſub Comite, velut ſub capite, in primis adhibentur. Quod quatuor partium æquilibrium, *Terra Franca* aſſociatione ſub Philippo Bono, ad annum milleſimū quadringenteſimum trigeſimum ſeptimū, cœpit in vſu eſſe: qùum antea in tribus illis vrbibus, ceu tripode, tertius & tripoliticus *Statuum* gradus ſtabiliretur. Ceteræ vrbes & Caſtellaniæ, etiamſi magiſtratus ſuos, leges, ærariumq; ſeorſim habeant, tamen quum in cõmune vel conſulto vel tributo, vel milite opus eſt, illorum quatuor (velut ex arce ſignum tollentium) ſubadiuuæ ſunt, atque ſubſidiariæ, eorumque in generali Ordinum Flandriæ, vel Belgicæ conuentu, decretis, reliqua Flandria obſtringitur. nam in vniuerſalibus quidem Flandriæ comitiis, Sacerdotij ac Nobilitatis proceres,

res,magiſtratuumque ceterorum delegati, vnà quidem conſultant; ſed *Quatuor Membra* auctoritatem decernendi ſibi vendicant: & in generali totius Belgicæ conuentu, ſola, Flandriæ corpus repræſentant. Porrò ſingulis illis membris quædam oppida & Caſtellaniæ ſubcenſentur,hoc eſt,poſtulatā addictamq́; Principi pecuniam ſub illis pro rata conferunt,arma & conſilia publicæ conſociant: ſubiectionis cetera immunes, licet quædam ius illinc petant relatione. Vnde illis *Membris* auctoritas gliſcit,& Principi compendium rerum expediendarum:quum ante Arteſię à cetera Flandria diuulſionem, Atrebati, Gandaui, Brugæ,Ypræ, Santodomari, Lilæ, Duaciq́; ſcita, reliquos præcederent atque deuincirent. Quæ res ſub Guilielmo Normano, quum de illius reiectione anno 1128. ageretur,exemplo claruit. Et poſt illam diſiunctionem,priùs quàm Galloflandria pignori Francis opponeretur,Gãdaui,Brugæ,Ypræ,Lilæ,& Duaci coniunctio,auctoritaſque eminebat: quod Guydi Dampierri ſanctione manifeſtum eſt,iubentis,dum inter Comitem & quampiam illarum vrbium de intelligentia alicuius priuilegij controuerſia oriretur, vt iudicium ad ceteras quatuor, litis non conſortes, pertineret. Singulis autem quatuor Membrorum, à bonorum cõfiſcatione exemptio competit, vetuſto priuilegio, conſtitutione Caroli quinti Cæſaris, ad annum 1549. confirmato.

GANDAVVM.

GANDAVVM vernaculus ſermo *Ghentam*, Hiſpani, Itali, Galliq́ue *Gantam*, Latini *Gandam, Gandauumq́, nuncupant*: quod & Iul. Cæſarem ſtructurę ſuę auctorē iactat, & illo conditore ſuperbum Petrarcha, ad Cardinalem Columnam ſcribens, nominat. Certè non ambigitur,

bigitur, quin ſitus loci, & tot fluminum concurſus, Romanorum ſtatiua præſidiaq; inuitauerit, in Neruios belligerantium, & demum à Clodoueo Franciſque illinc eiectorum. Situs eius etymon *Gordunorum* repræſentat: colle enim aquiſque ad D. Petri ſpectabile eſt. qui collis in aquis circumfuſis eminet, velut natans anſer maſculus, quem *ghent* vocamus; vnde quidam *Ghentam* eam vrbem denominatam opinantur: alij, *Want* primò dictā putant, vel à *VVandelus*, ab ambulando, terraſq; peragrando, eponymiæ cauſam ſortitis, Caſtellum certè Wandelaræ Gandaui ad portam Brabantam à VVandelis non diſſonat, vel ab argentea in atro ſolo chyrotheca expanſa, ceu duelli teſſera, quā *Wantam* vernæ noſtri vocant, olim Gandenſibus inſigniū loco geſtata. At magis Romanā nominis originem quidā antiquitatis ſtudioſi arripiunt, ex inſcriptione, obſcura vulgaribus, qui ſolis literarū formulis, nominis poſitū metiuntur. Etenim vetuſtæ arcis epigraphe, in marmore inciſa, quū hoc modo (cetera ſcriptura exeſa, vel extrita) ſeſe haberet, *G. Ant*, quibus characteribus, *Caius* (vulgò *Gaius*) *Antiſtius*, aut *Antonius* denotabatur, *Gant* cōpegere atq; formauere. Hac de vrbe Eraſmus Roterodamus in literis ad Carolum Vtenhouiū, Non arbitror, ait, quaqua patet Chriſtiana ditio, ciuitatē vllā reperiri, quæ cū hac cōferri queat, ſiue ſpectes amplitudinem vrbis, ſiue politiā, ſiue gentis indolē. Et Had. Barlandus Zelandus, in ſuo vrbiū Germaniæ inferioris catalogo, Gandauū vocat ciuitatē fluminibus nobilē, amœnam, ſpacioſam, innumeris, cultiſq; domibus, facundis virorum ingeniis, antiquis moribus, magis frugalibus quàm parcis, magnificis templis, cælo perquam benigno. Porrò Lotharius Gal. Rex, in diplomatis munificētiæ cœnobio D. Petri Blandinij collatæ, antiquitus *Gandam* vocatam aſſerit, locum ad fluuium

fluuium Scaldim, in quo illud phrontiſterium emicat: quod abſurdum eſſe non videtur, ex more veterum, ſecuritati ad colles, commoditati ad fluuios, caſtellorum ſtructuras diligentium. Cuius cœnobij Abbas Hildebertus ad annum 752. interfectus fuit, & à Papa indigitatus: quia in magno ciuium Gandaui motu, propter ſanctorum imagines digladiátium, quas alij in templis venerandas cenſebãt, alij reſpuebant, adhæſerat Gregorij tertij Pontificis, Synodiq́; Romanæ decretis, aduerſus Conſtãtini quinti, Leoniſque tertij ac quarti Cęſarum, & concilij Conſtantinopolitani inhibitiones & iconomachiam. Ante Margaritam primam, quæ anno 1194. mortem obiit, quatuor ſolùm portis Gandauũ includebatur: *Thorhouta*, quæ Thorhoutũ tunc mercatu celebre, Brugamque: *Gallica*, *Kethelaue*, quæ Curtracum Lilamque: *Brabantina*, quæ Aloſtum, Bruxellamque: & *Sangeorgia*, quæ in VVaſiam Antuerpiamque emittebant. Nunc duplicata iampridem loci ſpecie, octo portas oſtentat. Paulatim verò creuit in hanc amplitudinis vaſtitatem, partim opportunitate ſitus, fluminumque, & pannorum laneorum lineorumque textrinis, aliiſq; artificiis: partim latifundiis, per Comites ad pomeria proferenda venditis: partim immunitatibus, aliiſque Principum ſuorum beneficiis quibus plurimos alliciebat: partim, vt quidam tradiderunt, quòd exteris liceret quoſcũque vellent fundos, dynaſtias, ædeſq́;, foris ac intra oppidum comparare: ciuibus verò extra quatuor illas portas, ante Principis Ioannis indultum, præſertim in feudis coemendis, hoc non permitteretur. Circuitu mœnium ingens eſt: qui ad annum 1397. iuſſu Philippi Audacis, per Ægidium Grotherũ dimenſus, ter mille ſexcentas & octoginta octo perticas, quas virgas vocant, quatuordecim pedum ſingulas, fertur impleuiſſe.

Scri-

Scriptumque inuenitur inita anno 1427. inter Bergæ Vpzomiæ, Dieſtæ, & Weſemalæ Barones Brabantos, ſponſione, ſumptuque mille & trecentorum florenorum, compertum eſſe, Gandauum Louanio, in circuitu, tribus virgis minus; Leodio quinque; Coloniæ Agrippinæ quindecim; Lutetiæ Pariſiorum ſeptem virgis anteuertiſſe magnitudine. Nonagintaocto pontes habet, quibus onerariæ ſuffluũt: Inſulas viginti habitatas: Domorũ (ſi verus eſt Varnewicus) pluſquã trigintaquinque milia. Quatuor miliarium nauigatione, anno 1551. quadriennij labore ſumptuque perfoſſa, Antonio Baëſtio equite primo ſcabino primum fundamenti lapidem repagulo mari proximo imponente, à *Saſſo*, mariq; diſtat: *Scaldim, Lizam, Mourwateram, Liuiamq;* nauigabiles fluuios, in ſinum ſuum recipit: quæ opportunitas granorum ſtapulam ipſi conciliauit; per quam frumenti cuiuſlibet per Scaldim Gandauo inuecti quadrans, perq; alios fluuios ſextãs, à publicis curatoribus in vrbis vſum pretio retineri poteſt, cetero liberè dimiſſo. *Scaldis* Iulio Cæſari Plinioq; commemoratus, in Viromandia ſupra Chaſteletũ, ad Abbatiam Martinianam oritur, & per Creuecurium, Cameracum, Bouchainum, Valincenas lapſus, auctuſq; Troulia Cõdati, & recepto ad Mortaignam Scarpo, per Antoignium ingreditur Tornacum: inde per Aldenardam prolapſus, Gandauo irruit tanto robore & auiditate, vt ibi Lizam Liuiamq; abſorbeat: Dendremõdæ Dendram, Ruplemondæ Ruplam, Netha Diliaq; tumidum, in dominatum, ſuumq; nomen tranſſcribit: & demum ad Antuerpiã, latiſſimè & profundiſſimè ſeſe oſtentat, adeò vt maxima nauis ad ſcalas ſtare, & ex ipſa riua in eam quiuis intrare poſſit, pede tantùm ſublato: quod Straboni mirabile viſum, vbi dicit portum ad pharum maiorem Ægypti, tam profundum eſſe,

ὡς τὴν μεγίστην ναῦν ἐπὶ κλίμακος ὁρμεῖν, ſiue, vt maxima nauis ad gradus, ſtationem habere poſſit. Ad Saftingam autē diuergit, tū in Septemtrionem, prętergrēdienſq; Bergam Vpzomiam, inter Striam & Steenbergam, olim Moſam aſſumens, Oceano affundebatur; tum in Occidentem Zelandiamq;: quam nomine ſuo in Orientalem, Occiduamque diſcernit, Scaldiamq; inſulam nomine ſuo imbuit: mari reciprocanti, Gandauo tenus, obnoxius: Sturionum, Salmonum, Trutarum, Lampretarum, Romborū, Congrorū, Canum, Turſorum, vbi mari appropinquat, ac vniuerſim, Luccorum, Carpionumq; ingentium, & ſapidorum copioſus. Vernaculè *Sceldam* vocamus: quod Galliæ Germaniæq; limitis, Plinio teſte, quaſi ſequeſter, eius violatores videatur *Scelden*, quod noſtris obiurgare denotat: vnde vetuſtioribus *Stabuuta*, hoc eſt maneto foris, & Ptolomeo, Græciſque antiquioribus, Tabuda appellatur. *Liza* verò, qui nobis *Leya* dicitur, ad templum Lisburgi pagi in comitatu Sanpaulino natus, & valde piſculentus; ſed Scalde tranquillior nitidiorq;, portam vrbis Teruanæ (quæ fuit) prægreditur, Ariam interfluit, Merghemū, Ermenteriam, plurimaque Flandriæ loca alluit, donec curſum ſuum nomenq; in Scaldi Gandaui deponat. *Mourwatera* ex lacu Waſiano, quatuorque Ambachtorum emiſſus, antequam Gandauum intret, inundat foſſam ad Saſſi ſtationem & mare perducentem. At Liuiam Gandenſes anno 1210. aſſenſu, priuilegioq; Margaritæ Conſtantinopolitanæ foderunt, vt ea nauigatione ex Liza in mare Brugamque traiicerent. Quorum fluminum deſcriptio hîc inſerta eſt, tum quòd omnia Gadauum confluant; tum quòd ex iis quædam nomen ibi ſuum exgurgitent. Curiam ciuiū ſenatoriam, intus amplo atrio, foris ſumptuoſa & operoſa elegantia illuſtrem, Gandauum habet; quæ

quę veteri ædificio amoto, cœpit anno 1481. ſub Hadriano Vilaino Reſſegemo, equite, primo ſcabino, ad eum locum vbi ſcabini conueniunt: ceteris partibus ſub Richardo Vtenhouio, Philippo Gruutero, Nic. Trieſto equitibus, primis ſcabinis, ſubinde pòſt abſolutis: habet etiam celebres nundinas annuas, menſe Martio. Leones Vrſoſque iuxta ædes palatinas VVallias nutrit oſtentatq;, ſpectabili ad annum 1447. tauri cum leone conflictu: vbi victi leonis vngues pectuſq; animoſum, tauri cornua proſtrauerũt. *Politia* eius, & reipub. gerũdæ forma, ſæpiùs per Principes immutata eſt: ſed præcipua magiſq; notabilis & durabilis ea ſenatus formatio fuit, quæ Philippo Pulcro Gall. Regi, Guydi Principis captiui Flãdriæque potienti, aſſcribitur: is enim anno 1301. magiſtratũ ſic inſtituit, ciuium aſſenſu, vt annuatim octo ciues per Principis legatos vrbemque ipſam electi, crearent viginti ſex honeſtos idoneóſque ſcabinos, quorum origo anno 1281. fuit, qui à Principis vicariis in tredecim *Curiones*, hoc eſt, ſtatus publici electos cuſtodes, legiſlatores, totidemq;, quos partitionum vocant, de hæreditatibus, tutelis, iniuriis, ſimilibuſq; cognoſcentes, diſcernebantur. At plebei poſtea quæſtu inſoleſcentes, obtinuere, vt illi viginti ſex ſcabini ita diſtincti, ex tribus hominum generibus per illos octo apolectos deſumerentur: *Ciuium* puta, de ſuis reditibus viuentium: *Opificum* ſiue *quæſtus*: & *Textorum*: plebeis numero potioribus: quibus omnibus tres ſupremi *Decani* præerant: Primus ſcabinus primis annum: alter opificum 52. collegiis, totidemque decanis biennium: tertius, annum textoribus, in 27. vicos tribuſq; diſparatis. Vnde perturbatio vrbis ſæpiſſimè ſcaturiit. Nam orta frequenter leui de cauſa conſternatione, illi tres, ceteriq; inferiores decani, cum armatis collegiis, ſonante claſſicum cam-

pana, horarum nuncia, cui Rolando nomen, vndecies mille pondo graui, in turri Bellaforti, anno 1317. primùm appenſa, vexilliſq; expanſis in forum maximum procurrebant, impares turbis reprimendis. Multitudo enim tumultuoſa, nouitatis ſtudio, aſpectuque virium ſuarum audacior, præfectis ſuis facillimè obaudiebat: donec Carolus Bellicoſus, eiuſque pronepos Carolus V. Cæſar inſtitutũ illud Philippi Pulcri, quod à Maximiliani Brugenſi detentione Gandauũ reſumpſerat, abrogarunt; atq; coëgerunt, vt virorũ viginti ſex ſcabinatus, in duo tribunalia, vt ante, diuiſus, per Principis ſolummodo vicarios ordinarios, quotannis ad decimum Maij diem, pro arbitrio crearetur. Porrò tam ingentibus hæc vrbs ſub Guydo Dampierro animis fuit viribuſq;, ad annum 1297. vt Eduardum primum Angliæ Regem florentiſſimum cum filio, & viginti peditũ, quatuor equitum milibus, qui illic, & in vicinia Mariækerçę, contra Gallos hiemarant, non ſine cæde expulerint: quia ob inducias cum Gallis pactas, diſceſſuri, inſcio Rege, eiuſq; conſilio, ignem aliquot locis ſubmiſerant, vt vrbem prædarentur: & tam enormi ſub Lud. Malano licentia efferbuit, vt intra decem menſes quadringenta ſupra mille ibi viciniſq; in agris homicidia patrata ſint in ganeis, alea, venere, ebrietate famoſis: tantaque ea tempeſtate multitudine inundauit, vt octoginta virorũ milia (ſi verus eſt Froiſſartus) cenſerentur, qui per ętatem quindecim annos excedentem, ſexaginta non egreſſam, arma ferre poterant. Carolus Magnus, D. Ludouicus Galliæ, Eduardus primus cum filio, & Tertius, Angliæ Reges, hanc vrbem frequentarunt: vxore etiã Eduardi tertij, filium Ioannem, cui Gandauenſi iuſſu patris, agnomẽ fuit, Lancaſtriæ poſtea Duci, ibi pariente. Et Carolus V. Cæſar, natali ſuo: Philippus eius filius, non aliter

quàm

quàm atauus paronymus, ordinis inſtitutor, ſolennibus aurei velleris comitiis illuſtrauit: eiuſq; tritauus Ioannes, *Senatu*, qui toti Flandriæ, vice Principis, iura reddit; *Concilium Flandriæ* dicitur; Lila huc tranſmoto, auctoq;, amplificauit, tribunal iam exercente ſuum in arcis Graueſtenæ (quod petram Comitis ſignat) atrio inferiore: quam arcem Otho primus Cæſar, contra Flandriæ Principes anno 949. Gandauo oppoſuit: Balduinus Lilanus acquiſiuit: Philippus Alſatius aduerſus ciuium faſtum valida porta muniuit: Margarita Cõſtantinopolitana ciuitati applicuit dilatandæ. Sunt tamen qui illius initia Balduino Ferreo, primo Comiti tribuant; indeque nomen Petræ Comitis: arcem verò ab Othone primo in Flandros excitatam, Scaldi ad dextram incubuiſſe exiſtimant, Imperij metatori. Templa habet circiter quinquagintaquinque: in iiſq; duo Canonicorum collegia, *Ioannis Baptiſtæ*, atque *Pharaildis*, Francæ: duaſque Abbatias Benedictinas viriles, inſtitutas circiter annum 633. Dagoberti Franciæ imperantis prima munificentia, ingentibus prouentibus atque dynaſtiis accreſcentibus, opulentiſſimas: Alteram D. Petri, accliuiori vrbis tractui, Blandinienſi antiquitus dicto, qui inſtar oppidi non exigui eſt, dominantem: Alteram D. Bauonis, ex Auſtraſiæ Principibus oriundi, ac in Cella, qua Gandaui abſtinentiſſimè triennium delituerat, ab Amando ſepulti, memoriæ dedicatam, amplè ad vrbem iuriſdictionis: vtramque Scaldis ripæ adiacentem. Sed poſterioris locus, iubente Carolo Quinto Cæſare, in arcem ciuibus aduerſam anno 1540. conuerſus eſt, ab ipſo Imperatore equitante, per funem demiſſo primo ſaxo fundamenti: titulus Abbatiæ & opulentia in Præpoſituram collegij Canonicorũ D. Ioannis Baptiſtæ, quod etiam nunc Bauonis dicitur, tranſiit; tam luculentam potentemque

vt Viglius Zuichemus Iuriſconſultus celeberrimus, concilij Regij arcaniq; præſes, in viduitate, ſenectaq; ſacris initiatus eſſe exiſtimetur, ad illã adminiſtrandam, elegeritq; & ſibi præſtruxerit, hoc in templo, ſepulcri ſplendidum monumentum, in quod illatus eſt. Iam Epiſcopatui Gandenſi annectitur: quem gerit Petrus Damantius, magna morum comitate, Iuriſconſultus. Neque deſunt hîc Abbatiæ femineæ, vna Bernardina *Biloke*, vbi etiam celebre noſocomium eſt à Fulcone Vtenhouio anno 1210. ceptum: altera Victorina *Groenenbrielæ*, anno 1370. inſtituta: Veſtaleſq; Claranæ, atque Coletanæ: quibus nimirum Nicoleta perq; apherefim, Coleta, ſiue Nicolaa Burgunda ſtrictiores vitæ normas, nomenque ſuum induit, ad annum 1447. hîc ſepulta, & quina monaſteria femin. Auguſtinianarum reformatarum: cum quaternis mendicantium, Alexiano, Fratrum Hieronymi literario: cœnobiis, xenodochiiſq; ſupra ſedecim, biniſq; infantium expoſitorum receptaculis, & extra mœnia, Carthuſio, Abbatiaq; Nonneboſci, Bernardina femin. Nobiles hîc Latini Græciq; proloquij ſcholas aperuere, Ægydius & Paulus Houcarius (meus olim pręceptor venerabilis) Ioãnes Otho, atque Olearius. Ornatur Henrico & Ioanne Mudanis: quorum hic familiaris Philippo Pulcro Gall. Regi fuit: ille Archidiaconus Tornacenſis, & Pariſiis Doctor ſolemnis vocitatus: ſcripſitq; Summã Theologiæ, De virginitate, De pœnitẽtia, multoſq; Commentarios in Phyſica & Metaphyſica Ariſtotelis. Ioanne Abbate D. Bauonis: ſcripſit Quęſtiones ſententiarum, De eſu carnium. Arnoldo Boſcio Carmelita: ſcripſit de Illuſtribus viris ſui ordinis, & Carthuſienſium, De quatuor nouiſſimis, & lib. Epiſtolarum atque carminum. Philippo Kersbello Carmelita: ſcripſit pro puriſſima Mariæ Virginis cõceptione

contra Vincentium de Nouocaſtro. Petro Bacherio Dominicano, Doctore Theologiæ Louanienſi, & Poëta: Lęuino Torrentio, Archidiacono Brabantiæ, ciuſdemq́; núc Epiſcopo Antuerpienſi optatiſſimo: vertit Latinè Chryſoſtomi homilias, edidit ſacros hymnos, aliaq́; poëmatia: & laudabili, in amicum vita defunctum, fideliſſimi officij documento, poſthuma omnia opera Ioannis Goropij Becani, & publicari elegantiſſimis Plantini typis curauit, & epiſtola apologetica præmuniit, velut Mineruæ caſſide, contra illum literaturę politioris Aiacē, Ioſephum Scaligerum, non minùs fama quàm genere illuſtrem; ſed in nomen Goropij nimis bilioſum. Philippo VVielando, equite, Iuriſconſulto, cuius nomine circumfertur impreſſus libellus lingua vernacula, De vſu Flandriæ Feudorum: fuit concilij Flandriæ Præſes, & poſtea Mechlinienſis concilij, quum primùm erigeretur, Senator: cuius manu, linguaque materna congeſta ſunt, at nondum in lucem edita, Flandriæ Chronica, quæ magnam viri induſtriam manifeſtát, ac Meyero, Oudegerſto, Marchantioq́; facem prætulerunt: deuoluta, hæreditate, ad Ioannē Degroſſum, Nienlandiæ, aliarumq́; dynaſtiarū toparchum, virum nobilem, moderatū, terræ Francæ conſulem primarium. Carolo Rymio, equite, Iuriſconſulto, Bellemi dynaſta, arcaniq́; concilij Senatore, & Maximiliani ſecundi Cæſaris, ad Turcorum principem legato. Iudoco Badio Philoſopho, per Deſ. Eraſmum laudato, & ante Budæum poſito, in genere ſermonis Ciceronem imitantis: qui ſcripſit libros Epiſt. Epigrammatum, & plurima in Ciceronem, alioſq́; commentaria. Hieremia Brachelio, Nicolao Bieſio, medicinæ apud Louanienſes Profeſſoribus & ſcriptoribus famigeratis: & Bieſius quidem Maximiliani ſecūdi Cæſaris medicus familiaris fuit. Ioachimo Martino,

tino, Balduino Ronſeo, Petro Buccio, medicis. Marco Varnewico, Dionyſio Harduino, hiſtoricis: Franciſco Himano, Lęuino Brechtano, Carolo Vtenhouio, Maximiliano Deuriento, Had. Damantio, Poëtis, carminum editione non obſcuris.

Diſtat Antuerpia, Bruxella, Middelburgo Zelandiæ, ferè pari decem miliarium interuallo.

Gandauo ſubcenſentur Aloſtum, Curtracum, Aldenarda, Dendremonda cum Caſtellaniis, & quatuor Ambachtis, atque Audemburgi, VVaſiæq; terrenis: Biervlietum quoque, Gheersberga, Nieneue.

CASTELLANIA AVDENBVRGI GANDENSIS, Scaldi, Liza, & Mourwatera interlabentibus opportuna, & Abbatiam Dronghenam, ſiue Trunchiniam Præmonſtratenſem viril. anno 1137. inſtitutam per Ywanum Aloſti Comitem, cõplexa. Pagos quadraginta ſex continet, in iiſq; *Neuelam* ampla Baronia, arceq; Odonca illuſtrẽ: *Zomerghemum*, gentis Snoucartæ: *Louendeghemum*, Trieſtæ: *Vinderhoutam* & *Merendram*, Woutræ: Ekam ad Scaldim, *Sceppera*: atque *Euerghemum*, comitatus titulo magis quàm potentia notabile, Abbatiæ D. Petri Gandẽſis. Subeſt duobus tribunalibus, à Margarita Conſtantinopolitana, Sledingæ & Deſſeldoncæ affixis. Adiacet illi *Caſtellania*, ſiue *Terra VVaſia*, olim Hollandiæ Comitum caſtrẽſe peculium: Durma fluuio, Winkelę pago exorto, ad Tempſecam in Scaldim exonerato, non minùs quàm ipſo Scaldi alluitur, lacumq; habet, & magiſtratum ſeptem ſcabinorũ perpetuorum: cuius incolis anno 1531. Caroli Quinti Cæſaris ſanctione permiſſæ ſunt, in linea ex tranſuerſo, patruorum, auunculorum, amitarum, & materterarum ſolummodo ſucceſſiones, quum antea mos terræ excluderet à latere vniuerſas. Pagos viginti tres comprehendit, quinque cõnumeratis, qui habitato-

bitatores Waſiæ vocantur, ſuiſq́; peculiaribus toparchis, præter Ruplemódam, parent; vt *Tempſeca*, genti Traciniæ veteri arcæ, & D. Amelbergæ dominatu nobilis, & *Exarda*, Gruuteræ. In illis videre eſt S. Nicolai pagum primarium: *Stekenam* oppidi vultũ præferentem: *Synayam*, non ignotam Abbatia Bernardina Bauwelonis, cepta, & denominata à Balduino Bocla monacho Blãdinienſi ad annum 1197. *VVaeſmunſtram*, vbi Abbatia Victorina femin. VVaſiæ nomen præferentem. In huius terræ cubito eſt celebre caput, per Scaldim traiectionis oppoſitum Antuerpiæ, cui *Tver* vulgare nomen, deriuatũ à *Varen*, quod agi mouerique denotat. Inter VVaſiam Scaldimque eſt *Terra Beuera*, complectens arcem vetuſtam validamque, & quatuor pagos, multaſque dynaſtias: nobiliſſimæ quondam potentiſque gentis cognomen, hæredium que: nunc ex domo Burgundica, Verana ad Croyam acceſſit.

BRVGA.

DE BRVGGA (ſic enim genuina lingua nominata eſt propter ligneum pontem, qui trãſitum antiquitus pandebat commeantibus ab Audenburgo, Thorhoutoque, ad nundinas Rodenburgias) orationem G. Caſſander edidit panegyricam, & antea Had. Barlandus Zelandus hoc elogium hiſce verbis: Publicarum priuatarumque ædium in hoc oppido ſplendor & magnificentia, omnem orationem, omnem dicendi facultatem ſupergreditur: vt paucis omnia dicam, Totus hic locus paſcendis oculis, recreandis animis dicatus eſt: Pulchra ſunt oppida, Gandauum, Antuerpia, Bruxella, Louanium, Mechlinia; ſed nihil ad Brugas. Sic ille. Neque minùs eam commendat Æneas Siluius Pius ſecundus Pontifex, totius ferè Europæ per-

agrator, qui illam inter tres vrbes numerat, quas vnquam viderit pulcherrimas. Grudios Iul. Cæſaris, hîc fuiſſe commoratos, vix dubitatur: quaſi Grutios, hoc eſt, multis canalibus, in quibus plurima gruta, quæ viridis lenticula eſt, anatibus gratiſſima, per æſtatem innatat, aſſidentes: ad Grudiorum paronymiam alludente *Groeda* pago, & *Gruthuſa* domo illuſtriſſima: quam à vectigali cereuiſiario, quod *gruutghelt* dicitur, diſſipandæque grutæ ad puriorem aquæ cereuiſiariæ coctionem pendebatur; illi familiæ peculiari denominatam, veriſimile eſt. Hanc vrbem in ſex regiones, quas Sextas vocāt, ſuis ſingulas, velut vigilum præfectis, ſub Philippo Audace attributas; diuiſam, perrepit, ex maris elice fluuius Reya, fuſcus & cunctabundus, multaſque in vrbis regiones deductus, & plurimis lapideis pontibus arcuatis inſtructus, ripis hinc inde muratis: ad Damum Sluuſamq; & Oceanum tribus miliaribus diſſitum; æſtu augeſcente nauigabilis; vel immiſſus in nouum alueū, à porta Leonardina ad Sluuſam vſque, maximo impendio perfoſſum; neque obnoxiū, propter ingens repagulum, mari reciprocanti. Emporij, quod *Stapulam* vocant, ſtabilitatem, à Lud. Creſſio anno 1323. conceſſam, ſanxit filius Malanus, ad annum quinquageſimum octauum, ſupra milleſimum & trecenteſimum. Eſt autem *Stapula* priuilegium vrbi collatum, ſiſtendi & ſtabulandi merces exoticas, venumq; illic tantummodo proſtituendi, niſi inſtitor vectorque malit recurrere vnde venerat. Itaque ex eo beneficio quicquid mercimoniorum in portum Zuinum appellebat, nuſquā primæ venditioni poterat exponi, quàm Brugæ; exceptis iis mercibus quæ Dami, Houkæ, Monicaredæ vendibiles erant. Forum habet mercatorum, ſub meridiem veſperamq; cōuenientium, quod *Burſa* dicitur, quam Lud. Viues Ianimedium nomi-

nominat, ab ædibus eo loci ſplẽdidis familiæ *Burſæ*, extinctæ; tres burſas ſiue marſupia in inſignibus, & ſupra ædium fores oſtentantis. Idemque nomen ſimilibus negociatorum Antuerpiæ, Londini, alibiq́;, congreſſibus fœnerauit. Tantæ verò hoc emporium amplitudinis fuit, vt ſeptemdecim regnorum, ſiue illuſtrium nationum negociantes tribus, ædes quæque ſuas & collegia hîc conſtituerint: in quibus *Angli, Scoti, Franci, Caſtellani, Portugalli, Arragony, Nauarri, Catalani, Biſcaini, Hanſa Teutonica* (*Lubecam, Hamburgum, Wiſmaram, Roſtochium, Dantiſcum, Rigam, Reuelam*, aliaſq́; plurimas vrbes complexa) *Veneti, Florentini, Genuenſes, Lucenſes, Mediolanenſes* eminebant, merciumq́; cornucopiam adducebant. *Italia* pannos Cymatiles, quos Cambellotos, & Grogreinos vocant, ex tenuiſſimo pilo caprino in Galatia in fila deducto contextos, tergora bubalina, fila ſerica, aurea, argentea, ex iiſq́; pannos, margaritas, vina Cretenſia, alumen, ſulphur, oleum, aromata, Mythridaticum, Rhabarbarum, Mumiam, Senæ folia, Caſſiam, Tutiam adferente. *Francia*, Sal crudum, lintea Britannica, vina rubra albaque, oleum, papyrum. *Anglia* lanam, plumbũ, ſtannum, cereuiſiam: *Scotia*, veruecum, cuniculorum aliáſque pelles, & laneos pannos denſos villoſoſq́; apportantibus: *Hiſpania* in diuerſa regna diſtincta cum *Portugallia*, coccum, aurum, argentum, ſericum, ex iiſq́; fila ac texta, lignum Gaiacum, ſalſam parillam, vniones, aromata (cunctis Indicis illis mercibus, poſtea Antuerpiæ auctioribus) aduehente. *Germania* cum *Dania, Ooſtlandia, Poloniaq́;*, mel, ceram, frumentum, ſalnitrum, lanas, vitra, pelles precioſas, argentum viuum, arma, vina Rhenenſia, ligna architectonica in hanc panegyrim, mercatumque ſtabularium tranſmittente. *Exteris* viciſſim ex *Flandria* educẽtibus equos mole ſpe-

ſpecieque præſtantes, boues opimos, butyrum perquam ſapidum, caſeumq; multiplicem, aleces tum conditaneos, tum fumo duratos, diuerſiſſimoſq; ex mari piſces, ſalitos: Pannos laneos lineoſq;, & tapetes rariſſimæ varietatis & elegantiæ, picturas mirificas: quicquid denique arte manuaria excogitari, conficique poterat: tã diffuſa celebritate, vt ceu orbis compendium haberetur, & Flandriȩ nomen, per eam occaſionem totam Belgicam offuſcauerit, ſuumque in nomen tranſſcripſerit: bellis in Gallos alioſq; ſæpiſſimè geſtis, & in Syriam non ſemel propagatis, Flãdriæ famam dilatantibus: neque temerȩ Paulus Æmilius narrat, Balduinum ſecundum Conſtantinopolis Cȩſarem, quũ nihil boni à Græcis auguraretur, vnicum filium puerum alendũ tuendumq; tradidiſſe (vt eum procul à periculis ſeponeret) quibuſdam Brugẽſibus mercatoribus ditiſſimis, qui Venetiis negociabãtur: à quibus maximã pecuniæ vim erat mutuatus. Certè Mercurij proles, etſi auaritia, verſutiis, verſuriſque polluatur, tamen ſi polytropa, ſi copioſa eſt, innumera commoda ex diuerſis regionibus, amicitias cum longinquis dynaſtis, multarum rerum peritiam conciliat. Venuſtatis autem hæc ciuitas & ſplendoris eſt tam ſpectabilis, vt Ioanna Nauarræ regina, Philippi Pulcri Gall. Regis vxor, quũ huc ingreſſa anno 1301. feminarum in forma prȩſtantiã, & in amictu luxum, indignabunda intueretur, exclamauerit, Ego me ſolam Reginam eſſe arbitrata, ſexcentas hîc conſpicio. Philippum bonum cum Duce Aureliani Carolo introeuntem, feſtiuo, & ſumptuoſo octoginta argẽtearum longarumque buccinarum clangore, & admirabili magnificentia ſuſcepit: Regem Angliæ Eduardum quartum profugum, tam honorificè & liberaliter quinque per hebdomadas in ædibus Gruthuſiis coluit, vt, ſceptro reſtitutus, Brugenſibus per literas

ingen-

ingentes gratias ſeorſim egerit: neque vllis impendiis pepercit anno 1485. menſe Auguſto ad Fridericum tertium Imperatorem, vt Maximilianũ filium, nepotemque ex eo Philippum inuiſeret, Flandriam ingreſſum, omni ſplendore honorãdum. Enimuero opificiorum artificiorumq́; quibus 52. Decani præſunt, commoditatis, ciuilitatiſque copioſa, tam principibus accepta fuit, vt duo Philippi, Alſatius atque Bonus, & Carolus Bellicoſus, illic potiſſimùm cum regij ſtemmatis ſponſis, incredibili apparatu, matrimonia celebrauerint: & Philippus Maximiliani filius Brugenſibus ad ſolemnia exercitia ludoſque arcuum chalybeorum, Gandauum introeuntibus, inſtar indigenæ ciuis ſeſe admiſcuerit. Hîc etiam aurei velleris comitia, anno vigeſimo nono ſupra quadringenteſimũ milleſimum, primùm decreta eſſe & inſtituta, in confeſſo eſt: quum antea Ioannes Digeonius, partim precio decem milium coronatorũ Francicorum, partim fidelitatis remunerandæ augendæque frequentationis reſpectu, anno videlicet 1414. huic vrbi indulſiſſet, quòd omnium vrbium priuilegia excedit, beneficium: quo Brugenſes, hoc eſt, natiuitate, dono, emptione, aut coniugio illius ciuitatis ius adepti, ab omni & qualicumque bonorum, vbiuis ſitorum inuentorumq́;, confiſcatione liberi ſunt, nullo crimine, aut caſu excepto. Iprenſibus enim, Vrilatis, aliiſque paucis, conceſſa à fiſco immunitas magna quidem eſt, ſed violentiam Principi, vxori, liberiſque eius intentatam, priuilegio exterminat. *Burgum* (quod vocant) huius vrbis, quo nihil ibi vetuſtius, Balduinus Ferreus anno 865. inchoauit, eiuſque filius permuniuit. Prætorij verò curialis in Burgo tam ſpecioſi, quæ ſcabinorum domus vocatur, Lud. Malanus primùm fundamenti lapidem anno 1376. collocauit; veteri, quod Ghizelhuſa dicebatur,
com-

complanato. Pomeria Margarita Conſtantinopolitana anno 1270. ampliauit, permiſſa vrbis muniendæ foſſis, à ponte Dancartio, D. Ioannis xenodochio tenus facultate. Ambitum, qui Bruxellam aut æquat aut ſuperat, qui & eſt confertior quàm illa, aut ipſum Gandauum, ædificiis incoliſque; Philippus Pulcher Gall. Rex, Flandriæ vſurpator, firmis portis (quæ iam pridem nouem ſunt) foſſis, aggeribuſque amplioribus circumduxit. Moneta hîc etiamnum cuditur, in officinis perquam appoſitis, ædibuſque ſplendidis, atque immunibus: quale argyrocopium etiam Gandaui exercetur. Ad vrbis muros foſſaſque videre eſt cum admiratione atque voluptate caſtellum aquarum & receptaculum, vbi per lebetes aheneos, rotæ equo, ceu piſtrinenſi gyrante verſatili inſertos, aqua ſurſum attrahitur in aquæductus, varieque per fiſtulas plũbeas ſubterraneas, in publicos puteos, vſumq; ſalubriter diſtribuitur: neque non in area illic ſubdiali, aquæ ex inſidioſis fiſtulis aſperguntur nec opinantibus, magna arte atque ioco: non ſecus atque in Poggio regali ad Neapolim, in Beluedeio inſulari ad Ferrariam, in Mirmiroli palatio circa Mantuam. Amburbalia, quæ tanta pompa & oſtentatione, in honorem ſanguinis Chriſti circumgeſtati, quotannis tertio Maij die circumeunt, ſub Roberto Bethunio cœperunt ad annum 1311. & à Ludouico Delphino, poſtea eius nominis vndecimo Galliæ Rege, cũ ſtupore opulentiæ ciuilis, ſpectabantur. Ceterùm frequentiſſimum illud, de quo diximus, Emporiũ, partim Sluſani portus fluentique Brugam ducentis anguſtiis moleſtiiſque agglomeratis, ac è diuerſo, Scaldis Antuerpiani amplitudine & commoditate diuulgatis, partim bellis ciuilibus & rebellionibus anno 1485. incepit exareſcere, hac præſertim accedente occaſione: quòd Portugalli, occupato Indiæ Orientalis

talis

talis Calicuto, viciniſq; regibus conciliatis, aromata ſua precio, fama & copia celeberrima, Antuerpiá ad nundinas anno tertio ſupra ter quingẽteſimum traiicerent, eaque cum vrbe tranſigerent: Germanoſq;, Fuggeros in primis, Welſeroſque Auguſtanos, illuc traherent. Poſtremò Galteroti Florentini, Bonuiſi Lucenſes, Spinolæ Genuenſes, ceteræque mercatorum nationes, excepta Hiſpanorum parte, Bruga relicta circiter annum ſextum decimũ ſupra ter quingenteſimum, ſedes tribuſque ſuas Antuerpiæ collocarunt; dotium ibi vxoriarum prærogatiuis, multarum ſæpè fraudum velamentis, etiam inuitati; quibus feminæ, vbi mariti vel viui conturbarint, menſaſque verterint, vel mortui, inueniuntur decoxiſſe; ceteris omnibus anteferuntur, dotemque recuperãt. Bruga nihilominus in Flandriæ cenſu generali ter ſancito (vltimus etiamnum in vſu eſt) ad publicas indictiones & neceſſitates, aliquantulo plus adhuc tribuit quàm Gandauum. Templa habet circiter ſexaginta: in iiſque tria Canonicorum collegia, Donatiani Romani, Rhemẽſis Archiepiſcopi anno 940. per Arnulphum Magnũ: Virginis matris anno 1091. per Rabodum Epiſcopum Tornacenſem inſtituta, atque Seruatoris, cuius templi prima fabrica & conſecratio D. Eligio aſſcribitur. Gonilde, Canuti Regis Daniæ Angliæque filia, poſtquam ab Henrico Cæſare diuertiſſet ad Balduinũ Lilanum propinquum, exornante Donatiani ædem ſuo ſepulcro, legatoque pſalterio Latino, cum enarrationibus Saxonici idiomatis. Cuius templi iam cathedralis ampliſſima Prępoſitura, cis paucos annos, affluit Epiſcopatui Brugenſi: per Remigium Druſium Caſſetanum, ex conſiliario Mechlinienſi huc euectum, modeſtè adminiſtrato. Tribus illis in templis, choroque principali conſpicua ſunt vtrimque depictã inſcriptaq; inſignia equi-

equitum aurei velleris, eo ſplẽdore illic ornatorum. Præter Abbatiam Claranam Veſtalium, eminet hîc Abbatia S. Bartholomæi *Eechoutana* Canonicorum Regul.viril.in querceto,tunc ſuburbano,anno 1058. inchoata. Vnde tabella membranacea à Luberto Hautſcilto, nobili mathematico, doctoque eius loci Abba Latinè pridem confecta, pridem exiit, opera Ioannis Othonis, in tantam lucem & celebritatem, vt eius deſcriptio neutiquam hîc omittenda eſſe videatur. Præfert autem figuram mulieris, ſtantis, nudæ, paſſis capillis,pedibus inſtabilibus:capiti ſerpens auritus bipeſque,caudam ſuam mordens, ſuperuoluitur, vbera duo lupi ſugunt. characteres *G*, capiti: *B*,manui dextræ: *Y*, leuæ : *I*, pedi dextro: *D*,ſiniſtro aſſcribuntur: quibus Gandauum,Bruga,Ypra,Inſula ſiue Lila,& Duacum denotantur,Flandriæ matrices. Lateri dextro proximè occurrit hic verſiculus, *Gyb fiet ex Gybid, cùm Deca Decas ibit.* Mulieris imago duobus circulis notabili intermedio diſtinctis, circumſcripta eſt; & in propinquiori, hi verſus, magis veri quàm terſi, circumeunt.

Gybid væ tibi, nam de te facis ipſa ruinam.
Deficiunt vires, nec probitate vires.
Vberibus plenus lac noſtrum das alienis.
Lacte lupos refoues, felleq́ paſcis oues.
Non eſt dum ſpiras, qui noſtras mitiget iras.
Væ capiti, manibus,prò dolor, ac pedibus.
Dextra manus vana, nec laua fuit bene ſana.
Pes tuus inſtabilis quilibet, ac labilis.
Heu fortuna mala, cur nos fallit tua ſcala.
Eſt ſedes tibi, lis,& gradus inſtabilis.
Heu viceno bis das anno vulnera nobis.
More modoq́ ſecas, enſe focoq́ necas.
Infelix natus à paucis es veneratus.
Nuda cares caris, lacte parente paris.

Gybid

Gybid dilecta, quia mens mala, nec via recta,
Hoc in perpetuum ſit diadema tuum.
Eſt tibi principium finis, caput ac tibi cauda,
Deuorat hoc illam, deſtruit illud eam. In ſuperiori circulo duodecim oppida, inter quæ ſunt illæ quinq; Flādriæ metropoles, cōtinentur: Supra illā hi verſus:
Forma cecas clauis, hinc bona ſurget auis.
Hoſtibus introitus, hæ villæ ſunt prohibentes,
Sed nequeunt forte, maiorum traditione.
Inter vtrumque circulum hi pentametri:
Iudaico more, qui legis, iſta lege.
Sena bis ſedis claue reſolue ſeras: atq; hoc dyſtichon:
Landria les letu, lectes allacia rena,
Landria los lorum, ormidas raude ruentes: quibus ſingulis *F*, litera, tamquam clauis bis ſena, præpoſita, hunc ſenſum exprimit;
Flandria fles fletu, flectes fallacia frena,
Flandria flos florum, formidas fraude fruentes.
Porrò huius tabellæ Flandriæ, & forſitan ſynecdochicôs, Belgicę calamitatum, quibus iampridem obruitur, prænunciæ apocalypſim, quidam prò ſenſu, diſſenſuque quiſque ſuo, vt ferè contingit in ciuilibus diſſidiis, meditati ſunt. hoc tamē non obſcurum videtur per hunc verſum, *Gyb fiet ex Gybid, cùm Deca Decas ibit*, præſagiri, Inſulam, ſiue Lilam, ac Duacum à Gandauo, Bruga, Ypra diſtractum iri poſt decies decem, ſiue centum annos, numerandos à tempore ſcripti huius prognoſtici, ſignificato per literas numerales illius verſiculi, *ForMa CeCas CLaVIs, hInC bona ſVrget aVIs*: ab anno puta milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octauo: Conſtat enim centum poſt annos, nimirum ad annū ſexageſimum octauum ſupra ter quingenteſimum, ſonuiſſe funeſti apertiq; ciuilis Martis claſſicum, & decimo poſtea anno Inſulam, ſiue Lilam, atq; Duacum, à ſocietate

trium illarum, ceterarumque Flandriæ vrbium, ad Arteſios, Hannonaſque diſceſſiſſe. Sed iam manum illa de tabula; potiuſq; Brugæ ſpectemus liberrimas precioſaſque nũdinas Ianuario Maioque annuatim recurrentes. Quaterna hîc mendicantium vtriuſuis ſexus cœnobia includuntur, cum Guilielmico & Alexiano virilibus: Bethanienſium, & Annunciatarum, in Flandria vnicum, feminea; cum furioſorum ſeptis, xenodochiiſq; D. Ioannis in primis, amplo & opulento: iuxtimque, vtriuſque ſexus Carthuſiis. Ciues natura opipari ſunt, atque liberales, morumque dexteritate fortunata: quorum ingenia Deſ. Eraſmus ſcribit eſſe candidiſſima, Atticiſque perſimilia. Hinc Gruthuſij Principes, quorum ſtirps virilis iam breui intercidit, hinc ortus Cubæ Epiſcopus, ex Wittorum domo, prælectionis ibi publicæ inſtitutor nutriciuſque: in qua Georg. Caſſander, & Iacobus Cruquius erudité verſati ſunt. Hinc Guilielmus Pamelius, & Ferdinãdus Salinas, ille Præſes, hic concilij arcani Regij conſiliarius: quos à publicandis doctrinæ monumentis, negociorum pondera adhuc diſturbant. Et ludos Latinæ Græcæque linguæ magno cum fructu hîc aperuere Ioannes Geldrius, Iacobus Cruquius, & Spetenbrodius, Guilielmus Liedekercus. Ornatur Galtero, Franciſcano, Epiſcopo Pictauenſi: qui ſcripſit abhinc annis trecentis lib. 2. Sermonum, per anni circulum, & Super Senten. li. 4. Petro Burro Theologo. ſcripſ. de Chriſti Aduentu, Natiuitate, Epiphania, Ieiunio, Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione, & libros Hexametron, Elegiarũ, Odarum, Epigrammatum. Petro Curtio, Theologię Doctore Louanij, & primo Brugę Epiſcopo, in quem extat Deſ. Eraſmi defenſio. Georgio Caſſandro: cui Coloniæ mortuo, Academia ibi & Senatus, publico funere parentauit: ſcripſit quorumdam illuſtrium

vitas,

vitas,& orationē panegyricam in laudem vrbis Brugarum, prælectioniſq; publicæ tunc ibi primùm inſtitutæ: Iacobo Veldio Auguſtiniano, Theolog. Doctore Louanienſi. Scripſit de Sacrament. Iacobo Pamelio, deſignato Santodomari Epiſcopo: Franciſco Luca, Guilielmo Talbomio, canonicis Santomerenſibus, Theologis: ſcripſerunt primus in Tertullianum, alter in Biblia annotationes, tertius Apologeticam orationem. Silueſtro Pardo canonico Antuerpienſi, Theologo. Carolo Phernando Theol. ſcripſit libros orationum, epiſtolarum, epigrammatum. Iudoco Damhouderio Iuriſconſulto, equite, & ærarij Financiarum conſiliario: Scripſit Praxim ciuilem & criminalem, atque de tutelis: Iacobo Curtio, Iuriſconſulto, magiſtratus Brugenſis primario conſiliario, & graphæo, quam functionem laudatè gerit eius ciuis Franciſcus Grotus, Iuriſcōſultus: ſcripſit libros Eicaſtῶn, Latinoſque fecit Inſtitutionum Iuſtiniani libros quatuor, ex Græca Theophili anteceſſoris paraphraſi: Iacobo Reuardo, Iuriſconſulto: Scripſit libros Variorum, multaque alia. Iacobo Fontano, Iuriſconſulto, Iudice appellationum populi Rhodienſis, familiari Liladami, Magni Rhodiorum magiſtri. Scripſit belli Rhodij hiſtoriam, & in Corpus Iuris additiones, ac V. I. conſonantias. Ægydio Wytſio, Iuriſcon. Concilij prouincialis Flandriæ ſenatore: ſcripſit contra mendicabulum publicum, pro noua pauperum ſubuentione. Franciſco Goethalſio, Iuriſconſulto, & Iuris profeſſore Duacenſi, religioni addicto. Thoma Rhio Iuriſconſ. Bergæ VVinnoci primario ſenatore: edidit orationem Latinam à ſe Romę habitam, ad Pium quartum Pont. Max. Guilielmo Zenocaro, Iuriſconſ. equite, concilij Hollandiæ conſiliario: ſcripſit vitam Caroli Quinti Cæſaris, numero, pondere, & menſura. Guilielmo Malinæo, fami-

liari Carolo V. Imperatori: Fecit Latinum bellum Germanicum, Hiſpanicè ſcriptum per Ludouicum ab Auila. Ioanne Othone, ſcripſit introductionem in hiſtoriam Romanam. Ioanne Vaſſeo, Salmanticæ literarum profeſſore: Scripſit Chronica rerum memorabiliū Hiſpaniæ. Rudolpho Brugenſi, qui è Græco Latinum fecit Cl. Ptolomęi Planiſpherium. Nicolao Deſparſo, Brugæ conſulari; cuius rerum Flandricarum diaria iuuabunt, quum euulgabuntur. Andrea Siluio, Carolo Budſino iuniore, medicinæ Doctoribus Patauinis. Adolpho Mekercho, equiti, Iuriſconſul: ſcripſit carmina, & de linguæ Græcæ pronunciatione. Luca Fruterio, Ioanne Lernutio, Dominico Lampſonio, Franciſco Modio, Bonauentura Vulcanio, Ludouico Carrione, Iacobo Bauiero, Andrea Kethelio, Hadriano Scricquio, Ægydio Vliegerio, Poëtis, carminū publicatione famigeratis. Quibus adiici poſſunt, ciuitatem, vxores, domicilia, mortem, & ſepulchra Brugæ conſecuti, Ioannes Ludouicus Viues: qui polygraphus fuit, ediditq́; lucu-lenta in 22. libros Aurelij Auguſtini De ciuitate Dei commentaria. Cornelius Baeſdorpius, Caroli quinti Cæſaris Archiatros, & Brugę conſularis: Scripſit Methodū vniuerſæ artis medicæ, formulis expreſſam ex Galeni traditionibus. Hubertus Goltzius, Chalcographus, numiſmatum Romanorum ope Laurinæ promptuarium. Neque forſitan hinc excludi velint, vbi lubenter habitarunt ac pinxere, Michaël Angelus, & Bonarotus Florētini celeberrimi: neque Ioannes Vaneickus, ſummi nominis: qui primus oleo ex lini ſeminibus extuſo, cepit picturæ colores Brugæ miſcere, ac perpetuare, Brugæ ſepultus. Quibus adiungi gaudent Brugę nati pictores famigerati, Hugo, Rogerius, Lancelotus, Pourbuſſi: quales non pauci genitalem Gandaui etiā, Ypræq́; ortum habūerunt.

Diſtat

Diſtat Gan lauo & Curtraco octo, Antuerpia quindecim miliaribus.

Brugæ ſubcenſentur Feurna, Berga S. Winnoci, Nieuportus, Dunkerca, Greuelinga, Burburgus, Ooſtenda, Sluuſa, Damum, Thorhoutum, Aerdenburgus, Middelburgus, Aldenburgus, Dixmuda, Loa, Poperinga, Ghiſtela, Blancoberga.

YPRA.

YPRAE, cui litera Pythagoræ auſpicium nominis eſt, editis verſibus Iacobi Meyeri commendatæ, fluuiolus Ypra (Decretales Iprerum vocant) influit, nomenq; induit: ſupra vrbem Ypram natus: qui Iſaræ diu mixtus, citra vltraque Dixmudam, quam prætcrlegit, demum hinc ad ſiniſtram Nieuportum Oceanumque, illinc ad dextram, per Aldenburgum peruenit Brugam: Fullonibus Yprenſibus apprimè opportunus. In cuius, Iſaræque nauigatione ripiſque Lud. Creſſius magnâ Yprenſibus conceſſit anno 1322. prærogatiuam. Fundus vrbis plumbeus eſſe vulgò fertur, quia infiniti plumbei canales, & æquæductus ſub eo ſiti, puteis publicis priuatiſque aquas, vt Brugæ, ſubminiſtrant; nullo alui viſcerumq; detrimento: quòd alibi medici aquis, per plumbeos canales labentibus, imputant. Lanificio, pannorumque lancorum copioſa textura, tincturaq;, quas foris intra tertium ab vrbe lapidẽ exerceri Lud. Creſſius, ſub grauibus mulctis anno 1322. prohibuit, in vaſtam olim magnitudinem famamq; creuit: vt Yprenſium pannorum mentio, à Rege Hiſpaniæ Alphonſo nono, in libro Septem partitionum, non prætermittatur; tanto quæſtu, & hinc nata inſolentia, vt plebs, dulci fortuna ebria & furibunda, anno 1313. magiſtratum in curia ſcabinorum, crudeliſſimè feneſtris eiectum, trucidauerit, non im-

punita. Tandem ingentem amplitudinem ſuam diminuit, & velut deartuauit, deiiciens, quæ ipſa vrbe maiora erant ſuburbia, in quatuor cęli plagas obuerſa, totidemq́; templis parochialibus ornata, cinctaq́; muris & foſſis (Lud. Creſſij tẽpeſtate) à populo, quæſtu copiaq́; exuberãte, ac ferociente. Diruta ſunt autem, ne hoſtibus in vſu eſſent, quum ab Anglis, Gandenſibuſque anno 1383. vrbs erat obſidenda: quæ nõuem hebdomadum obſidio valde nobilis fuit, tum hoſtium oppugnationibus ſæpè acriterq́; repetitis: tum ciuium, præſidiiq́; militaris fortitudine cõſtantiaque: tum cæleſti in primis auxilio, quòd anxij ciues publicis precibus ardentiſſimè implorauerant. Suburbia Philippus Audax noluit reſtaurari: quia illinc à textoribus ſeditiones tumultuſq́; ſæpè ebullierant: quos, vt diſtraheret, miſit, veluti in colonias, Poperingam, Menenam, Weruycam, Cominæumq́; ad pannificium exercendum. Mœnia tamen vrbis, cæſpitibus conſepibuſq́; ſolummodo compacta, & perplexa, lapidibus cingi permiſit. Cuius ſaxei fundamenti, & munimenti primum lapidem ad portam Thorhoutiam, ſenatus præſes (quem tutorem vocant) anno 1388. ex familia Dixmudia, ritè impoſuit. Quæ ſitus robori iuncta acceſſio, reddit vrbem validam oppugnationis ſuſtinendæ. Eius autem anno 1473. intra muros circuitus facta dimenſio 1173. virgas geometricas noſtrates, 14. pedum ſingulas, impleuit, nouem portas complectentis. Curiam oſtentat, quã Hallam vocant, ab vſu cuſtodiaq́; (*Hal* enim Germanis nihil aliud eſt, quàm id quod rem quampiam conſeruat) ampliſſimè ſeruientem tum ſcabinorum congreſſibus iudiciiſq́;, tum pannis, aliiſque mercibus ab aëris iniuria cuſtodiendis, venumq́; exponendis: tam elegantis, ſpacioſæ, atque ſumptuoſæ ſtructuræ, vt in foro ingenti, ambiat faſtigium admiratio-

rationis; quod ædificium per aream intermediam, in duo ſectum, quadringentos ſexaginta duos pedes longum, quinquaginta vtrimque latum eſt. Non deſtituitur Abbatia Clarana Veſtaliũ: quatuor mendicantium cœnobiis, multiſque xenodochiis. Habuit Abbaticam Præpoſituram canonicorũ Regul. viril. D. Martini nomine inclareſcentem, cœptá anno 1101. omnes vrbis parochias tunc procurantium: ſed anno 1561. mutatam, euectamque in collegiũ cathedrale: nam hîc ſedem Epiſcopalem eſſe amplæ diœceſeos, quã Petrus Simonius benigniſſimè moderatur, anteà dictum eſt. Nundinas habet quadrageſimæ initiis, atque Maio annuas: harũ Maialium, quas Aſcenſionis vocant, iure ac emolumentis, per Oliuerium, Templariorum magiſtrum conceſſis, Ioannæ Conſtantinopolitanæ. Ornatur Ioanne Ypreſi, Abbate Bertinico, ſui cœnobij chronographo, tanti abdominis, teſte Thoma Diacono, vt vix progredi, nec aliter dormire, quàm ſedẽdo potuerit. Petro Poneto, Balduino Fabro, Franciſco Amelryo, Theologis: Iacobo Papa, Poëta; qui ſcripſit Elegiarum libros duos; quorum priore mendicabulũ publicum tuetur; altero tollendum docet. Illis namque temporibus, Yprẽſis magiſtratus, egenorum ciuium alendorum valde ſtudioſus, omne in publico mẽdicabulum, præterquam quatuor, vt vocant, ordinum eliminabat: quod ſtatutum à concionatoribus mendicãtibus reprehenſum, demũ anno 1530. per Theologos Pariſienſes approbatum fuit. Giſlenio Bultelio Clitio, eruditos ſacrorũ ac miſcellaneorum poëmatum libros euulgare adhuc tergiuerſante.

Diſtat Bruga nouem, Gandauo tredecim miliar.

Ypræ ſubcenſentur, Iprenſis Caſtellania, Meeſſena, Ronſſelara, cũ Comineo, Armenteriaq; Ciſlizanis: neq; non Caſſetum, Bellaq; cum Ambachtis.

Castellania yprenſis, Abbatia Zonnebeca canonicorum regul. viril. longeque potentiore eiuſdem inſtituti Abbatica Præpoſitura Vormeſela, ad annum 1100. inchoata, decoratur; & Abbatia Nonnebosci Veſtalium Benedictina, nomen adepta, à luculenta ſilua eius nominis, cui inſidet aut ipſi nomẽ mutuata: & vetuſto latoq; nemore Hauthulſtio: cuius Prioratu commendatario viril. duobuſque ſacellis ornati, magna portio in terram Francam extenditur: pertinetq; iam ad gentem Bocholtiam, Greuenbroucam, vendentibus Abbate Corbienſi, & Philippo Flandriæ Comite, iam regnante. Pagos numerat triginta tres: in iiſq; *Boeſingam*, gẽtis VVitenæ; vbi tria ſunt *Ouerdrachta*, hoc eſt, tranſportãtia fluminũ repagula: quæ ſtatis temporibus naues rotis funibusq; attractas, ab vna parte in aliam dorſo ſuo transferunt: qualia videre etiam eſt Nieuwendami, Poperingæ, Ooſtvleteræ, Coppenollæ: ad eum finem fluuiis inædificata, vt eos ſiſtant, ne loca accliuiora, ex quibus in humiliora lubenter decurrunt, omnino deſerant. *Stadam*, gentis Noyellæ: *Morſledam*, Eſpierræ: *Hollebecam*, Mourbecæ: *Becelaram*, VVoeſtinæ.

TERRA FRANCA.

QVÆ *Terra Franca*, aut *Vrilatorum*, hoc eſt, Liberorum vernaculè nominatur; hinc nomen illud videtur eſſe nacta, quòd pretio, officiis, obſequiiſque in magna annonæ caritate, tempeſtiuis, gratiſq; à iuriſdictione Brugenſi diſſui impetrauerit, vt Caſtelani Brugenſis iuri imperioque laxiori & imbecilliori ſubderetur: qua in opinione Io. Lud. Viues eſt: exueritq; optimi capitis Balfarti, ſimileſque ſeruitutes. Cui ſenſim in magnũ corpus amplificatæ, Philippus Alſatius, terræ pro-

proprietarius, à Brugẽſi caſtellano rogatus, iuris formam legeſque præſcripſit, Curebreui, hoc eſt, ſelectorum ſtatutorum diplomate, à Lud. Niuernio, qui & Creſſius, & à Philippo Audace confirmato, ac ad illorum temporum mores accommodato: vbi cauetur, vt inſidiarum letalium auctor, quique illis hortum domúmve ſubminiſtrat, homicidij reus; qui auxilio fuerit (ſalua vita membriſq́;) Principis & caſtellani volũtati obnoxius eſto. Fur in rerum ablatarum æſtimationem, & in mulctam trium librarum Pariſicarum damnas eſto: predeſque duos, ſe deinceps abſtenturum, in eam ſummam ſingulos dato: mulctæ autem ad Comitem, Caſtellanumq́; æqualiter accedebant. Impuberis puellæ, huius hæredibus inconſultis, matrimonium eblanditus, bona committito. Virorum criminis peractorũ pœnæ mulctæque, vxores liberoſque inſontes, non tenento. Idem Philippus viginti ſeptem ſcabinorum magiſtratum illic inſtituit: quibus nimirum viuentibus functio non adimitur; niſi aut Principem mutantibus, aut falſi conuictis; ex quibus tres ſolummodo, Burgimagiſtri puta, ab Oriente, Septemtrione, Occidente, Ludouici Creſſij ad annũ 1330. iuſſu denominati, per Principis vicarios ordinarios, circiter Nonas Septembris, ſtatim poſt Brugẽſem magiſtratum renouatũ, quotannis creantur: quarto conſule ex Vrilatis (qui ex magiſtratu ſcabinorum nõ ſunt) primariè adiuncto. Coëmit hâc Ioanna Conſtantinopolitana à Ioanne Brugenſi Caſtellano, Neellæ Gallicæ dynaſta, quem P. Æmilius, & Budæus Ioannem Nigellanum vocãt, cui priùs Ioanna irata, chyrothecam duelli teſſeram per virum nobilem obtulerat. Is in tabulis venditionis, confectis Meloduni, anno vigeſimo quarto poſt milleſimum ducenteſimum, menſe Februario, affirmat, ſeſe Ioannæ hæreditariè vendidiſſe & ceſſiſſe,

Caſtellaniam Brugenſem,& quicquid tenebat feudi homagiiq́ue illinc depēdentis, ac pretium ſibi perſolutum, quod fuit viginti tria milia, quingentę quadragintaquinque libellæ, ſex ſolidi, octo denarij Pariſici: contractui velut teſtibus adhibitis Ludouico octauo Gall. Rege, Philippo eius fratre, Boloniæ Comite, Garino Epiſcopo Siluanecti, Cācellario, Matthæo Montmorencyo, Coneſtabile, aliiſq́ue proceribus. Hæc terra Franca valde ampla eſt, fertiliſq; & opportuna, Iſaræ, Liuiæ, mariſq́ue affluxu: Abbatiis Bernardinis, Doeſtij ſiue Thoſani viril: Werkenę, cui nomen Cæleſtis vallis eſt, & Aſylum facinoroſorum: Spermaliæq́ue femin. Victorina Trudonis Veſtaliū; cum Benedictinis D. Andreæ virili: ac Merkemi femin. per Clementiam, Roberti Solymi vxorem, inchoatis. Neque hîc nauigabilis & latifluus lacus à Nieuwega Houtauenſi, Brugam ferè vſque deeſt: neque ampliſſimum nemus Winendaljum, neque alibi inſulæ: inter quas Caſantia, Sluuſæ proxima, oppoſitaq; poldris, hoc eſt, agris è mari ſtagniſq́ue recuperatis, perq; aggeres obſeptis, fœcundiſſima eſt: quam Angli olim direptionibus flammiſq́ue, Oceanus voraci arroſione, non mediocriter detriuerunt. Altera Ooſtburgij, nēpe Ambacti, inſula fertilitate etiam commendatur: in qua Breskinſantum, ſiue Breskinam, à Vliſſinga VValchræ, vix horæ ſpacio, fretum nunc diſcernit: quum Vliſſinga Flādriæ continenti ferè adhæſiſſe exiſtimetur ante annum 980. quo Otho ſecundus Cæſar, foſſam Othonianam, ad commoda nauigationum duxit, metuenſq́ue ne aliquando mare damnosè irrumperet, cataractas, quas *wielinghen* adhuc vocant, quòd rotis funibuſq́ue eleuarentur, extrui iuſſit: quæ vſque ad annum 1377. inundatione multos pagos ſubmergente famoſum, incolumes remanſere. Inter illas inſulas media ferè

eſt

eſt VVulpia; quæ noſtro æuo, mari excluſo reſtaurata, & hoc iterum indignabundo, ferociuſq; irrumpente abſumpta, periit ſuo dynaſtæ Mathię Laurino propinquo meo, terræ Frãcæ ſcabino conſulari erudito. Includit *Terra Franca* trigintaquinque Ambachta, cum *Appendentibus* & *Contribuentibus*. Ambachta ab Aerdenburgo, Ghiſtela, Leffinga, Aldenburgo, Ooſtburgo, ſimilibusque nomen ſortita, & pagos nonaginta complexa, vnius terræ Francæ tribunalis in Brugenſi vrbe atque Burgo per Lud. Creſſium anno 1323. ſtabiliti, iudiciis decretiſque parent: Appendentes Contribuenteſq; (ſic enim vulgò appellantur) vigintinouem pagis inſtructi, ſuis quidem ſinguli toparchis obſequuntur; ſed in publicis comitiis, conſiliis, tributiſque, Ambachtorum ſubſidiarij ſunt atque partiarij: Appendentibus ad terræ Frãcæ: Contribuentibus, ad concilij Flandriæ tribunal appellantibus. Inter quos ſubſidiarios ſpectare eſt, Præpoſituram Donatianam principe viro dignam: VVinendalæ, Pratæ, Maldeghemi, Guiſæque Baronias: cum *Wikerca* & *Hardoya* gentis Claerhoutæ: *Merkemo*, Halewinæ: *Lichteruelda*, Heulæ: Pagis autem illis vaſallicis, dynaſtiæ pluſquam centenæ, templorum conſortio annexæ, iuriſdictione ſeiunguntur. Statuit Lud. Creſſius vt exulibus Brugenſibus aliorumq; oppidorum tutò liceat in terra Franca agere: E diuerſo, vt Vrilati nuſquam captiui diſtineantur, niſi priùs in ius vocati conuictique, quod à patre antiquatum fuerat, Ioannes Digeonius indulſit, vendiditq; terræ Francæ magiſtratui, ſeptem ſcutatorum Francicorum milibus, ſcribatum tribunalis, hoc eſt, eius muneris conferendi cui velit facultatem. Enimuerò Philippus Bonus eius filius, tum vt nobiliũ aulę aſſuetorum obſequentiumque, qui ibi ferè in magiſtratu ęrant, opera ad commodum ſuum, publicis in

comitiis

comitiis vteretur; tum vt Brugenſium potentiam frăgeret, conſtituit (quemadmodum antea perſtrinximus) vt *Terra Franca* quartum membrum tribus aliis adiungeretur, quum priùs ad tres, quas dixi vrbes, quaſi tripolim, cetera Flandria Teutonicæ linguæ obnoxia referretur; atque ſignum militare, ſigillumq́;, non ſecus atque aliis membris, ad annum trigeſimum ſeptimum poſt milleſimũ quadringenteſimum attribuit. Inuita ſanè quàm maximè Bruga atque obmurmurante. Quam indignationem, orta in Mariam, Philippi neptẽ, Maximiliano poſt enuptam, tempeſtate; velut vomicam patefecit, vt fiſtulæ diu intercluſæ, aut interceptæ, turbidiores aquas eiiciunt; quũ à tumultibus non priùs abſtinuit, quàm impetrauit; vt quarti mẽbri prærogatiua terræ Francæ adimeretur. Sed hăc Carolus Quintus Cæſar reddidit, atque ſanxit. Ornatur Ludouico à Flandria, Praetæ VVoeſtinæq́ue Barone, equite aurei velleris, doctrina, magniſq́ue dignitatibus prçſtanti, ad quem extant Deſ. Eraſmi & Viuis epiſtolæ honorificæ; qui doctorum præſidium, Nobilitati à literis (vetuſto cacoëthe) abſterritæ, facem prætulit, ad ſcientias excolendas, & Carolo Quinto Imp. cui à cubiculi præfectura erat, auctor fuit, vt in literatos largiùs propenderet: Marco & Guydo Laurinis, quos omnium antiquitatum doctiſſimos Goropius nuncupat. Penes eos certè fuiſſe locuples numiſmatum antiquorum, Romanorum, aliorumq́ue gazophylacium, & Hubertum Goltzium, vitæ commoda, chalcographiam, famamq́ue ex veterum numiſmatum, faſtorumq́ue conſularium publicatione ortă, Marco debuiſſe, in propatulo eſt: Erat Marcus, cuius hæreditatem Guydus frater Iuriſconſ. adiit, dominus VVatervlieti in terra Franca, Biervlieto ferè tenus, ab auo eius Hieronymo, ex Neptuni tridente, per obſepi-

menta

menta recuperati:quod eius induſtria gratiáque tum oppidi priuilegio à Principe decoratum eſt; tum vt in cenſu Flandriæ ſubcenſeatur Ypræ, optioni eius conceſſu. Illorum patruus Marcus, collegij Donatiani Decanus, à Deſ. Eraſmo, frequenter hoſpitio excepto, à Lud. Viue familiariſſimo,eiuſq́;ſeculi aliis viris præſtantibus,non leuiter commendatus eſt. Victore Ghiſelino, Medico, Poëta, & Philoſopho; qui in Prudentium commentatus eſt; & vnà cum Torrentio, Busbequio, Mekercho, Lampſonio, Lernutio, Modio, Vulcanio, Rocaſio, Flandris, præconem inuenit Iuſtum Lipſium, phœnicem huius ęui ingeniorum: Ioanne Loxo, Philoſopho, Præpoſito Abbatico Euershamij: Ferdinando Veranemano, Iuriſconſulto, Regij priuatiq́; in Belgio concilij Senatore: Hadriano Pneſſio, ex iuris profeſſore Duaceno, Mechlinienſi Conſiliario: Læuino Apollonio, Hiſtorico: Franciſco Rapardo, medico.

Terræ Francæ ſubcenſentur Feurnenſis, Bergenſis, ac Burburgia Caſtellaniæ, cum earum appendicibus numeroſis; quæ partim ſunt pagi Vaſallici, partim pagis implexæ dynaſtiæ, quas fiſſuras vocāt; quòd à Comitis dominio vtili, cui videntur poſſe ſalubriùs iterum conſolidari, olim ſint diffiſſæ atq; diſparatæ.

De Magiſtratibus.

IN confeſſo compertoque eſt, nullam hominum ſocietatem coaleſcere, & trāquillam perdurare poſſe, niſi legū nexu compingatur atque vinciatur: Legibus autem animam atque robur à Magiſtratibus, hoc eſt, quibus ceu magiſtrís præcipua rerum cura incumbit, maiorique imperio & poteſtate quàm priuati pollēt, indui indubitatum eſt; quorum alij maiores ſunt, alij mino-

minores:Pro maiori,Flādria Comitem dominumq́; ſuum habet; ceteri qui ab eo, tanquam à fonte riui, vim ſuā accepere,minores ſunt. Horum alij ad Principis celſitudinem patrimoniumque pertinent conſeruandum, alij cuiuſque loci ſubditos reſpiciunt. Priori loco habentur *Cameræ* (ſic vulgò nominātur) *Legalis*, *Hooſtredenenga*, *Computationum*, & *Flandriæ concilium*. *Legalis*, ceterarum Curiarum quaſi vertex, *Parium* olim (nam antiquitus proceres Pares,exemplo Gallico,in Flandria emicuiſſe antea dictum eſt) iam Valuaſorum & conſiliariorum Comitis cōuentus eſt eo loco & numero,quo illi viſum eſt, Gādaui inprimis congredientium; ad quam deducebantur res grauiſſimæ, & ad amplitudinem curamq́; Principis propriæ ſpectantes:quę iampridem ad concilium conſiſtoriúmque Principis aſſiduum, aut ad Flādriæ concilium,Gādaui fixum,affluunt;& ad quā etiamnum omnes Feudorum controuerſiæ à curiis Comitis Feudalibus appellatæ, intromittuntur, iūdicāturque abſque prouocatione,præſente Comite, & ſubmonente,aut eius abſentis Bailiuo: puluino, ceu iuſtitiæ lecto, auleis inſtrato, vbi ipſemet Comes aderat, enſeq́; nudo, ad meri ſupremiq́; imperij teſtificationem,illi ſuperpoſito. In hunc conuentum quo Ioānes Aldenardæ dominus fatebatur dynaſtias ſuas Leſſinam, Flobecam, Podsbergæ nemus, homagio Flandriæ attineri,ipſemet Guydus Flandriæ Comes anno 1281. vocauit ſubmonuitq́; Robertum filium, Ioannem nepotem, proceréſque Ghiſtelanū, Mortaingnium,Hieſſelium,Vormeſelium,eiúſque notæ alios, vnde vetus illius concilij ſplendor innoteſcit. *Hooſtredenenga*, Gallicè contractéque *Renenga*, hoc eſt caput, ſupremáque Curia ratiociniorum, conſiſtit ex quæſtoribus Comitis beneficiariis & hæreditariis, de quibus antea diximus. Hi annuatim euocati,

cati menſe Iulio ad diem à cõclaui computationum præſcriptum, triduum, eóque amplius Lilæ congrediuntur; cauſáſque omnium, ſeſe à receptatoribus dominicæ pecuniæ iniuſtè vexatos, aut poſtulatos conquerentium, omnéſque actiones perſonales, patrimonium, canonémque principis reſpicientes, atque reales etiam, exceptis de proprietate & ſucceſſione Feudorũ quęſtionibus, cognoſcunt, deciduntq́; amota appellatiône: reſcribunt ad libellos ſupplices, nouoſq́; peculij dominici quæſtores Feudatarios, ad fidelitatis iuramentum conſeſſumq́; admittunt: primum locum obtinente Prępoſito Donatiani, vtpote perpetuo Flandriæ Cancellario: Bailiuo, Procuratore fiſci, Scribaq́; per Principem delegatis. *Computationum curia*, ex pręſide, quatuor magiſtris, inter quos primarium locum induſtriè tuetur Ioannes Trompeſus Brugenſis, quinque auditoribus, & duobus ſcribis iampridem ordinariis, coaleſcit, Lilę ſtabilita. Examinat, expungit, ſancit rationes calculoſq́; fructuum, exorientium ex dominicis prędiis, ſiluis, portoriis: ex obuentionibus confiſcationum, mulctarum, bonorum pro derelictis habitorum, mari eiectorum, nothorum abſque liberis morientium: ex iuribus feudalibus homagiorum, aliarumq́; recognitionum: ex Bailiuorum penſionibus, ſimilibuſque Principis emolumentis. Cui curiæ inprimis quæſtores illi hæreditarij, duóque receptatores generales mandatarij, alter Orientalis, alter Occidentalis nuncupati, ad rationes reddendas obnoxij ſunt; non ſecus atque peculij dominici coactores atque debitores in Arteſiæ, Hannoniæ, Namurci, ditionibus Mechlinię, Tornaciq́ue. Quibus omnibus illi rationum indices, quales Athenis λογιςαὶ, nihil abſque graui cauſa acceptum ferunt. Olim quidem maiorem poteſtatem, Philippo Audace auctore illa curia

nacta

nacta erat: nam duobus iuſtitiæ adminiſtrandæ conſiliariis aucta, omnia, quæ ſpectabāt ad amplitudinē Principis,& qualeſcunque delatas querelas, decidebat; ius illinc relatione petentibus decernebat; Officiarios ſiue iuſtitiæ,ſiue patrimonij Principis adminiſtrandi,culpæ affines amouebat. Sed Ioannes eius filius, vt ceteræ Flandriæ gratificaretur, conſiliarios illos iudices Aldenardam, & poſtea Gandauū tranſtulit: hanc ratiociniorum curiam Lilæ reliquit,originalia etiam edicta & priuilegia publicè à Principibus indulta, regeſtis aſſeruantem. *Concilij Flandriæ* (ſic enim vulgò nominatur) Lila Gandauum tranſducti, & amplificati, occaſio nata eſt, partim ex origine & imitatione curiæ per Ludouicum Malanum inſtitutæ, quam *Audientiam* vocabat, iudicantis de litibus auctoritati vrbanorum magiſtratuū non ſubiectis, præſertim de Scabinorum & Bailiuorum corruptelis flagitiiſque: poſt tamen extabeſcentis,quòd Principi ſubditiſq; nimis eſſet ſumptuoſa; partim,vt Flandria paulatim à iuriſdictione & reſortitione curiæ Pariſienſis diſſueretur, & in integrum reſtitueretur. Conſtat enim ante Philippi Pulcri Gall. Regis tempeſtatē, parlamēti ſtatarij Pariſienſis iuriſdictionem longiſſimè extendere ambientis, Guydumque Dampierrum ſubdolè euocatū detinentis, non Comitem modò, verùm etiam omnes in Flandria magiſtratus iudicaſſe, amota prouocatione; Galliſq; dicentibus clientelæ à Flādris Regi debitæ,iuriſdictionem reſortitionemq; Gallicam includi obnitebantur; tum ex antiqua & perpetuata Flandriæ iudiciorum in contrariū conſuetudine; tum exemplis Brabantiæ,Hannoniæ,Hollandiæ, ditioniſq; Aloſtanæ: quæ licet in hominio S. Imperij ſunt, non pertinent tamen ad eius iuriſdictionem. E diuerſo Dendremondam & Gheersbergam (quamuis feudalem clien-

clientelam Flandriæ Comiti nő debeant) ſubiectione tamen & iuriſdictione eius comprehendi. Itaque homagium & iuriſdictionem eſſe res natura interq; ſe diſiunctas. Negari tamen non poteſt quin Philippus Auſtrius primus Atrebati anno 1499. tunc quum pacis dotaliſque regni Hiſpaniæ inuiſendi auidus, Guydo Rochefortio Galliæ cancellario fidem Flandriæ nomine daret, ſe ſubmiſerit veteri & vſitatæ reſortitioni; ſed non ſemel cōtrouerſum deinceps fuit, quid, quantumque per eas voces Gallo deberetur.

Poſtremò, potiſſimam huic prouinciali Flandriæ Concilio cauſam præbuit, Philippi Audacis, eiuſque filij, ob Caroli ſexti Galliæ Regis curatelam, frequēs vnà cū conſiliariis abſentia: eamq; ob occaſionem, Senatum certo quo ipſis placuit loco; fuit enim Aldenardam, Curtracum, Teneramondam, Ypramq; ſubinde traductus; conſtituentium: qui Gandaui demum ſtabilitus eſt: ad quem, omnia quæ celſitudinem, & iura auctoritatemq; Principis in Flandria reſpiciunt, & Bailiuorum, monetariorū, eccleſiæ prouinciæque noxiorum, & Saluagardifragorum crimina, cunctæque vrbium & caſtellaniarum inter ipſas, aut cum exteris controuerſiæ; ab illarū, ceterorumq; magiſtratuum ſententiis appellationes, ac gratiarum remiſſionumq; à Principe criminibus indultarū verificationes deferuntur: ceteraque, quæ inſtitutione & mandato Caroli Quinti Cæſaris ad annum 1522. vndecimoque pòſt anno ſupra ter quingenteſimum publicato, continentur. Qui Senatus ex Præſide, cui equeſtris dignitas ſtatim adiicitur, Conſiliariis octo, Commiſſariis quatuor iam pridem conſtituitur: illis honoraria annua; his illorum vice, inquiſitionum ſiue informationum emolumenta capientibus: additis & aſſidentibus, Procuratore & Aduocato Principis, Quæſtore obuentionum, Scriba Notarioque.

K Qui-

Quibus omnibus, cauſarumque Patronis, Procuratoribus, Accenſis, Huuſſieriſve, & nuciis, concilij illius membris, immunitas Gandaui ſuppetit ab oneribus vrbicis, vectigalibuſque impoſitis eſui, & vino, cereuiſiæq; non petitis poculatim ex popinis, ſed in vaſis penuque conditis. Ad quam immunitatem citra obſtaculum obſeruandam, magiſtratus ciuitatis Gandenſis anno 1497. per concilium Principis arcanum ſe damnari aſſenſus eſt. Primis autē omnium in Senatum hunc per Ioannem, Philippi Boni patrem cooptatis, Præſidi vni, & Conſiliariis ſeptem, Aduocato, Procuratori fiſci, Scribæ, Quæſtoriq; obuentionum; hæc ordine nomina & cognomina fuere: *Simoni Formelo, Iacobo Lichterueldio, Gulielmo Halewino*, equitibus: *Henrico Goethalſo, Danieli Alaerto, Iacobo Tennerto, Antonio Wiſſoto, Theoderico Royo, Nicolao Cheſno, Victori Bauedamo, Rolando Mourkerco, Guyoto Boyo*; mandatam iuriſdictionem capeſſentibus, maiori tum ſplendore quàm obſequentia, ad annū 1409. in ampliſſimo ſuperiori atrio arcis Graueſtenæ: vnde pòſt in inferius, aſcenſu minùs arduū, conuenerunt: eaque in arce cuſtodia eſt reorum, ſpectantium ad illius concilij cognitionem.

De Magiſtratibus, qui ad cuiuſque loci ſubditos reſpiciunt:

ET PRIMÒ,

DE SCABINIS.

MAGISTRATVS ſingulis in oppidis, caſtellaniis, dynaſtiis, poteſtatem obtinentes, partim Scabini, partim Bailliui nominantur: Nam quæ Vergobretorum nomina ab Heduis Iulij Cæſa-

Cæſaris, P. Æmilius ad Flandriæ magiſtratus traducit, ibique vſurpari aſſerit, inaudita ſunt. Quos verò *Scauinos* Latine efferimus, à Germanico *Scaſhin*, hoc eſt, ſollicitè ſubitoque quippiam expedire, vulgo noſtro *Scepeni* vocantur, à *Scep* (ait Goropius) hoc eſt, rudi materiæ formam indo: quia nimirum rebus in repub. conſtituendis præſunt, tollendiſq; controuerſiis: niſi fortè alludere malis ad Græcorum σκεπὴ, aut σκεπάζειν: quorum hoc defenſionem, illud Senatus acta dictáque ſilentio obtegenda ſignat. Galli *Eſcheuinos* nominant, ab *eſcheuer*, hoc eſt, vitare, quia præcipuè ipſis vitanda ſunt reipublicæ detrimenta. *Leges* etiam, quia magiſtratus lex animata eſt, aut eſſe debet, communiter appellantur. In quorum ordinem Carolus quintus Cæſar promulgato ad annum 1531. edicto, prohibuit ebrioſos cooptari, voluitq; vt nimiæ potationi aſſueſcentes, ſi per errorem in illam functionem irrepſerint, remoueantur: quod decretum mitius fuit Solonis ſanctione ſtatuentis, vt magiſtratus ebrietatis compertus, morte puniatur. Certè multis in magiſtratu conſpicuis, non exitium; ſed alium magiſtratum, quem Athenienſes vocabant οἰνόπτας, hoc eſt, vini bibendiq; obſeruatores, & τῶν οἰνοφλυγῶν, ſeu vini helluonum mulctatores, aliquoties exoptamus. Scabini iura & priuilegia populi defendunt, lites in iudicium deductas, ex norma ſtatutorum & conſuetudinum municipalium, aut illis deficientibus ex iure ſcripto decidunt: tormentis quæſtionum adſunt, crimina examinant, vitæ neciſque ius & facultatem habent: ſubmonentibus, per concepta verba, Principis officiariis, populo audiente, ſed ſupplicij condemnatos noxæ eximere ipſis nefas eſt: ſoli Principi permiſſum magis, quàm vſurpatum. Politica edicta ſciſcere illis licitum & vſitatum, Comite ſanciente: at tributa ſimiliaque onera

ſubditis indicere, niſi Principe cauſas neceſſitatis cognoſcente, imponendiq́; oneris facultatem largiente, prohibentur: primùm Ludouici Malani, deinde Caroli quinti Cæſaris ad annum 1516. conſtitutione. Illorum præſides (quibus Senatus conuocandi & dimittendi, ad eum referendi, primi conſeſſus & ſententias circumrogandi ius & poteſtas eſt, quæ numerantur, non ponderantur, Romano more. Neque enim aliud, inquit Plinius Iunior in publico conſilio fieri poteſt, in quo nihil tam æquale quàm inæqualitas ipſa: nam cùm ſit impar prudentia, par omnium ius eſt. nuncupantur Gandaui, & in Yprenſi, Bergẽſi, Burburgiaq; caſtellaniis, *Primi Scabini*: Ypræ, Bellæque *Voegti*, ſiue *Tutores*: penes quos nimirum ſummum ius eſt rerũ ordine ſuo iungẽdarũ. Vernis enim noſtris *Voeghen*, componere & accommodare denotat, niſi quis fortè magis delectetur Græci nominis & ſignificati, *βοηθοὶ*, paronymia: Bergæ *Portmagiſtri*: In Feurnenſi caſtellania *Lanthouderi*, quaſi terræ cuſtodes, adiunctiq́ue illis Scabini etiam *Keurheri*, ceu electi domini: *Keur* enim optionem, electionemq́ue ſignat, appellantur: Brugæ, ceteriſq́; ferè in oppidis, & in terra Frãca, *Burgermagiſtri*, hoc eſt, quibus præcipua ciuium cura incumbit, nuncupantur: quos inueteratæ Romanorum munerum cacozeliæ vſucapione, nulloq́; functionum æquilibrio, Conſules Latinè vocamus: niſi ex Lucij Flori interpretatione eos ſic appellemus, vt cõſulere ſe ciuibus ſuis debere meminerint: vel ex Varronis explicatione, quòd rẽpublicam, hoc eſt, populum Senatumq́ue conſulant. Antiquitus Scabini, licet ob iuſtitię, largitione redẽptæ, corruptelam, Comitis punitioni cũ bonis ſuis ſemper ſubiacerent, dignitatem ante mortem non exuebant: nullamq; pecuniæ publicæ adminiſtratæ rationem Principi, at inter ſe tantùm reddebant: neq; ab
eorum

eorum ſententiis prouocare licebat, imò appellantibus ſexaginta librarum Pariſicarum mulcta imponebatur. Verùm Ioannæ Cõſtantinopolitanæ, Guydiq́ue ex ſorore nepotis induſtria, aulica prudentia, multoq́; labore effectum fuit, populo nouitatis auido ſuffragante, vt quotannis per Commiſſarios Comitis ordinarios, aut remoueantur, aut prorogentur, atque ad rationes coram illis populoq́; purgandas, teneantur. Neque illuc admittebatur vllus manuoperarius, vt vocãt, niſi iam anno diutiùs ſeſe ab opificio remouiſſet: quia huiuſmodi, quos aptiùs ergaſteres Græci vocant, potiùs ventris quàm reipublicæ commodis & neceſſitati ſeruiant: quod popularius fuit quàm inſtitutũ Thebanorum, eum à magiſtratu eliminantiũ, qui decem annos à mercatura factitanda non abſtinuiſſet. Tandem Flandri, & Philippi Regis, quem diximus, cupiditate ambituq́;, Lutetiam ſenſim attrahebantur: & Philippi Boni circumſpectione pedetentim illinc crepentes, huius contra Gandenſes ad Gaueram victoria potentiaq́; gliſcẽte, coacti ſunt, concilio prouinciali Gandaui fixo, parêre: eoq́; res deuenit, vt à cunctis magiſtratibus ad ſenatum Principis, Gandaui collocatum, appellare licitum ſit, & Flandria diffuſiùs litibus inundauerit: fori tabe, pecuniam cauſidicis vt vi morborum precia medentibus, adferente. Porrò ſingulis tum oppidorum tum caſtellaniarum magiſtratibus in cogenda, expendenda, & annotanda publica pecunia, ſubſeruiunt quæſtores: illic *Theſaurarij*: hîc *Receptores* vulgò nuncupati: exẽplo Græcorum, maximè Athenienſium, tales pecuniæ coactores, eadem notatione vſuque vocantium ἀποδέκτας: quod ſubinde ſignamus: quia delectat, vetuſtarum nobiliumq́; gẽtium, præſertim Athenienſium, quos leges Solonis regebant, conſentientem interdum cum noſtratibus po-

litiam,intueri:in oppidis frequentiùs bini,hîc ſinguli ſunt; quos in pleriſque vrbibus,præterquam Ypræ, Principis vicarij, vti ſcabinos, eligunt:neque nõ magiſtratibus perpetuò aſſiſtunt aſſeſſores & conſiliarij per illos cooptati:quos partim *Graphiarios*,aut *Secretarios*, partim *Penſionarios* vulgò nuncupant : illos à tabulis actiſque(quales Athenis,eodem ſignificato, γραμματεῖς) graphio, ſtilóve deſcribẽdis,expediẽdis, conſilioq;:hos à penſione,qua honorantur,ore ſenatus,conſiliis,legationibus. Quibus omnibus,vtpote iuris tam ſcripti quàm municipalis peritioribus,& in continuo, annuæq; mutationi non obnoxio rerum vſu verſantibus, multum defertur : neque nobilibus id munus indecorum eſt. Extra ordinem etiam magiſtratibus vocati adſunt, eiuſdẽ antea ordinis (quos *Notabiles* appellãt) vnaq; deliberant plerumque magis quàm definiunt : neque quum opus eſt,illinc abſunt Decani opificiorum, & *Sodalitates* quædã, quas Græci cum Romanis Hæterias, noſtri *Cõfratrias* dicunt,*Gladiatorum* & *Sagittariorum*. Illi enſes ancipites, longos, vtraque manu peritè tractant : hi arcubus, ſiue chalybeis, ſiue acernis, ſpicula;aut ſclopis manuariis,plumbeas pilulas eiaculantur ; vel ſaltem illis claſſibus aſſcribuntur.Quibus pridem veſtis erat bicolor,adiecto emblemate argenteo,vt internoſcerentur.Illorum autem vſus in ſubitis periculis & terroribus,tam inteſtinis, quàm hoſtilibus, opportunus eſt : Flandriæque Comites, antequam tot finitimarum ditionum acceſſione , auliciſque ſtipatoribus augerentur, ab vno oppido in aliud , honoris defenſioniſque cauſa ab illis deducebantur: & iampridem ad ornandum Principis vel aduentum,vel inaugurationem,adhibentur.

DE BAILIVIS.

BAILIVI nomen à Baila voce Gallica, tutelam cuſtodiamque ſignificante, originem elicere videtur: nam illud deducere à Græcorũ βαλιος, quod maculoſum ſignat, turpe: à βαλλω, quod petere & impetere denotat, odioſum: & quia virgas manuſq; iniectionem Bailliui habent, dicenti periculoſum. Non minùs Bailiui, quàm Scabini per Principem committuntur, mutuaſque operas tradunt. Quibuſdam in locis, Brugę inprimis, *Schultheti* vocantur, à Germanico vocabulo, *Schultheſſen*, noſtrati *Schultheten* & *Schoultheten*, Germanicũm enim ſigma ſibilumq; nos ferè in literam tau emollimus, quod ſcilicet debitoribus iuberent, vt creditoribus ſatisfacerent (licet Goropius *Schultheiſchen* dici malit, quaſi debiti noxæq; exactores.) Quæ vox in Lutprandi Longobardórum Regis legibus vſurpatur, nominaturque *Schuldahis*, iudicemq; denotabat, de debitis pronunciantem, & creditori ſatisfieri iubentem: nunc autem in aliquot Heluetiæ vrbibus, publici concilij caput, peneſq; Germanos Principes, locorum præfecti, vocabulo *Schultheſſen* deſignantur. Noſtris verò moribus, Bailiui Schulthetique, hoc modo, his officiis, à ſcabinis differunt: Scabini iudicant, Bailiui iudicatum, & ſcabinorum ſcita, Principumq; conſtitutiones exequuntur: illi vocationem habent, hi prehenſionem, miſſionem in carcerem, accuſationem: illis quotannis honorarium: ab his Principi annua pecunia dependitur, ex mulctarum ſorte compenſatis: illi annuæ aut biennij mutationi obnoxij ſunt: hi mandati diuturnioris limitibus. Denique Scabini iura populi: hi Principis magis reſpiciunt, eorumq; dynaſtarum à quibus committũtur: & Scabinos ad ius in propatulo tribunali dicendum

 ritè

ritè & neceſſariò ſubmonent, atq; tribunalis locum, poteſtatemq; velut aperiunt: vnde etiam tribunalia noſtrati vocabulo *Vierſcharen*, hoc eſt, quatriturbæ nominantur: quia nimirum quatuor perſonarum illic vſus eſt, Actoris, Rei, Iudicis, & Bailliui. Scabinos Bailiui dignitate & loco præeunt: vnde forſitan à cupidis amictus Latini, *Prætores* communiter appellantur: nulla ſimilitudine functionis: quum Scabini potiùs Romanos *Prætores*, iuris dicendi, condendique potentes, eminus referre videâtur. In aliquot caſtellaniis, præſertim Feurnenſi, & in terra Franca, Bailiuis additur *Crickhouderus*, ſic dictus, quaſi cuſtos ligni, ſuprema ſui parte tranſuerſarij, quod axillis ſubiectum, imbecilles ſuſtentat: cuius forma argentea pedalis magnitudinis, illi magiſtratui, munere ſuo in publico fungenti, ritè geſtatur. Is Scabinos in tribunali publicè tempeſtiueque ſubmonet, verbis conceptis: pupillares facultates inquirit, inſcribit, mulctatque earum interuerſores: & auctiones rerũ, præſente iudice, venalium, maximè nobilium palã proclamat annotatque. Neque ruri in primis deſunt Amani, quaſi *Amptmani*, hoc eſt, viri officiarij: quorum partes ſunt, diebus Dominicis, peractiſq; ſacris, in cœmiterio edicta magiſtratus, priuatorumque mandata præconari, triconibuſq; debitoribus domi denunciare vt ſoluant, aut vti vltra legis municipalis præſcriptum cunctabundos, ad ſoluendũ cogant; eorum bonis, mobilibus inprimis, venundatis in auctione. Poſtremò quemadmodum ceteris omnibus Bailiuis certæ metæ vnius vel oppidi, vel caſtellaniæ, pagique circunſcriptæ ſunt: ita Lud. Malanus quendam ſupremum rerum capitalium quæſtorem, vindicemq;, quem *Souueranum Bailiuum* nuncupauit, anno ſeptuageſimo quarto poſt milleſimum trecenteſimum inſtituit ad homicidas exuleſque vagabundos

dos

dos tota Flandria,& Antuerpiæ Mechliniæque (quę illi tunc parebant) apprehendendos, & ex ſententia duorum Comitis beneficiariorum morte plectẽdos, aut ex merito caſtigandos: quum priùs illud muneris à Receptatore generali Flandriæ gereretur, & vni vtrumq; onus nimium eſſet; tantis præſertim illius æui commotionibus. Permiſſa illi muneri iampridem, & à Carolo quinto Cæſare anno 1543. approbata, auctoritate atque facultate relegationis abrogandæ, & furti, neque non homicidij ex caſu aut defenſione, ſimiliq; occaſione, magis quàm inſidiis & præmeditatione reis, cæſiq; proximo conſanguineo paſſiſq; furtum, conciliatis, largiendi non ſolùm vltro, citroque commeandi quadraginta per dies ſecuritatem; verumetiam criminis condonationem: modò mulctæ pecuniariæ, ſecundùm facultates, enormitateſque illorum reorum, ab ipſo imponendæ; fructus, non ad eum, ſed Principem redeat: Flandriæq; concilium de reis an vera faſſi ſint, cognoſcat. Sin autem magiſtratus loci, cuius iuriſdictioni reus, qui tranſducitur, obnoxius eſt; ſuæ illũ cognitioni ſiſti petat, obtemperandum eſt. Quam dignitatem equites his cognomentis toparchiiſq; hac ſerie adminiſtrarunt: Goſuinus *Wildrus*: Ioannes *Iumontius* Merlemontenſis: Ioannes *Capellius*: Guilibertus *Lewerghemius*: Iacobus *Lichterueldius*, Coolſcampenſis: Alexander *Spierincus*: Monfrandus *Eſenenſis*: Felix *Steenhuſius* Auelghemenſis: Colardus *Cominaus* Ruſchurenſis: Iudocus *Halewinus* Peenẽſis: Galterus *Grachtius*, Morſelenſis: Ioannes *Halewini* dominus: Iudocus *Laleingnus*, Montignyus: Ioannes *Dadiſelenſis*: Ioannes *Burgundio* Eluerdingenſis: Iacobus *Ghiſtelanus* Montenſis: Ioannes *Hameſius* Betencourtius: Daniel *Praetanus* Merwedenſis: Hadrianus *Vilainus* Liedekerkenſis; Iacobus *Thienneſius* Caeſtrenſis:

 Ferdi-

Ferdinandus *Barra* Moſcronius. Neque dubium eſt quin illius inſtituti magna ratio fuerit,& vtilitas non inferior, ad agricolarũ viatorumq; ſecuritatẽ protegendã. HVCVSQVE Flandriam Teutonici idiomatis,latiſſimumq; & potiſſimum regionis tractũ complexam,expoſuimus: Reliquum eſt annectere Flandriæ partem non exiguam,quæ Gallicè loquitur,cui idcirco *Galloflandriæ* nomen induitur, tum vt methodo ab initio à nobis ſignata progrediamur: tum ne Flandriæ corpus mutilũ,ſed integrũ exhibeamus.

De Galloflandria.

GALLOFLANDRIA,Flandriæ pars,Gallici proloquij, *Lilam*, *Duacum*, *Orchieſam*, cum agris, acceſſoriiſq; cõplectitur. Quæ antequam Frãcis hypothecæ opponerentur,cum Gandauo,Bruga,Ypra,communia Flandriç comitia conſtituebant, conſilia, ſubſidiaque tam armorum quàm pecuniæ ſimul conferebant, annis etiam pluſquã centenis, poſt Arteſiæ diſtractionem. Et *Lila in Flãdris* (ſic enim ab omni æuo appellatur) mœnia,pomeraria dilatata,arcem,aulam palatinam, illuſtre canonicorum collegium, templumq; & ibi, vicinaq; in Marketta, aliquot Flandriæ Principum ſepulcra, leges magiſtratuſq; à Flandriæ Comitibus accepit:denique omnia illius tractus oppida agrique ſtabili fide affectuq; incolarũ, & perpetuis nobilium clientelis,parebant dominis Flandriæ:cum qua,vno feudo homagioq; Regi Franciç debito,comprehenſa, vnum corpus compingebant, abſque vlla ambiguitate,aut dilaceratione;donec Guydi Comitis Robertiq; Bethunij, eius hæredis cũ multa nobilitate, doloſè,iniuſteq; in Francia detentorum tempeſtate, per pacificationem Lilanam,Francis anno trecenteſimo,

ſimo quinto ſupra milleſimum oppignorarentur: quouſque nimirum pecuniæ, quæ quadringenta librarum Turonenſium milia non excederet, ſumma decerneretur, arbitrio octo apolectorum, regiq; Philippo ſolueretur. Sed Guydo, priuſquam ex cuſtodia domum rediret, Compēdij mortuo, & Flandrorum exercitu, quod captatum fuerat, diſſoluto; Rex ille fidei pactorumq; contemptor, eius filios natu maximos, procereſq; dimittere noluit, donec nouis iniquiſque conditionibus ſe ſubmitterent: & viginti milia numûm Turonenſium annua ipſi aſſignarent: illa interim oppida agroſq; pignori habituro: cui violentiæ Robertus Bethunius, vt ſeipſum, cum fratre Guilielmo, ceteriſq; optimatibus, captiuitate liberaret, annuit: Flandriq; Principis recipiendi nobiliumque vnà captiuorum auidi, aſſenſerunt: illiuſq; ſummæ ſemiſſem paulo pòſt ſexcenties mille libris Turonenſibus, ſupra æquæ ex Flandriæ calculo æſtimationis dimidium, iubente Rege, repræſentatis, diſſoluerunt: pro reliquis decem milibus annuis Robertus illa oppida, quæ diximus, cum agris hypothecæ reliquit, ſibi ſuiſq; retenta redimendi facultate. At Engherantius Marignyus Longeuillæ Comes, Regis potēs, mandatariuſq;, Roberto perſuaſit, vt regij honoris & munificentiæ reſpectu, luendæ hypothecæ ius à ſe abdicaret, cauſamq; totam Regis liberalitati fideiq; permitteret, interimq; illa decē numûm millia annua ſibi haberet. Sic ille iuratus ſe effecturum, vt perpetua Regis cum gratia hypothecam reciperet, Roberti credulitatem circumuenit: & his Franci ludibriis eas vrbes agroſq; in peruicacem poſſeſſionem proprietatemq; verterunt: Flandris cum Roberto ſemper reclamantibus, & ad Anglos, acerrimos Gallorum hoſtes, ea de cauſa ſeſe adiungentibus; donec Lud. Malanus Roberti pronepos, ad annum trecenteſimum

teſimum ſexageſimum nonum poſt milleſimum, illa membra auulſa, veteri veroq; trunco repoſuit, redhibuitq; per matrimonium filiæ vnicæ hæredisque, cum Philippo Audace; quia (abſque hoc eſſet) Ludouicus coniugiũ illud non permittebat, vehementer à Gallis expetitum, timentibus ne in Angliam illa nuptum elocaretur; quod in procinctu erat; tantumq; ditionũ illuc traduceretur. Itaque Franci Lilam, Duacum, Orchieſam, cum agris appendicibuſque reſtituerunt: partim expreſſa conditione, vt cum cetero Flandriæ comitatu vnicum feudum corpuſq; ex more antiquo efficerent, neque illinc vnquam diuellerentur: partim tranſactione Ludouico oneroſa: qui decem milia numûm annui reditus, per Ioannem Regem ipſi addicta, eorumq; incrementa, & ſupra centum quinquaginta aureorum coronatorum milia, aliunde ipſi debita, remittere Gallo ob eam reſtitutionem tenebatur, atque aſſentiri, vt, quandocumque filiæ eius poſteritas hærede maſculo deſtitueretur, Galloflandria ad Francos rediret, decẽ milia numûm Turonenſium annua, Flandriæ Regulo priùs aſſignaturos, neque armis, ſed iure acturos. quod poſtremum conuentionis caput per Carolum Sextum Gall. Regem, ſtipulante Philippo Bono, ad annum 1420. immutatum fuit, atque intellectũ, expoſitumq;, de feminis non recta, ſed tranſuerſa linea, in Comitatum Flandriæ ſuccedentibus. Tanto annorum (circiter ſexaginta puta) ſpacio, hæc regio Francis aſſueta, & à reliqua Flãdria deartuata, quum domum rediit (licet ad concilium Flandriæ adhuc appellet) tamen iuriſdictionem ordinariam, cenſum atque ditionem ſeorſim conſtituit, ex propriis Ordinibus, atque tribunali (quod ſupremum Lilæ, Duaci, Orchieſæque Baliuagium dicitur) eiuſque gubernatore peculiari ſtabilitam. Quod gubernatoris

ris munus proceres ex gente *Croya*, *Montmorencya*, & *Vilaina*, non ita pridem geſſerunt.

LILA.

LILA *in Flandris*, nam ſic,vt diximus, vulgò audit,in nomen Latinum *Inſulæ* perperam obſcureq́; tranſiit: neque enim hæc vrbs figuram inſulæ magis quàm aliæ continentis,præfert: neque ſigmatiſmo Liſla, quo locus mari aquiſq́; circumdatus Gallicè notatur, ſed Lila inſcribitur. Et generale inſulæ Latinum vocabulum, lectorem diſtrahit in incertum locum, mari vndíſve circumcinctum:vt quum dicuntur *Inſulani mali,Siculi peſſimi*: An hoc ad ſe pertinere volent oppidi Lilani indigenę?aut ſi Latinè pontem,vel montem indiſtinctè,citraque periphraſim nomines, quis ſtatim Bruggam, & Bergam vrbes deſignari autumet? Itaque genitalem Lilæ, vt ceterorum Flandriæ locorum vocem, Latinè retineri ſatiùs eſt, quàm larua Latina obfuſcari. Tam magnitudine quàm copioſis mercimoniis, nobilium domiciliis,populiq́; multitudine opulenta eſt,atque celebris:ex Liza per Deulam fluuium,muros, arcemq́; vrbis præterlegentem, Lizæq́; ad Deulemondam incurrentem, magnas opportunitates aſſecuta eſt, tantamq́; emporij famam, vt nulli Belgicarum vrbium,præterquam Antuerpiæ & Amſtelodamo poſthabenda exiſtimetur. Balduino quinto inter præſtantiſſimos Flandriæ Principes illuſtri, agnomentum induit: à quo viciſſim muris foſſiſq́;, arce, aula (quam Salam vocant) templo, collegioq́ue Canonicorum D. Petri luculentiſſimo, ad annũ 1066. cepto,exornata eſt. Leges,inſtituta,normamq́; renouandi quotannis ſcabinorum magiſtratus, quorum præſidem,vt in ceteris Galloflandriæ oppidis vocant *Maiorem*, ad imitationem Germanicæ vocis *Meyer*,

cum

cum honorem denotantis, à Ioanna Conſtantinopolitana accepit: celebreq́; xenodochium, quod Comitiſſæ etiamnum dicitur, atque à Guydo illius nepote, ad pomeria proferenda, aſſcriptam D. Mauricio partē: Sex portas, totidemq́; ſuburbia, portis cognomina complectitur. *Cameram computationū* à Philippo Audace anno octogeſimo quinto poſt milleſimum trecenteſimum eſt adepta: & ab huius nepote, Ordinis aurei velleris Brugæ inſtituti primū capitulum feſtumq́;, ſic enim vocitantur, in D. Petri Fano, triduanum: quod regificè inchoatum eſt anno 1431. prid. Cal. Decembris, in quem diem D. Andreæ feriæ incidunt: Friderico Murſæ Comite, & Simone Laleingno, Hanteſæ Comarcho, in loca Roberti Maſſemæi Flandri, pugna Bouinia ſtrenuè oppetentis, & Ioannis Neufchaſtelli Burgundi, ex ordinis albo eraſi, tunc ſubrogatis. Cœnobia habet Franciſcanum, & vtriuſuis ſexus Dominicanum: iuxtimque Abbatias Lozam, ſiue Laudis, Bernardinam virilem, anno 1152. atque Markettæ, eiuſdem normæ femin. per Ioannam Conſtantinopolitanam fundatā, nundinaſque menſe Auguſto annuas. Nobiliſſimus hîc conuentus anno 1433. agebatur: in quo Renatus Andegaui, Lotharingiæ, Bariq́; Princeps, qui ſe vtriuſque Siciliæ Regem ſcribebat, Caroluſque Borbonij Dux, cum Gall. Cancellario, ad Philippum Bonum acceſſere: ditionemque Caſletanam pro captiuitate Renati redimenda, filiiſq́; eius vadibus recuperandis in Philippum perpetuò tranſtulerunt. Scholam inſtituendæ in literis Græcis Latiniſque adoleſcentiæ, Ioannes Siluius, aliique non ſine fama fructuq́; Lilæ habuere, à magiſtratu ſtipendiati. Ornatur Galtero, Epiſcopo Magelonenſi: qui ſcripſit ſuper pſalterio Dauidis, & epiſtol. lib. 1. Alano, & Galtero Caſtillono, Theologis: Petro Oudegerſto, Iuriſconſulto, Poperin-

peringa oriundo:qui ſua Flandriȩ Chronica, Gallicè ſcripta, nece Caroli ad Nanceium, iuxta ac Meyerus terminauit: Franciſco Hemo, Dominico Baudio, Poëtis: Guilielmo & Walerando Hangouartis Iuriſconſultis, per Antonij Meyeri epicedia celebratis: quorum ille regij apud Atrebates concilij Præſes; hic regius Eleemon, primuſq; Academiæ Duacenæ Rector, & Cancellarius extiterẽ: Neque non Ioanne Sauuagio, Burgundicæ aulæ Cancellario celeberrimo, qui anno 1517. mortem in Hiſpania obiit: cui ſucceſſit Mercurinus Gatinaria, Italus.

Diſtat Ypra & Tornaco quinque: Gandauo & Bruga tredecim miliaribus.

CASTELLANIA LILANA diſtincta eſt in *Carembaultiam*, vndecim, *Peuelam* 26. *Melanthoiſam* 21. *Ferrainam* 28 *Weppeſam* 32. *Tranſcaldiam* 7. & *Comitatus* 12. pagorum regiunculas: vnde efficitur vt centũ triginta ſeptem, eoq; amplius pagos comprehendat: frugũ populiq; fertiliſſimos, atque Rubiæ, quam Garanciam vulgus tinctorum vocat, herbæ, lanis coriiſq; tingendis, ne color defloreſcat, neceſſariæ. Totaque eſt nobilium toparchiis plena, beneficium recognoſcentibus, à Sala Lilana, antiquo Comitũ palatio, feudorũ apice: inter quas pro exemplo numerantur *Halewinum*, illuſtris domus cognomentum: *Robaiſum*, Marchionis titulo nuper inſignitum, ſtirpis Werchiniæ: Haubordinum immunitatibus, dominioque ſtemmatis Borbonij nobile: non ſecus ac Phalenpinum, Abbatia canonic. regul. ornatum; *Ongnyeſum* clariſſimæ familiæ cognomentum, peculiũque caſtrenſe: *Seclinium* caput terræ Melanthoiſæ, collegio canonicorum D. Piatonis Beneuentani decoratũ: *Noyella* gentis Noyellæ, *Busbeca*, Giſlenæ; *Monſpeuela*. Cunctas autem pręcedũt atque dirigũt cum Lilæ caſtellano, *Waurinium*, Senaſchalco Flandriæ

driæ clarum,gentis Laleingnæ,Cominæum,Croyæ: Ciſonium Werchiniæ,Abbatia canonicorum regul. exornatum. Porrò Lilæ Caſtellaniæ nomen & ius prærogatiuũ iampridem ad Luxenburgiam domum Borboniamq; Vendocinenſem ſpectat:ex contracto cum nepte Lud.Luxenburgij Gall.Conestabilis,luculentiſſimo matrimonio : Franciſca enim Iacobi à Sabaudia,Romõtij Comitis, & Mariæ Luxẽburgiæ filia poſthuma, hæreſque bonorum maternorum,& Coneſtabilis , nupſit Comiti Vendomiorum , regiæ proſapiæ Borboniæ,ſecumque illuc traxit Lilani Caſtellani dignitatem , & Dunkercam , Burburgum, Greuelingam,Rodiam,in Aloſtano,Baroniam,aliaſque in Flandria dynaſtias.

DVACVM.

DVACVM magis voce quàm ſitu refert Aduaticos , à Cæſare inter Eburones Neruioſq;, & à Ptolomęo vltra Tabudam,qui Scaldis eſt , in Tungrorum finibus collocatos. Potiùs videtur à tutelaribus excubiis , quaſi *Du vvaect*,id eſt,Tu excuba,nomen accepiſſe: Neruij enim ibi contra Atrebates Ambianoſq; firmiſſima præſidia collocabant. Illuſtri nomine eſt,propter Scarpum fluuium interlabentem,& ex bina ſcaturigine Arteſienſi (præſertim montis Eligij) ſalientem: eiuſq; in Scaldim demũ affuſi ſubuectiones : ob amplitudinem, munitiones naturæ,artiſq; : propter domicilia vetuſta,nundinas Septembri annuas : ſtabile aduecti ex vicinis agris, frumenti emporium , atque *Gymnaſium*;ob ſitus aëris,& idiomatis Gallici opportunitates,vniuerſis diſciplinis illic collocatum à Philippo Caroli Maximi filio;euocatis , honeſta per ſtipendia,quæ Græci διδακτρα, Latini Mineruália accommodatè appellabant,Louanio Doctoribus: collegiiſq;

legiiſque literariis, quæ Græci appoſitè σπουδαιτροφεῖα nominât, *Regio*, & *Anchiny* (quod Aquicinctum vocant) *Marchienæq;*, vigilias & vota ſtudioſorum adiuuantibus: vt quemadmodum aſpectus à circumfuſo aëre lumen accipit, ita mens à doctrina, hæc ab inſtitutione illuſtretur. Quæ beneficentia publicè vtiliſſima, non minus honorifica tanto regi exiſtimáda eſt, quàm M. Antonino Philoſopho, Auguſto, cóductos annua mercede omnis diſciplinæ Doctores, Athenis inſtituiſſe: aut Carolo Magno, Academiam Pariſienſem magnis ſumptibus excitaſſe: aut Franciſco primo Gall. Regi, publicos trium linguarum Profeſſores luculentis honorariis illuc acciuiſſe, anno 1525. Budęo & Bellaio ſuadentibus: quem eo facto ſcribunt Galli, maiorem & diuturnioré gloriam peperiſſe, quàm tot geſtis confectiſq; bellis. Docendi verò hîc principium honorarium, anno ſexageſimo ſecundo poſt ter quingenteſimum, menſe Octobri, auſpicatus eſt Franciſcus Richardotus, Atrebatenſis Epiſcopus, cuius Diœceſi Duacum continetur, magna vir doctrina, probitate, ac facundia. Cuius nepos Ioannes Richardotus, Iuriſconſultus, eques, non ita pridem ſenatus Arteſij præſes, haud minoribus virtutibus ſcientiiſque, quàm ſenatoria in arcano regis concilio dignitate effloreſcit. Duo hîc ſunt canonicorum collegia, Petri & Amati, cum Abbatia Pratenſi femin. Cœnobiis Crucigerorum Trinitatis, Franciſcano, & Dominicano viril. Iuxtimq; eſt Abbatia Flinenſis Bernardina femin. à Margarita Conſtantinopolitana fundata, duobusq; Flandrię Comitum ſepulcris decorata. Neque procul abeſt Abbatia Marchiennæ Benedictina viril. cepta à Rictrude, Duaci, vt ferunt, domina: quæ anno 687. ad ſuperos tranſiit. Ornatur Roberto Gaguino, generali miniſtro Crucigerorũ Trinitatis: ſcripſit lib. Orationum,

epiſtol. Carminum: De miſera hominis conditione, & volumen Chronicorum: Hieronymo Franco, concilij Arteſiæ Præſide, equite: Nicolao Brontio, Iuriſconſultis.

Diſtat Lila circiter ſeptem: Gandauo octodecim: Cameraco quinque: Atrebato ſex: Tornaco octo miliaribus.

CASTELLANIA DVACENA CVM ORCHIENSI viginti octo pagos comprehendit, feneratum ſeminium reddentes, & vbi Scarpo inclinant, apprimè paſcuos. In illis *Bouignyum*, gentis Nedoncellę: *Warleinum*, Lõgevallæ: *Eeſtreſum*, Ongnyeſæ: *Landaſum*, & *Flinæ*, patria Simonis Caulerij, Rhetoricæ Profeſſoris Duaci: cuius ingenij monumenta indies in lucem edenda expectantur. Dynaſtiarũ illic pars ſplendidiſſima, à Caſtello Duaceno, & curia Orchienſi, motum poſſeſſionemque accipit.

ORCHIESA.

HOC oppidum eo notius eſt, quòd præcedentibus duabus vrbibus aſſocietur: ſimul cum iis vulgariter denominetur, eoque ceu contubernio illuſtretur. Mœnia foſſaſque habet, & tenuium pannorum ſiue ſayarum, & ſericorum villoſorum variè ceu pictorum celebres textrinas, cum aliis artificiis quæſtuoſis, annuiſque menſe Septembri nundinis.

Diſtat Lila quinque: Duaco tribus miliaribus.

LANOYA.

OPPIDVM eſt, muris foſſiſque iam olim cinctum, & illuſtriſſimæ proſapiæ cognomentum: quæ & ſæpiſſimè aurei velleris ornamentis, & Neapolitani regni præfectura, atque Sulmonis (Ouidij Naſonis patriæ) principatu inclareſcit,

reſcit, Galliæque Rege fortiſſimo Franciſco primo in deditionem accepto, vitæque diſcrimine erepto: quum in Papienſi conflictu, ad pontem Mirabellò, Parci, hoc eſt, Venationum ſepti ingentis, prætorio vicinum, Cæſareanorum multitudine obrueretur, caperetur, & paludamento, armis, annulis, calcaribus, ceteriſque inſignibus militaribus, à turba irruente ſpoliaretur, dum quiſque Regis maximi capti, decus atque teſtimonium arripit: Ibi Rex ille, poſtquam egregiè pugnaſſet, equo interfecto, humi ex caſu iacens, Caroló Lanoyo Viceregi Neapolitano ſuperuenienti, ſe patefaciens, ab illo magna reuerentiá manum eius oſculato, in Cæſaris poteſtatem receptus eſt. Qui pugnæ & captiuitatis omnium nobiliſſimæ locus, Iacobo Marchãtio inueſtigatus, monſtratus, preſſuſque fuit anno 1564. menſe Maio: cùm à Ferdinando Conſaluo Cordubæo, Duce Sueſſano, Inſubrium præfecto præſtantiſſimò, Magniq; Conſalui nepote (apud quem in Hiſpania Italiaq; biennium egit) Mediolano Ticinũ dimitteretur. Enimuero hîc admirari ſubit, quum duo ſolummodo Galliç Reges ab hoſtibus Chriſtianis, prœlio capti, commemorentur, Ioannes nimirum in Pictauienſi, & Franciſcus in Papienſi pugna, quo Flandriç aut fato, aut ornamento euenerit ſempiterno, vt in prœlio capti, militumq; proteruiæ extorti fuerint, hic à Carolo Lanoyo Galloflandro, ille à Dionyſio Mourbecano Germanoflãdro; quem P. Æmilius Dionyſium Myrobrechum, Atrebatemque vocat per errorem: frequẽter tum locorum, tum nominum noſtratium deprauator, ad exemplum veſtigiaque Froiſſarti, ac Monſtreleti, Gallicæ linguæ hiſtoricorũ, rarò vllum Flandriçum cognomen, qualiſcumque familiæ, exprimentium verè atque genuinè: quod nulli vicio, quàm noſtri idiomatis faſtidioſæ imperitiæ aſſeri-

bendum eſt. Cognomen autem, dynaſtia, domicilium, ſepulcrum, eius familiæ (quæ Regem Ioannem manu cepit) compluresq; Dionyſios Mourbecanos protulit) eſt Mourbeca, nobilis pagus in agro Caſletano. Verùm Lanoya ad familiam Naſſauiam, matrimonio deriuata eſt: notaq; artificiis & mercimoniis pannorum partim leuidenſium, quas Sayettas nominant, partim denſorum, ſeu Triparum, holoſericos minùs verè, quàm eminus æmulantium.

Diſtat Lila duobus: Tornaco tribus miliaribus.

ERMENTIERA.

NVNC vallo cincta eſt & munita. Innoteſcit Lizæ appellentis anfractu, pannorumq; laneorum, præſertim illorum qui vocantur quatricolores, & in Italiam, ac Conſtantinopolim vſque mittuntur, celebri textrina; annuiſque menſe Maio nundinis. Pertinet ad gentem Egmondanam ex domo Luxenburgia Fienneſa, cum propinquo caſtello Erkinghemo, olim tam valido, vt Ferdinandus Luſitanus Flandriæ Princeps, à Gallis occupatum, fruſtrà per quindecim dies obſederit. Ornatur Petro Haſſardo medico, aſtrologo.

Diſtat Lila & Bella duobus miliaribus.

BASSEA.

MOENIBVS, foſſiſque circumcluditur. Antiquitate, lanificioque commendatur. Spectat ad Harlij Comitem, gentis Stauelæ.

Diſtat à Stegra tribus miliaribus.

COMI-

COMINEVM.

COMINEVM, ſpectabile oppidum eſt, abſque mœnibus, ſed arce eximia, per Ioannem Dynaſtam anno 1385. ædificata, ad ſplendorem & defenſionem. Inclareſcit Lizæ affluxu, collegio canonicorum Virginis matris, pannorum pileorumq; laneorum textura, nundinis menſe Octobri annuis: atque bibliotheca luculenta inſtructaque per Georgium ab Halewino, Cominei, Halewiniq; comarchum nobiliſſimum, à Deſ. Eraſmo, & Lud. Viue collaudatum. A cuius doctrina, & in literas propenſione non diſceſſere eius gentiles, Franciſcus & Ioannes germani fratres, ille Zueueghemi, hic Voxfriç dynaſta, vterque laudatè functus magnis honoribus. Ille Curtracenſi præfecturæ immortuus, hic etiamnum Ypræ conſul illuſtris & eruditus, rerumque Flandriç notitia inſtructiſſimus. An hoc oppidum, quod Germanoflandris, quibus in generali Flandriæ cenſu cis Lizam ſubcenſetur, Comium dicitur, conditorem Comium, Iul. Cæſaris beneficio, Atrebatium, tractuſque huius Regem referat, affirmare nolim: Certè patria eſt, atque ex materna hæreditate dynaſtia Caroli à Croya, Principis Chimai, non minùs admirabilis, ob ingenij arguti, literati, facundiæq; acrimoniam, quàm eius pater eſt Philippus Dux Arſchotanus. cui genus regiam nobilitatem, fortuna ingentem potentiam, natura acumen, doctrina iudicium, ætas rerum vſum maximarum, comitas beneuolentiam omnium conciliauit. Ornatur Philippo gentis Comineæ, equite, Argentoni in Galliis, & Ruſchurij Caſletani toparcha: qui longiuſculam orationem hîc exigit, quam æqui boniq; conſultum iri ſpero: ſcripſit Gallicè hiſtoriam, quam Sleidanus Latio donauit, Iuſtus Lipſius valdè lau-

dat, exteris magis quàm Viui, aut Meyero probatam. Ille frequentia diuerticula, & de Principum moribus, de beata vita crebras admonitiones: hic transfugium eius, quod anno 1472. accidit, animumq; in hiſtoria infidum reprehēdit. Sed Viuis aſperſio facillimè diluitur, tum vtilitate politicorum, quæ interſerit, paradigmatum, & præceptorum; qui præcipuus hiſtoriæ fructus: tum exemplo hiſtoriæ Polybij, ac Senatorum Romanorum, quibus relationem egredi fas erat, quum publici commodi occaſio poſtulabat. Meyeri nota eſt tenacior: neque enim Comineus diffitetur, ſeſe à Carolo Bellicoſo, in cuius ditione nobiliter ortus, in cuius familia per octennium honorificè educatus fuit, ad Regem Ludouicum vndecimum, illius hoſtem aſſiduum deſciuiſſe, alioſq; ad imitationem pellexiſſe: neque eius facti vllam occaſionem vſquam explicat: quod mirari ſubit, in viro generoſo, prudenti, ſuiq; æui res geſtas ſcribente. Fidem tamen eius in hiſtoricis narrationibus periclitari indignū eſt; tum quòd de rebus quas monumentis conſignauit, non modò verè aſſerere potuit, cum Palæphato Abydeno, loquente de Niobe, καὶ ἡμεῖς ἐθεασάμετα, οἵα λέγεται, & nos eam vidimus qualis dicitur; ſed ſeriò ſeduloq; maximam ipſe partem interfuit; tum quòd hiſtoriam ſuam ſe viuo emanare in vulgus paſſus, iiſq; ſpirantibus qui rebus adfuerant, neutiquam viſus eſt mendacij infamiam timuiſſe. Transfugij autem cauſam cōſultò, & ne quemquam irritaret, videtur ſiluiſſe: cuius tamen primam ſcintillam vir quidam grauis, ex aulicis natu maioribus, hanc ſe inaudiſſe mihi narrauit. Philippus, inquit, ex illuſtri domo Cominæa, aureiq; velleris ornamento ſplendeſcente, Carolo Burgundiæ Duci, tunc quum iunior, domeſticis familiarior, ſolumq; Charoloiſi Comes erat, tam gratioſus fuit, vt quondam vnā ex vena-

venatione reuerſus, & conſederit coram eo, & iocabundus dixerit: quin tu Carole his me ocreis exuis? quod ille quidem fecit, atqui ſtatim eiſdem ipſius peronibus, Comineum, ceu pari ioco miſerè contudit: vnde in caput ocreatũ aulæ fabula ac ludibrium: nam iuxta Ranimiri Arragonum regis parœmiam, *Neſcit vulpecula cum quo luderet.* quod ille clàm egerrimè ferens, proniùs demum auſcultauit Lud. vndecimo Gall. Regi hoſpitalis aulæ Burgundicæ miniſtros concilianti, atque ad ſe allicienti. Quam narratiunculam, neque vt incredibilem reſpuo, neque vt certam aſſeuero. Porrò Cominæo non minùs cōdonandum, quòd in laudes Regis illius Ludouici, cum quo cubiculum menſamq; ſæpiſſimè, & mentē ſemper communem habuit, propēdeat; quam Procopio, Beliſarium, cui familiaris fuerat, encomiis oneranti. Hoc potiùs Flandri gloriæ ducant ſempiternæ, quòd nemo in tota Gallia ingeniorum, facundiæ, nobilitatis, habilitatiſq; copioſiſſima, apud Regem ſagaciſſimum, intimæ vi amicitiæ, & conſilij legationumq; vſu dextro, Cominæo Flandro antecelluerit. Hîc etiã natus nutrituſq; fertur Augerius Giſlenus Buſbequius, qui Odopericum ſuum Conſtantinopolitanũ Latinè euulgauit; legationibus Cæſareis ad Turcorum Imperatorem apprimè commendatus, non minùs quàm Carolus Rymius Gandenſis, & ante vtrũque Cornelius Scepperus Nieuportanus, equeſtrem dignitatem, illuſtremq; famam conſecuti: non ſine admiratione, quod ad legationes, quæ Conſtantinopoli in aula Turcica, ſuperciliosa, ſuſpicaci, verſuta, eximiam ſobrietatem & circumſpectionem efflagitant, prudentiſſimi Cæſares Ferdinandus & Maximilianus ſecundus Flandricorum ingeniorum habilitatem tot Germanis doctrina, eloquentia, vſuq; clariſſimis, ter quatérve antehabuerunt. Cominei

præterea primas hauſit luminis auras Franciſcus Lanæus canonic. Yprenſis, bibliothecæ doctrinæq; copioſus: & Petrus Megangus Scholarcha celebris.

Diſtat Lila tribus, & Weruyca, Waeſtenaq; vnius circiter miliaris interuallo.

DE TVRNACO ET TORNESISO.

POSTREMÒ, vt hunc librum illuſtri appendice finiamus, ſeſe offert *Turnacum Neruiorũ*, quod noſtrates *Dornykum*, per delta pronunciant. Ab Itinerario Antonini, Hieronymoq; ad Gerontiam, Turnacus appellatur: Cynegium Tornacenſe commemorante libro Notitiæ prouinciarum. Eſt nobilitate, antiquitate, amplitudine, vetuſto latoq; epiſcopatu clariſſimum, plurimiſq; artificiorum corporibus opulentũ. Verùm nullam iniuriam accipit, quum Flandriæ vnitur: tum ob ſitum; totum enim erat antiquitus Ciſcaldanum, antequam Nicolai, Brixiique templa vltra Scaldim exſtruerentur, non Tornacenſis, ſed Cameraceni Epiſcopi diœceſi obnoxia; & etiamnum longè maxima parte cum ſua caſtellania cis Scaldim iacet, ſpectatq; ad dotem Iudithæ, nuptæ Balduino Ferreo: tum quia à Balduino Montano Flandro ad annum 1070. poſſeſſum fuit: & à Ioannæ Conſtantinopolitanę marito Ferdinando, leges magiſtratuſq; anno 1213. accepit: tum quod Nobilitas, quæ cognomen à Tornaco traxit, Flãdriæ Comitibus ſemper fuit obſequentiſſimæ clientelæ. Neque ordinarij Cõmiſſarij Flandrię magiſtratuum annuatim renouandorum, minùs hîc quàm in Flandria eo munere quotannis perfunguntur: neque minùs quàm Flandri, huius vrbis agrorumq; incolæ, ad Flandriæ concilium Gandaui fixum, prouocant. Neque mirum, quum etenim ab Henrico Naſſauij Comite, Caroli V. Cæſaris exercitus Belgici legato, cui

ſeſe

ſeſe anno 1521. dediderat, optio Tornaco daretur, aut Flandriæ, aut Hannoniæ ſeſe vniendi, Flandros prætulit. Fuit itaque hæc ciuitas cum agris, & cũ ingenti arce, vltra Scaldim ab Anglis anno 1513. extructa; per Carolum V. Cæſarẽ, Gallis Angliſq; erepta; pace Madrilia & Cameracena retenta, Flandriſq; annexa: quamuis prouido Imperij arcano, ab illo inter Belgij prouincias locum ſuffragiumq; cum agro obtinuit: vnà cum vrbis, arcis, atque Torneſiſi præfecto peculiari: quam dignitatem Principes Eſpinoyæ, domini vicinæ Baroniæ, arciſque Antoiniæ, non ſemel adminiſtrarunt, antiquiſſima, nobiliſſimaque ſtirpe præfulgentes. Ornatur Simone Tornacenſi: ſcripſit de doctrina Chriſtiana, & lib. Sententiarum ſuarum variarumq; quæſtionum. Hîc etiam ortus fuit Petrus ille Verbecus, Anglicis Scoticiſq; hiſtoriis famigeratus: quòd tanta ingenij verſutia fuerit, morum, ſermoniſq; Anglici habilitate, atque oris regij ſimilitudine, vt Iacobo quarto Scotiæ Regi, multiſq; Angliæ Hiberniæq; proceribus, & aulæ Belgicæ perſuaſerit, ſeſe eſſe Ricardum natu ſecundum, filium Eduardi quarti Angliæ Regis, Scotoſque bello, cum Henrico ſeptimo Angliæ Regi commiſerit; donec in pugna captus, prolixam fraudum ſuarum telam, laquei nodo finiit.

Diſtat Aldenarda ſeptẽ: Gandauo xij. miliarib.

CASTELLANIA TORNACENSIS, quæ *Torneſiſum*, & Tornacenſe Baliuagium, vulgò nuncupatur, *pagos*, quos Flandriæ pagis annumeramus, amplectitur circiter ſexaginta, præter ſeptem Hannoniç incluſos, ſitus commoditate, ſementis fœnore, paſcuiſq; commẽdabiles: in iiſque *Lesdainum* Lanoyæ gẽtis: *Pecquum* Langleæ: *Eſtainburgũ* Dolehaingnæ: *Markanum*, *Callonum*. Ad quam etiam Caſtellaniam ſpectant *Mortaigna* cum nouem, & *Santamandium*

L 5 cum

cum octo pagis: illa ad confluentes Scaldim, Scarpumq́; (olim oppidum arce munitum) nunc pridem bellorum Gallicorum iniuriis, in pagi formam redacta: quam Euerardus Toparchus anno 1186. eſſe corporis Flandrici portionem fatebatur: Iam ad gentem Grachtiam, ex Wala pertinet. Santamandium verò; cui priùs Helnoni dicto, S. Amandus nonagenarius ibi commoratus ſepultusq́;, nomen ſuum induit, ad Scaldis dextram, non procul à Mortaigna, ferè ex oppoſito, diſſitum, oppidi ſpeciem nomenq́ue, portis atque foſſis præbet. Subeſt opulentiſſimæ illic Abbatiæ virili Benedictinæ. Ex quo cœnobio prodiit anno 880. Hugbaldus qui ſcripſit vitas multorum ſanctorum hominum, librumq́; epiſtol. atque ad Carolum Caluum Imperatorem carmē 136. verſibus prolixum, & laborioſum, in quo omnia verba ab vna litera C, incipiunt: hoc exemplo,

Carmina clariſonæ Caluus cantate camenæ.

HACTENUS FLANDRIAM, originis, ſitus, commoditatis, morum, artiumq́; compertam, oppidis, diſtrictuumq́ue conuentibus diſtinctam, Ordinibus ac magiſtratibus conſtitutam, Teutonicè & Gallicè loquentem, ſpectaculo exhibuimus: exoptantes, hanc commentariorum partem lectori tam eſſe vtilem acceptamq́;, quàm ad explorandum, hac tempeſtate, difficilis, ad comendum indignabunda, ad cognoſcendum Flandriæ corpus, neceſſaria mihi perſentitur.

IACOBI MARCHANTII FLANDRIÆ DESCRIPTÆ

LIBER SECVNDVS.

TERRÆ FLANDRIÆ ſummatim ac particulatim deſcriptæ, anarchiamque auerſatæ, ſuos iam Principes nominatim adducemus, ſi modò quædam, generatim ad eos ſpectantia, ipſis præmiſerimus, velut anteambulones, ac primùm de ſtirpis eorum

Antiquitate ac Nobilitate.

Non ignoramus regiam tritamque viam eſſe, Principum terrarumque illuſtrium natalem ortum nominiſque occaſionem referre ad locorum cognomines homines, famæ vetuſtiſſimæ. Sic Brabanti Brabonem, Arcadis regis filium, Iulij Cæſaris cōmilitonem: Scoti Scotam, regis Ægyptij ſororem: Britanni Brutum, Æneæ pronepotem: Franci Francionem, Hectoris Troiani filium: Zelandi Zelandum, Batonis, vnde Batauis nomen, fratrem, originem genti, Principibuſque ſuis attuliſſe, velut in vtopia ariolantur. Neque Flandricis quibuſdam annalibus diſplicuit anilis imitatio, Flanbertum nimirum, Clodionis Francórum regis ex ſorore nepotē, aut Flandrinam oſtentantibus, tamquam auctorem nominis, originiſq; terræ, Principumque Flandriæ. Sed faceſſant mythographiæ, veritatis tenebræ atque corruptelæ, neque vllas rerum, niſi verarum ideas imaginemur. Itaque quemadmodum antea malui in etymo Flandriæ, Pyrrhonem ęmulando, ſeruire pudori, quàm

quàm temerè aſſeuerando, impudentiæ, ſic ſtemmata nobilitatemq; Flandriæ dynaſtarum, haud altiùs iam repetam, quàm à *Liederico Bucano*, Saluarti, Digeonenſis Satrapæ, filio: quem Clotarius ſecundus Franciæ Rex, circiter annum trigeſimum primũ ſupra ſexcenteſimum, Flandriæ tunc ſæpè aut paluſtris aut ſaltuoſæ, præſidem tutelarium conſtituit: in arce *Buca*, veteri celebrique, vnde cognomen peperit; cuius reliquiæ in antiquiore Lilæ caſtello ſupererãt, domicilium, iuriſque dicundi ſedem eligentem: qui laudem adeptus eſt in recenti religione, pietatis, in tribunali ſeueritatis, in pace prudentiæ, in bello fortitudinis: pater, ex Dagoberti regis (vt quidam tradunt) ſorore, *Bochardi*, gignentis ex Helwide, Pipini Craſſi, cuius partes contra Bertarium adiuuerat, conſanguinea, *Eſtoredum*. Hæc pluribus narratiunculis picturatis veſtita, annales noſtri, quamuis aliorũ clari nominis autorum exterorũ indubitatis teſtimoniis deſtituantur, velut vno in ludo edocti, tradunt: quorum antiquitati ac conſenſui potiùs aſſurgendum videtur, quàm contemptim recalcitrandum. Epigraphe etiam inſculpta Balduini quinti Lilani, in vrbe Lila, ſacraq; æde Petri, conditorio (ſextus hic tãtummodo à Balduino Ferreo Comes fuit) vndecimum eum nũcupat: qui calculus à vero diſſilit, niſi ad Eſtoredum, Liederici Bucani nepotem reducatur. Ex *Eſtoredo*, *Liedericus* alter, cui ab Harlebeca, natali ad Lizam arce, qua delectabatur, nomen erat; exortus, illuſtri virtute famaq; fuit: eiuſque Paulus Æmilius apertè meminit atque nominatim: quem tamen virum eruditiſſimum, verecundè doleo, ſuæ hiſtoriæ, cui plurimum Galli debent, vt ipſe Gallis; res Flandricas neglectim, minuſque verè interdum inſeruiſſe, nulla improbitate; ſed Gallicis cõmentis, ceu præiudiciis irretitũ. Scribit ille Liedericum maritimum

Impe-

Imperatorem, oram Belgici littoris, Saxonaſq; illuc traductos, tutari à Carolo Magno iuſſum. Quæ Saxonum Coloniæ numeroſam hîc poſteritatem propagarunt: Flandris poſtea ſub Conrardo tertio Cęſare, origini ſuæ vicem rependentibus : quum ab Alberto Vrſo Saxoniæ ſuperioris, Marchiæque Brandeburgenſis principe, euocati cum vicinis, aſcitiq; in loca Soraborum ac Luſatiorum deuictorũ, tractum illum ad Albim & Wittenbergam, Flandricorum locorum nominibus donarunt, vt eruditum chronici Carrionis auctarium confirmat. A Carolo Magno autem noſtratia chronica Liedericũ hûc anno 792. in virtutis fidelisq; in armis obſequij mercedem, donatum aſſeuerant, fiduciaria, perpetuaq; littoris mariſque, & etiam nemoris Flandrici (finientis ad Occidentem Arduennam) ditione: quam ſiluam Galloflandri etiamnum cognouere, quum aiunt Boream flare ab Arduenna, Auſtrum à Frãcia. Vnde ipſe Liedericus, poſteriq;, vſque ad Balduinum primum, dicebãtur, tum *Forſti* Germanicè, ſiue Principes, tum *Foreſteri*, magis ex vocis Gallicæ ſignificato (ſiluas enim Galli Foreſta vocant) quàm ex dignitatis illi tunc incluſæ denotatione. Erant enim non modicæ regionis, tum maritimæ, tum valdè nemoralis, dynaſtæ perpetuarij. Vita conceſſit anno 808. Filium habuit ex Hermigarde, Gerardi Ruſſilloni nobiliſſimi potentiſq; in Neruiis ſatrapæ filia, *Engleranum*, & ex eo nepotem *Haudouvvacrem*, ſiue Odoacrem, pronepotẽ *Balduinum primum*: quibus in nominibus Germanicum numiſma ſpectare eſt. *Liedericus* enim populi diuitem: *Haudouacre*, Serua te vigilantem: *Baldwin*, citũ victorem denotant. Qui *Balduini* progenitores, templa ad religionem, homines ad legum reuerentiam inſtruebant: oppida & caſtella ab Hũnis, Vandelis, Danis, Alanis, Alemaniſque diruta, ad in-

ſtaura-

ſtaurationem, terramque incultam ad frugem deducebant; inuitabantque vndique, agros concedendo longa cum immunitate, qui terras elaborarent, excisis arboribus geniſtiſque, eruncatis exſulcatisq; earum radicibus. Harlebecæ in templo tres poſteriores ſepulti ſunt, atque his inſignibus omnes vſi: ſcuto videlicet in quina aurea, totidemq; cerulea ſegmenta diſtincto, rubra parmula in vmbilico appoſita: quę ad poſteritatem tranſmiſſa, & inextincta, circiter annos quingentos in vſum fuere: donec illa *Philippus Alſatius*, ad annum centeſimum ſeptuageſimum octauum ſupra milleſimum, atro leone cōmutauit: quem in aurea planicie, velut aſſilientē, vnguibuſq; ſanguineis depictum, aut in Syria, vbi nigros leones inueniri Plinius ſcribit, hoſti Agareno victor eripuit; vt vulgo fertur, aut communem conſenſum Principum Belgarum (varij coloris leones in ſcutis ſigniſq; depingentium) eſt ſecutus; quum in Syriam contra Saladinum Ægyptium Sultanum, eadem illa tempeſtate armarentur. Ex illis maioribus *Balduinus* primus, ſublatos animos, potentiamq; adeptus, è *Iuditha* filia Caroli Calui (Caroli Magni ex filio Ludouico nepotis) cui Gallia Italiaque paruerunt, *Balduinum Caluum* progenuit: cuius ſtirpis incorruptæ, noſtramque in ætatem continuatæ nobilitas, Flandris Principibus peculiaris eſt: neque Regibus Galliæ, ex Hugone Capeto deſcendentibus, communis; niſi vbi, velut poſtliminio, illuc per feminam rediere; quum Rex *Philippus Conquirens*, *Iſabellam* Balduini quarti Hannonij filiam ex Margarita, *Theoderico* Flandriæ domino nata, editam duxit, à Flandris paternum, maternumque genus, ſine controuerſia, repetentem: oriundamque ex Irmingarde, Alberti, Namurcenſium primi Comitis vxore, quæ filia erat Caroli Lotharingiæ Ducis, Ludouico Tranſmarino

Fran-

Franciæ Rege procreati. Porrò nobiliſſimum ſtemma in *Balduini* & *Iuditha* progenie ſupra annos ſeptingentos propagatum, legitima rectaque linea in hodiernum vſque diem deſcēdit, perduratque, quod tanti eſt, vt antiquior, continuatior, illuſtriorque nobilitas, nuſquam tota Europa inueniatur. Neque ſubticendum eſt, primarias Belgij prouincias, quum diſtinctis dominis ſeorſim obtemperarent, ſuorum dynaſtarum origines, Flandriæ Comitibus acceptas, retuliſſe. *Robertus Arteſiæ* primus Comes, *Margaritæ Primæ* Flandrorum dominæ, quæ mater Balduini ac Henrici Orientis Imperatorum, Arteſiam auiti, paterni, fraternique imperij fuiſſe meminerat, recta linea pronepos fuit. *Ioannes Secundus*, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæq; coniunctarum Princeps, *Margarita Conſtantinopolitana*, Flandrorum Comitis, ex filio nepos fuit. *Antonius* Brabantiæ, Limburgique Dux, ex *Ludouici Malani* Flandri filia Margarita (illarum regionum hęrede) in lucem prodiit: & *Ioannes* Namurci Comes *Guydum* Flandrum patrem habuit. Poſtremò, ex Flandriæ Principum, in Flandria genitorum, ſtirpe, Hiſpania cum Sicilia, Neapoli Sardiniaque, & *Auſtria, Bohemia, Hungaria*, ac Romani *Imperij* faſtigium, ſuos Reges atque Cæſares receperunt, per *Philippum Mariæ*, in Flandris eductæ, aulamque figentis, filium, Brugæ natum, eiuſque liberos, *Carolum* atque *Ferdinandum*: quorum ille Gandaui primas hauſit auras genitales.

De Ritibus dominatus ineundi, & Beneficij inueſtituræ, tum à regibus Galliæ, tum à Cæſaribus accipiendi: déque auctoritate ac poteſtate Principum.

PRINCIPE rebus humanis exempto, proximus ſanguine, nullo ſexus diſcrimine, ſuccedit; ſtatimq; principatus officiis fungitur: ſolemnem verò inaugurandi præſcribit diem. ac Gandauum verſus, ad Zwinardum, Abbæ Blandinienſis prætorium pridie accedit; illinc progreſſus, Sacerdotij, Nobilitatis, vrbiumq; proceres cum magiſtratu Gandauenſi extra portam Petricellam obuios excipit. A quibus ad montem Blandinium D. Petro ſacrum, deductus; & à cœnobiarcha, poſt ſacrorum ceremonias, gladio accinctus, ad ædem aramq; D. Ioannis Baptiſtæ memoriæ dedicatam, regificè procedit. Vbi Gandauo, totique ditioni Flandriæ, ſeſe munia iuſti Principis impleturũ, ſanctam Eccleſiam, pupillos viduaſque, pacem, priuilegia, inſtituta, conſuetudineſq; regionis defenſurum, ritè iurat; & ad ſonitum ipſemet attrahit templi bis térve campanam, in præſentiæ ſuæ, iuramenti, aditꝗque poſſeſſionis publicum teſtimoniũ. Hinc in forum vrbis maximum progreſſo populus iureiurando pollicetur celſitudinem eius, proprietatem dominij, limiteſq; Flandriæ ſe conſeruaturum: denique ex officio nexuq; fidelitatis omnia facturum. Quæ iuramenta atque ſtipulationes vtrimque præſtanda, in ſingulis oppidis ac caſtellaniis, quum primum illuc acceſſerit, repetuntur. Sic Principatum auſpicatus, poſtmodo officium, quod alij Hominium, quia hominem deuinctum reddit, alij Homagiũ, à iuramẽti ſancti-

ſanctitate vocant, tum Regi Franciæ, tum Cæſari; hoc ritu exhibebat. *Rex* throno inſidens, Comitis caput nudati, diſcinctiq́;, & altero genu ſubnixi manus, ſuis implicabat, & ſic fidelitatem obſequiumq́; aduerſus regios hoſtes (verba regij cancellarij ſubſequendo) promittentem, in Comitem regni accipiebat; erectoq́; genam oſculandam præbebat. Comitis autem in fidem gratis recepti, pileus, toga, zona, crumena, enſis ad regios caduceatores, ex conſuetudine eiuſque ritus feſtiuitate tranſibant. *Imperator* verò, Comitem, aut eius mandatarium, genu innitentem; ac nomine *Aloſtanæ, Waſiæq́,* ditionum, cum *quatuor Ambactis*, vnico fidei ſacramento obligatum, inter Principes Imperij aſſcribebat. Porrò eodem tempore & quaſi anhelitu *Balduinum Primum*, non modò in Comitem, ſed in *Patricium Paremq́,* regni ad annum 863. à Carolo Caluo aſcitum eſſe, non eſt in obſcuro. At Normaniæ Patriciatus, à Carolo Simplice anno 909. Burgundiæ, ab Henrico Capeto anno 1035. erigebatur; reliquis poſtea inſtitutis. Quibus Comparibus, ſacrandi regis in vrbe Rhemorum, alibique ius, & quaſi in regni poſſeſſionem mittendi; conſiliiſque primò loco iuuandi facultas erat, atque prærogatiua: Flandriæ regulo enſem etiam regi, dum inauguratur accingẽte, & anteferente; ac hoc exemplo Pares iam olim in Flandria conſtituente: In quibus *Arkæ, Boloniæ, Sanpauli, Falcobergæ, Heſdini, Gutneſæ,* & *Hoyæ* Comites eminebant. *Primariæ* verò auctoritatis atque poteſtatis hoc erat, quòd Flandriæ Princeps liberè & more regio, imperij munia obibat; neque vlla apud Compares regni ſeſe iudicio ſiſtendi neceſſitate obſtringebatur, niſi aut de Comitatus proprietate controuerſia incideret, aut ipſe ius ſubditis reddere pernegaret. Exercitus conſcribendi, delectus habendi, belli paciſque faciendæ, indictiones

imperandi, regalibus tributiſque regni Gallici non parendi, omnes pœnas ſumendi aut remittendi, legem maieſtatis exercendi, edicta & conſtitutiones ſanciendi, immunitates priuilegiaq; largiendi, monetam cudendi, regiamq; iniqui ponderis ad forcipes damnandi, & ad ſuam expendendi: denique ſeſe Principem, Marchionem, aut Comitem, *Dei gratia*, inſcribendi, quod nulli omnium Franciæ regni Principum, præterquam illi Britannoq;, fas erat, abſolutam habebat poteſtatem. Quæ euidentes quidē teſſeræ ſunt ſupremi illius imperij, quod Galli *Souueranitatem*, Latini *Maieſtatem*, & Græci apertiùs *αὐτοκρατεῖαν* vocant: an verò illinc ſequatur vt Comes Flandriæ, princeps Souueranus dici potuerit, tunc cùm Franciæ Regibus hominio illigabatur (argutè enim Martialis: *Qui Rex eſt, regem, Maxime non habeat*) in incerto mihi iudicium eſt; quamuis diſſimulari nequeat, à Caſtrenſi, Decio, Curtio, Socino in conſiliorum libris, Mediolani, Sabaudiæ, Mantuæq; Duces pro Souueranis haberi; licet fidelitatis iuramentum Cæſaribus debeant præſtentque. Et Bohemiæ, Neapoliſq; Reges (quibus Maieſtatem detrahere piaculum ſit) illi Cæſaribus, hi Pontificibus Romanis, fidei, aliorumque munerum exhibendorum ſacramento, attinentur.

De nomine Grauiatus, aut Comitatus Flandriæ.

FLANDRIAE reguli, *Grauorum* nomine tituloq; inſigniuntur; qua voce Saxonica iudices publica auctoritate & poteſtate à Cęſaribus ąrmati denotantur: ſic dicti forſitan, quaſi *Grawen*, id eſt, cani ſenio, ac *Senatores*; qui præcipuis reipublicæ partibus præeſſe aut ſolent, aut debent:

debent: quod pateſcit ex lib. Feudorum, & Auentino de Edicto Carolomani, Præfectus, ait, quē Franci Graphionem vocant; quos Galli *Comtes* vocant, ex Latino vocabulo *Comitum*. At *Comitis* nomen, vt officij muneriſque publici dignitatem ſignaret, neutiquam Cuiacio videtur in vſu ante Conſtantinum Magnum extitiſſe; quamquam M. Cicero ad Q. fratrem, Inter hos, inquit, quos tibi comites & adiutores negociorum publicorum dedit ipſa reſpublica, dumtaxat finibus his præſtabis, quos antè præſcripſi. Conſtantinus autem quū Romani Imperij formam nouis diſtinctionibus mutaret, & quàmplurimos beneficio & honore deuincire niteretur, Comitis titulum honorarium abſque adminiſtratione primùm inſtituit: eratq; *Comitiua*, facultas quædam atque priuilegium, Principem Romanū non ſolùm prodeuntem, ſed in palatio etiam lociſq; ſecretioribus comitandi, poſſe illius epulis, priuatiſque ſermonibus intereſſe. Tandem hoc beneficio ornatis, alias dignitates cum functione conceſſit, & viciſſim qui in magiſtratu erant, illo honore affecit. Hinc *Comitis* nomen omnia officiorum magiſteria à Principe cuipiam vel in aula, vel extra aulam mandata, ab eo tempore ſignificauit, vt Comes ſacri patrimonij, palatij, largitionum, ſcholarū, commerciorum; atque præfecturam, vt Comes Orientis, Africæ; Comes Hiſpaniæ (quo titulo Conſtantinus in codice Iuſtiniano Tyberium ornat, quem alibi eodem in cod. Vicarium Hiſpaniæ vocat) initio temporariam, ſubinde vitæ æqualem. Deinde Cæſarum Germaniæ, Regumque Galliæ (præſertim Hugonis Capeti) fauore, & auctoritate in ſucceſſores tranſierunt. Verùm Flandriæ *Comites* ab initio, citra interruptionē, imperiū ad heredes tranſmiſerunt: Quorū primus *Balduinus Ferreus*, à ſocero Carolo Caluo, Franciæ Rege, in *Comi-*

tem regni, ſolēnibus Auxerræ (quam Antiſſiodorum Latinè vocant) Comitiis, fuit aſcitus ad annum, vt diximus, octingenteſimum ſexageſimum tertium: quamuis poſteri, nunc Comites, nunc Principes, nūc Marchiones regni, Flandriæque, ſeſe inſcripſerunt. Ceterùm non tam mirādum eſt Balduinum inſignitum ſolummodo fuiſſe titulo *Comitis*, aut *Grauij*, quam poſteros in eo perſtitiſſe; quum multi inferiores nobilitate & potētia, ad culmen *Ducatus* interim peruenirent. Nam, vt Ioannē Vaſſæum ſileā, ex Actis Concilij Toletani octaui in Chronicis rerū Hiſpaniæ aſſeuerantem, maioris dignitatis olim *Comites*, quàm *Duces* fuiſſe, ſubſcriptum enim actis illis eſſe; *Ella Comes & Dux, Fandila Comes & Dux*; certum eſt, quo tempore Balduinus Ferreus in Comitem regni Franciæ à ſocero Carolo Caluo Rege fuit cooptatus; reliquas in Belgio regiones, nullo vſquam illuſtri titulo fuiſſe exornatas. Conſtat enim Brabātiam ſub Lotrichio delitēſcētem, ne Comitatum quidem tūc fuiſſe: nam *Louanij* Comites & *Namurci* (vt quidam exiſtimant) ſub annum quintum ſupra milleſimum; ex Louanienſibus, *Brabantiæ Duces*, circiter annum 1247. emanarunt. *Geldria* in Comitatum anno ſeptuageſimo nono ſupra milleſimum, & in Ducatum anno 1329. erigebatur. *Luxenburgum* ſub Carolo quarto Cæſare anno 1356. Ducatus nomine illuſtratum eſt. *Hannonia* anno quadrageſimoquinto ſupra nongenteſimum. *Arteſia* (quæ ſub Flandriæ nomine pluſquam trecentos annos cenſita fuit) Comitatis decus anno trigeſimo ſexto, vltra milleſimū ducenteſimum aſſequebatur. *Zelandia*, circiter annum milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ſextum, Comitatus titulum acquiſiuit. Sola *Hollandia*, modico poſt Flandriam interuallo, ab eodē Carolo Caluo, nomen Comitatus adipiſcebatur. Imò

ne

ne *Caſtella* Hiſpaniæ quidem, ante annum quintum ſupra nongenteſimum, Comitatus, & decimum ſupra milleſimum, regni titulum comparauit: & *Portugalliæ* primus Comes, anno milleſimo centeſimo & duodecimo obiit, eiuſque filius nomen Regis, acclamante exercitu, primus aſſumpſit. Hinc colligitur Flãdriæ Comites obſtinatè voluiſſe in eo gradu perſeuerare, neque tantam antiquitatē deterere, aliqua tituli nouitate, quòd mallent inter Comites totius Europæ, primo vetuſtatis, potētiæ & famæ loco eminere, quàm inter Duces promiſcuè ſpectari. Quæ omnia non ad ambitionem, affectum, aut oſtētationem à nobis dicta ſunt, ſed ad veritatis, multis incompertæ, cognitionem.

De Comitibus Flandriæ nominatim, & Nobilibus familiis ſingulorum Principatui, per annales attributis.

BALDVINVS PRIMVS FERREVS.

BALDVINVS Primus, vt *Ferreus* vulgò diceretur, robur, virtuſq; militaris viri effecit, & quòd ſæpiſſimè armis ſplenderet. Sub Carolo Caluo Galliæ Rege, contra Saracenos, ex Mauritania, Hiſpaniaque in Aquitaniam ſubinde irruentes, Danoſque Aquilonares militiæ tyrocinium poſuit. Maiorum ſuorum, qui ſub Foreſteri, Forſtiive titulo, magnæ Flandriæ partis domini non modica poteſtate elucebant, amplitudinem, animi magnitudine, potentiaq; longè anteiuit. Etenim, quũ omne matrimonium, præterquam regij ſanguinis, affinitatiſq; auerſaretur, *Iudithbam* Caroli Calui Galliæ

Regis, Caroli Magni ex Ludouico Pio Cæſare, ac Iuditha Bauara, filia Guelphi primi Altorfenſis in Sueuia Comitis, nepotis filiam, Iudithaq; Germanica, Boſonis Papiæ reguli ſorore genitam, diu & circumſpectè coluit: ac demum in amorem formæ virtutis, obſequiiq; ſui allectam, veritamque ne in Hiſpaniam ad regis Nauarræ deſtinatas nuptias traduceretur, lubentem, Sanliſio (quod Siluanectum dicunt) domum duxit, non abnuente Ludouico Balbo eius fratre, poſtea regnum adepto, quicum militauerat; ſed inſcio inuitoq; eius patre: ac prolem ex ea virilem breui ſuſcepit: quam Iuditham Ethelwolfo Angliæ Regi priùs enupſiſſe, Gallici magis annales aſſerunt, quàm Anglici; qui nullam Iuditham, ſed Osburgam illi Regi vxorem adiungunt. Illud facinus iuſto bello cauſam dedit; quod Balduinus, audentia ex neceſſitate fretus, non detrectauit; quibuſdam etiam in velitationibus ſuperior. Demum Nicolai primi Pontificis Romani, ad quem cum vxore Romam acceſſerat, quia Anſelmus Rhemorum præſul, Rege auctore, piorum communione illum amouerat, reconciliatione & interceſſione adiutus, ſocerum flexit: qui etiam antiſtitum, procerumque ſuorum conſiliis, & à Normannis (regni flagellis) metu, filiæque precibus & fœcunditate emollitus, coniugio aſſenſit: Auxerræque ſolemnia nuptiis approbandis comitia & conuiuia celebrauit, atque Balduinum in Comitem, Paremque regni aſſcripſit: Dotis quoque nomine, totam eam regionem (quæ Scaldi, Somona, Oceanoque includitur) perpetuò donauit, à genero contra Danos, ceteroſque Noortmannos, ſæuiſſimos hoſtes, protegendam. Nam in pacificatione Virodunenſi filiorum Ludouici Pij, regnique partitione, quæ anno 844. fiebat, Gallia monte Pyrenæo, Moſa ac Oceano Occidentali tenus, Carolo

Caluo

Caluo acceſſerat: quo terrarum complexu, Flandria
vicinæq; terræ continentur; quum antea ad regnum
Auſtraſiæ ſiue Orientale, Germaniamque magis re-
ſpicerent. Quam ditionem Balduinus fortiùs quàm
feliciùs eſt tutatus. Incẽdiis enim cædibusq; Noort-
mani paſſim graſſati, Gandauum etiam euaſtarunt.
Contra quos arcem Brugæ, quam Burgum vocant,
munire cœpit: cuius validiſſima & vetuſtiſſima pars,
iampridem in publicum carcerem verſa, etiamnum
Petra dicitur: populique ſui agros, colonorum indu-
ſtria, animos legibus excultiores effecit. Fuit *Baldui-
nus*, teſtimonio annalium Francicorum, pulcherri-
mus; noſtratium, ſuffuſca, virili, venuſtaque facie;
corpore ſublimi, firmiſq; neruis compacto, equitãdi
peritus, militiæ prouidus, puniendi parcus, vbi æqui-
tas auctoritaſq; (principatuum nerui) permittebant:
in ſubditos vicinoſq; parata officia, in milites obſe-
quentes, eximiam liberalitatem conferebat. Delato-
res, auriumq; folles eliminabat: familiaritatem tem-
peſtiua grauitate condiebat. Imperij annos ſedecim
expleuit, & ex Iuditha (propter formę, vt ait P. Æmi-
lius) nobiliſſimæ excellentiam, ac quòd filios poſt
Caroli infantis primogeniti, accubitu nutricis incu-
rioſæ oppreſſi, caſum, vberibus ſuis lactauerit, com-
mendata, genuit Balduinum, qui ſucceſſit; & Rudol-
phum, qui Cameraceſio iura dedit; atque anno 879.
è vita demigrauit, Audemaropoli ad Bertini ſepul-
tus. In cuius vita intuemur, primò, connubij auſpi-
cia, vim atque fructum, cælo potiùs quàm humanis
conſiliis deberi. Deus enim humanas deliberationes
& actiones prouidentia ſua complexus, coniugium
in paradiſo dicauit: Dei Filius ſua præſentia, & mira-
culorum primitiis conſecrauit: gentiliſque religio
ad Iouem Gamelium, Iunonemq; pronubam, fabu-
larum inuolucris nuptias referebat: quas fato conci-

liari aſſerit hîc Euripidis Senarius: *Fatalis eſt viro atque feminæ thorus.* Deinde expendimus ſi quid vitij eſt in forma coniugij contrahendi, paterna ratihabitione, velut expiari: quum videmus ex matrimonio tam impari, exempliq; illaudati, à patre Iudithę confirmato, celeberrimum Principatũ, omniumq; nobiliſſimam progeniem, per tot ſecula propagatã permanere, ad faſtigium potentiæ & admirationis, indies augeſcẽtem. Vt olim Romani Sabinorum (quibus illuſis iratiſq; filias abduxerant) reconciliatione, & contubernio ciuitatem ſuam potentiamq; amplificarunt, ac imperio orbis terrarum finierunt.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Gobertus *Stelandius*, ob ingentem potentiam, & in cœnobium D. Bertini, multarum dynaſtiarum profuſionem: Gerardus *Sperlecanus*, ob reparatum Wormhouti templum à Normanis euerſum: Euerardus *Ciſonius*, ob rei militaris peritiam, datumq; initium Ciſonienſi cœnobio.

BALDVINVS SECVNDVS CALVVS.

BALDVINVS Secundus, *Calui* agnomen, à Carolo Caluo Cæſare auo materno potiſſimùm, conſecutus, contra Andegauenſes proceres (quos vulgò *Anioutnos* dicimus) Carolo Simplici, Franciæ legitimo Regi, conſtanter regnum aſſeruit, cauſæ eius acerrimus, vt ait Æmilius, propugnator; quam ipſe Simplex per ſocordiam proderet. Balduinus enim, Caroli Calui Auguſti nepos, regni Franciæ inſignia, ſuperſtite Caroli Magni progenie, cognationeque, in aliam familiam transferri obluctabatur. Ex multis ditionis ſuæ oppidis, templiſque diſiectis per Normanos (Galliæ noxas) non pauca reparauit, reddiditque firmiora. Inter loca autem ab

illis

illis furiis euaſtata, annales exprimunt, Audenburgum, Harlebecam, Rodeburgum, Thorhoutum, Ooſtburgum, Feurnam, Boloniam, Eclesbecam, Wormhoutū, Groenebergam, Caſletum, Watenum, Bellam, Steenvordiam, Pupurningahemū, Ypram, Meeſſenam, Waeltenam, Comineum, Weruycam, Merghemum, Langhemarcam, Sperlecam, Audenardam, Aloſtum, Eynhamam. Balduinus Audemaropoli ab ſe muro cinctæ, anno 902. Abbatiam Bertinicam incluſit, eiuſque ditionem ac opulentiam (Regis procerumque Galliæ, eius ſeculi more) poſſedit: monachis in ſumptum ſuppeditato, quantum neceſſarius vſus poſtulabat, electoq; ex iis decurione qui diſciplinam tueretur. Certè Sindegerus & Aymonius apertè ſcribunt fuiſſe Abbates vocatos Barones, procereſq; laicos, aſſenſu Regio fruentes Abbatiis, Decanoſque monaſteriis ſtatuentes, vſque ad tempora Roberti Gall. Regis. Atrebatum habuit prò capite Flandrici principatus: in hominibus à malo deterrendis, moderatus: inuitandis ad bona pronus, liberandis indulgens, remunerandis copioſus: quod exiſtimaret in fortuna principum nihil eſſe maius, quàm vt poſſint, nec in natura melius quàm vt velint quàmplurimis prodeſſe. Anno imperij 39. populo non minus ſui deſiderium, quàm virtutum exempla poſteritati reliquit: Gandaui anno 918. mortuus, & ad Petri Blandinij, humili ſub ſaxo, in ſacello matris Virginis ſepultus: quum ex Elſtrude, Angliæ regis Elfredi filia duos filios ſuſcepiſſet, Arnulphum primigenium Flandriæ poſſeſſorem, atque Adolphum, qui Boloniæ (ſic enim Gallica voce ab ebullienti ſabulo nuncupatur) quam Ammianus Marcellinus Bononiam vocat, & Teruanæ Morinorum ac dynaſtiarum Abbatiæ Bertinicæ potens, abſque liberis ſupremum diem obiit. Spectamus hîc Principem tum

ſuperiori magiſtratui, quamuis imbecilliori, contra potentiam aduerſæ factionis, firmum vtilemq́; & fidei litantem, quâ Romani in capitolio vicinâ Iouis eſſe voluerunt: tum *Calui* cognomine, quod illud aui Auguſti fuiſſet, glorioſum, quamuis nullã per ſe laudem mereatur: quemadmodum inter Romanos illuſtres, *Cornelij* Naſicarum, Lentulorũ, Scipionum: *Licinij* Caluorum: *Calphurnij* Piſonum agnomine auito ſeſe iactitarunt.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis N. *Haueskercanus*: N. *Burburgius*, ob præfecturam cuſtodiæ portarum Audomaropolis ſiue Santodomari, quod Santomeri voce vulgo notius eſt.

ARNVLPHVS PRIMVS, MAGNVS.

ARNVLPHO quem Rex Franciæ Lotharius in diplomatibus, quæ cœnobio Blandinio ſuperſunt, ſuum conſanguineum, regniq́ue ſui Marchionem nobiliſſimum appellat, quũ ætas floreret ab ingenti in cœnobium Blandinienſe munificentia, facieq́; decora, Magni & Pulchri, ac in extrema ſenecta *Priſci* agnomen fuit, induſtriaque principe digna, aſſidua ob limites Flandriæ cum Francis controuerſia, magnaq́; contentio cum Othone primo Cæſare, validam arcem Gandauis opponente, foſſamque Othingam ducente, quam Imperij metatorem limitrophum eſſe voluit. In Sacerdotium & Nobilitatem propenſus, maximã partem decumarum, quas ipſi maioribuſq́; pro Hunnorum, Danorum, Vandelorum, ſimiliũq́; hoſtium expulſione, Pontifices Romani conceſſerant, partim Abbatiis eccleſiiſq́; collegiatis, partim bene meritis nobilibus diſtribuit: hiſce tamen quàm illis ſi Blan-

dinium

dinium excipias, munificentior: Cœnobitis enim multas iuriſdictiones vicoſque detractos, in Nobilitatem partitus eſt. Cùm Boloniæ, Teruanæq; ditionibus, opes Abbatiæ Bertinicæ poſſedit. cui demum Abbatem, ditioniſque partem, vxoris precibus, permiſit. Medicis vndique confluentibus, & iam ſeni ſuadentibus, vt renum calculum exſecari ſibi concederet, renuit: Ne, quum (aiebat Latinè) indulgentiùs quæro viuere, incipiam inclementiùs mori. Fuit Arnulphus inimicis formidini, amicis ſecuritati, reddidit ſubditis pacē, vicinis ſocietatem. Decrepitam nonagintaduorum annorum ætatem ad mortalitatis finem perduxit: Gandaui ad Petri anno 964. ſepultus ſub humili operimēto ſaxeo, quū annos 46. præfuiſſet. Ex Aleyda filia Heriberti Viromandiæ Comitis, qui regem Carolum Simplicem turri Peronenſi incluſit, Arnulphiq́ue patruum Rudolphum per Normanos in prœlio oppreſſerat, genuit Balduinum, qui ſucceſſit, duasq; filias: quarum Lutgardis Wichmano noui caſtelli Gandenſis Comiti enupſit, Gandaui ad D. Petri ſepulta: & Elſtrudis, à *Sifrido Dano*, qui Guineſam oppidum Arnulpho tum ereptū, tum eblanditum, duplici foſſa munierat, ac propter Arnulphi iram ad laqueum confugit deſperabundus, raptum paſſa, filium Adolphum reliquit: quem Arnulphus ſecundus Flandriæ Princeps primum Guineſiorum Comitem, in ſuam clientelam iuratum, circiter annum 968. conſtituit, qui per vxorē Mathildem Boloniæ Comes fuit, abauuſq; Gotefredi Bolonienſis, regis Solymi, eiuſque fratrum. Duo autem theoremata in Arnulpho nobis proponuntur. Illius enim filia, ignaro parenti erepta, facinus Balduini ferrei proaui, Iuditham inuito patri abducentis in memoriam, trutinæque diuinæ teſtimonium reuocat. Et Magni cognomē, quod Alexandro, Pompeio, Con-

ſtantino, Carolo, ſumma imperia & rerum geſtarum amplitudo vix peperere, Arnulpho ad poſteritatem conciliauit qualiſcunque literatura, rudiſq; Minerua monachorum Gandaui Blandinienſiũ, beneficientiam eius ſcriptis laudãtium, & Magni titulo remunerantium: vt meritò ad Achillis in Sygæo tumulum Alexander Magnus illacrymans exclamarit, O fortunate iuuenis, qui tuæ virtutis præconem inueneris Homerum. Nam per literas (canit Lyricorũ præſtantiſſimus) *Spiritus & vita redit bonus,*
Poſt mortem Ducibus.

Sub eo commemorantur viri Nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Euerardus *Berganus*, ob Bergam muniri cœptam contra Barbaros ad Chriſtianorum defenſionem. Albertus *Dronganus*, ob poſſeſſos dono Comitis reditus oppidi tunc, & Præpoſituræ canonicalis Trunchinienſis.

BALDVINVS TERTIVS.

BALDVINVS Tertius à patre viuente, ſed annis feſſo rerũ gubernaculo admouebatur, cõuocatis Gandauũ & aſſentientibus Flãdriæ Ordinibus, nõ ſine fletu gemituq; teſtibus firmæ in patrẽ beneuolentię. Brugã, Ypram, Feurnam, Bergam, Burburgum, Dixmudã, Audenburgum, cum Rouſſelara & Rodenburgo, aliiſq; aliquot locis, in melius munitionibus reſtituit: neque fortitudine hoſtibus, neque fide ſociis, neque amore ſubditis cedebat. Texendi artifices, quod olim quæſtus & opulẽtiæ plebeæ veluti baſis erat, ad annũ 959. Flandriæ introduxit, ac prouexit. Mercaturæ cõmercia auxit, Brugæ, Curtraci, Thorhouti, Caſſetiq;, rerum venalium nundinis, ſtatiſque mercatuum diebus indictis: quum ea tempeſtate ob pecuniæ penuriam, permutatione mercium inter ſeſe Flandri negocia-

gociarentur, & (vt exemplo res clareſcat) duas gallinas pro vno anſere, duos anſeres pro porco, veruecem pro tribus agnis, tres vitulos pro vacca cõmutarent. Ex bello contra Normanos, in ſubſidiũ Lotharij Regis, fortiter geſto, incolumis domum reuerſus anno imperij tertio, Bergæ Winnoci, morbo papularum ſiue variolarũ ad annũ 961. è viuis deceſſit, Santomeri in Bertini ſepultus ſub humili tegumento lapideo, quum Arnulphum progenuiſſet ex Mathilde, Hermani Saxoniæ Ducis filia; quę poſtea ex Gotfrido Arduennę Comite, mater Gotfridi Gotelonifque Lotharingiæ Ducũ, & Henchilonis Eynhamæ reguli, filiam vnicã Reynero Hannoniæ Comiti elocantis, multas familias coniunxit & illuſtrauit. *Balduino*, marito eius, tam raræ probitatis commendationẽ ſuperſtitem adepto, vt gemendũ ſit, laudatorum Principũ vitam, adeò breui æuo circũſcribi, & velut fulgur oculos perſtringens, citò euaneſcere: quemadmodum in hoc viro, Tito Veſpaſiano, Alexandro Seuero, Gordiano Iuniore Cæſaribus, aliiſq; videre eſt: quum ſubditorum maximè interſit, bonis Principibus vti frui quàm diutiſſimè: quos tam raros eſſe, vt vni annulo ſignatorio inſculpi omnes poſſint, olim vulgatum eſt. Ceterùm in hoc Principe etiam imitandum eſt, quod per artificiorum & mercaturæ labores induſtriamq;, populum à duobus malis auocarit, *Ocio* nimirum atque *Inopia*, publicè tam perniciofis, vt Solon Athenienſis egenos deſides grauibus mulctis, Amaſis Ægyptius morte plecteret.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomẽtis, Erkingarus *Rentyanus*, ob diligentem exanimis corporis D. Bertulphi cuſtodiã: Balzo *Flandrius*, ob poſſeſſum Cameraceſij comitatum.

ARNVL-

ARNVLPHVS SECVNDVS.

ARNVLPHVS Secundus ſub auo paterno,qui rerum curam poſt filij mortem reſumpſerat, immatura imperio pueritiam, ſed tutá egit. Poſt aui obitum, neque animi celſa in eo indoles,neque matris vitriciq́ue induſtria,principatum eius à Lotharij Regis cupiditate & violẽtia ſatis protexit: Boloniæ & Teruanæ Sanpauliue ditionum poſſeſſione, huic hæredibuſq; erepta, & ad filios Guilielmi Comitis Pontiui,quo iure quaq́ue iniuria tranſlata: ſic tàmen, vt vterque fidem & clientelam Comitibus Flandriæ iuraret. *Sanpaulinus* demum Comitatus ad Engheranũ Champdaueinæ domus, eiuſq; per filiam vnicam ad Hugonẽ gentis Chaſtillonæ peruenit: eorumq́ue pronepte Guydo Luxenburgio Lignij regulo nupta, in proſapia Luxenburgia diu permanſit; donec per neptis ex Petro filio, Ludouici Gal. Coneſtabilis, matrimonium domui Borboniæ Vendomiorum acceſſit. Ceterũ Arnulphus,ætate creſcente,animi acrimoniam non diminuit,plebi ac Nobilitati iuxtà gratus: prouidebat enim ne inopes à potentibus, imbecilles à validioribus,boni ab improbis opprimerentur. Hugonis Capeti coronationi anno 987. Nouioduni intereſſe recuſauit; quòd ille regnum Caroli Magni ſtirpi ereptum,inuaſerat, & Carolum Lotharingiæ Ducem, Ludouici quinti Gall. Regis abſque liberis defuncti patruum,proximumq́ue hæredem excluſiſſet,captiuumq; haberet. Officium tamen fidemq; Roberto Regi,illius filio, præſtitit; calidiſſima febri anno imperij 26. immaturè ac inopinatò ſupremum diẽ expleuit anno 988. ad Petri Gandaui in Sacello Laurentiano ſepultus: quum ex Roſela Berengarij tertij ex ſtirpe Lõgobardica regnũ Italiæ obtinẽtis, quem

Otho

Otho primus Cæſar vicit, captiuumque Bambergæ perpetuò habuit, filia; quæ pòſt Roberto Galliæ Regi nupta, Suſanna denominata, & iuxta prioris mariti tumulũ Gandaui iacet, pũerum hæredem reliquiſſet, atque hæc documenta partim cõmunem pupillorum conditionem, aliorum cupiditati iniuriiſque obnoxiã paratamq; eſſe, niſi auctoritate prudentiaq; eximij viri fulciantur: vt hic Arnulphus aui ſui, Ioas Rex Iudæę auunculi Ioiadæ: Gordianus Iunior Cæſar Miſithei ſoceri fide atque ſapientia muniebantur, iiſq; deſtituti, vacillabant: partim ingenuos motus auitæ & generoſæ nobilitatis, in Principe elucere, non ferente illatam haud ſibi priuatim, at ſtemmati cognationique ſuæ iniuriam, eaq; de cauſa incitato, vt procliuiùs potentem regem offenderet, quàm iniuſto abblandiretur.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Henchilo *Eynhamenſis*, ob Eynhamę dominium: Theodoricus *Ghentanus*, ſiue *Gandauius*, ob patatam vltionem patris à Friſiis cæſi.

BALDVINVS QVARTVS PVLCROBARBVS.

BALDVINVM, cui à prolixitate ſubnigræ, venuſtæque barbæ nomen fuit, antequam ſuæ tutelæ eſſet, domeſtici motus agitauere; aliquot proceribus (præſertim Gilbodo Curtracenſium primate) parêre detrectantibus: quos omnes demum imperata facere coegit: ad magnanimitatem enim natura eũ genuerat, diſciplina informauerat, vſus aſſuefecerat. Maiora autem damna ab Henrico ſecundo Cęſare accepit, vicos arceſq; flammis, pecora atq; homines prædis exhauriente. A quo tamen amicitiam, Valincenas, & Zelandiæ inſulas in fide imperij tenendas, poſtea eſt conſecutus. Baltheo

theo dignitatis equeſtris plurimos qui annalium incuria ſilentur, exornauit: toporchias, quas Nobilitati diuiſit, cóſtituit; perq; vicos & caſtella iuridicos, eruditos, ac idoneos legit: doctus enim ipſe fuiſſe perhibetur, iuxtà atque probus: gentiles verò ſuos, Balduini Ferrei pronepotes, Cameraceſij Comitatu per Herluinum Epiſcopũ anno 1014. excludi tolerauit; tantamq; in populum ſuũ peſtem ſæuientem, vt vix libithinæ viui ſufficerent. Quum annos 48. imperaſſet, ad Petri Blandini in ſacello Laurẽtimanô ſub lapide humili ad annum 1036. ſepultus, Balduinum habuit ſucceſſorem, ex Ogina Gilberti Luxenburgi principis filia: cui proximæ partui tentorium ſumptuoſum in foro maximo Atrebati maritus tẽdi iuſſit: omnibuſq; feminis honeſti nominis lociq; permiſit, vt adeſſent parturiẽti: quo nimirũ ſic vulgo exueret ſuſurros, & opinionem quam de illius ferè quinquagenariæ ſterilitate induerat. Duobus vtilibus exemplis, velut facibus Pulcrobarbi vita nos præeũte: Altero, legitimis Principibus etiam pueris, populum fide obligatũ, fruſtra obluctari: quod ſupremi numinis miniſtri ſint, ſacri & inuiolabiles: neque perperam vulgo dici; Regem paleatum, ſubditis chalybeis eſſe validiorẽ. Sic Gotfridus tertius Brabantiæ Princeps, in cunis prolatus, & ante pugnæ aciem poſitus, Grymbergios rebelles ſubiugauit, ad exemplũ Guropi Macedoniæ Regis: altero, Ex inimicis reconciliatis non ſemper expectandam diffidentiã atq; metum, ſed ingentes ſæpè fructus, ſubſidiaque. Sic Balduinus hic, & Henricus Cæſar: M. Lepidus, & M. Fuluius Romani: Cimon & Pericles Athenienſes. Maſiniſſa & S.P.Q. Romanus, Carolus ſextus & Ricardus ſecundus, ille Gall. hic Angliæ Reges: Philippus Burgundiæ, & Carolus Aureliani Duces, plumbeas iras & inimicitias, in ſinceram fructuoſamque:
bene-

beneuolentiam commutarunt. Neque inconſultè Plutarchus, De vtilitate ex inimicis capiēda librum edidit. Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis: Gilbodus *Vleteranus*, ob equeſt. ordinem,& liberalitatem in cœnobium Watenenſe: Ioannes *Arraſsius* ſiue *Atrebatius*, ob antiquitatem nobilitatis.

BALDVINVS QVINTVS.

LILANVS.

LILANVS, ab oppido, quod præ reliquis dilexit ornauitq́ue, agnomē adeptus, maiorum amplitudinem ſuperauit: ſagax in proſpiciendis,patiens in expectandis,celer in arripiendis,acer in perſequendis rerum occaſionibus,atque fortunatus. Gulielmum Roberti ex Arleta cōcubina filium,& Rollonis Noortmani;qui Caroli Simplicis regis beneficio Neuſtriam poſſedit, Noortmaniamq; primus appellauit,atnepotē, Normaniæ Ducem, generumq́ue ſuum, vt priùs Noormaniæ,ita Angliæ regno anno 1060.introduxit, Haraldo eius hoſte ſuperato: cum genero pactus,vt ipſe poſthac atque ſucceſſores Angliæ reges trecentas in annos ſingulos argenti ſemilibras ſiue markas Flandriæ Principibus perpetuò dependerent:quod vectigal nunquā fuit, niſi poſt Lilani, eiuſq; filij mortem, ab Anglis recuſatum. Eodem anno relictam teſtamento ab Henrico primo Gall.rege,Philippi & Hugonis liberorum, regniq́ue Francici tutelam diutiſſimè ac integerrimè adminiſtrauit: ceteris proceribus Flandrum, quem annales Gallici ſinceriſſimum fidei ſapientiæq́ue perſpectiſſimę virum nuncupant, verſari in rerum procuratione ferētibus, obſequiūq; ſanctè promittentibus: præter Vaſconas, veritos ne regnū appeteret,quòd Henrici Regis ſoror ei nupſerat,

rat,& à Carolo magno iuſta ſerie eſſet oriũdus: quos dextrè magis quàm violenter ad officium redegit: Regem Philippum primum pupillum ſuum ſepe in Flandria educauit. Terram omnem inter Scaldim Teneramq; , quæ iampridem Aloſtana dicitur, cum quatuor Ambactis,& arce Gandenſi, Henrico tertio Cæſari ereptam,facta pace, retinuit, Zelandiæq; inſulas: contra quem poſtea Flandriæ Occiduæ imminentem, magnam longamque ad tria paſſuum milia foſſam aggeremq;, qui Nouus adhuc vulgò appellatur, Arteſioſq; à Flandris iam ſeparat, intra triduum anno 1053. perduxit. Lilam, Gandauum, Brugam, Ypram, Ariam, Santomerum, & Audenardam, vbi etiam arcem ſtruxit, firmiora effecit. Legatis Hollandiæ, Gertrudem Florentij primi Hollandiæ Comitis viduam,in matrimonium,& filios regionemq; illius,in tutelam Roberti filij anno 1063. Audenardæ offerentibus aſſenſus eſt, & huic quinque Zelandiæ inſulas,ditionemque Aloſtanam cum quatuor Ambactis,magnaq; pecunia,in portionem hereditariam propter nuptias donatione aſſignauit,adacto priùs ad iuſiurandũ, quod his contentus, à fratris iniuria abſtineret. Regnauit annos 32. Paulò ante mortem vocato ad ſe filio Balduino, Robertus enim in Hollan-
» dia aberat: Vides,inquit,me ſupremis appropinqua-
» re,& Deum à me repetere æs alienum,quod naſcen-
» do accepi:cui obſiſtere velle ſtultum eſt, obmurmu-
» rare impium: Malus ille miles,qui Imperatorẽ ſuum
» gemens ſequitur. Et cur obluctemur? an quia ex hoc
» corpore, velut ex carcére,aut præſidio moleſtiſſimo,
» tranſgrediar per Chriſtum Seruatorem, in cæleſtem
» illum cœtum ſpirituum immortalium atque beato-
» rum? Priuſquam autem hinc diſcedam, peto abs te
» fili, vt animum mihi præbeas, pauca quæ in rẽ tuam
» populiq; noſtri ſunt,te admonenti. Prima ſit tibi cu-

ratio

ratio rerum diuinarum. Numen enim in quo ſumus «
mouemur, viuimus, pronius illis eſt, qui maximè il- «
lud colunt: Franciam, vnde nobis tantum decus & «
amplitudo, obſerua: Sic Caroli magni, ſtirpis noſtræ, «
memineris; vt huiuſce generis Reges toleres; ex his «
tibi mater;& fato regna transferuntur. Quoniã pœ- «
nis atque præmiis reſpubl. continetur, coërctiones «
aliis delega, præmia tu ipſe dato: vbique circumſpe- «
ctè: prudẽtia enim, rerum omniũ directrice tibi tam «
opus eſt, quàm architecto libella & linea. Factiones «
in ſemine comprime: Delationibus, aulæ agnatis, ci- «
tiùs aurẽ præbe quàm fidem: Conſiliarios elige ad la- «
pidem lydium bonæ famæ, ætate, vſu, literiſq; (præ- «
ſertim hiſtoricis) inſtructos. Pacem, in quam natura «
propendes, quantũ potes cole: Melior eſt enim certa «
pax, quàm ſperata victoria: Alieno ſanguini tãquam «
tuo parce: Non minùs hominem te, quàm homini- «
bus præeſſe cogita. Denique ea ſponte facias, quæ «
alium quemuis imperantem, in te facere optares. «

His dictis, filij manũ comprimens, breui deceſſit, in vrbe Lila, & ibi in templo à ſe condito ditatoque, ſepultus eſt, ad annum 1067. Ex Adela Roberti Francorum regis filia, quam pater in cunis apud conſocerum alendã ad filij nuptias tradiderat, & quæ marito ſuperſtes, viduitatis conſeruandę amictum de manu Pontificis Alexandri Romæ accepit, progenuit Balduinum, cui viuente patre, Montium vrbs, Hannoniæ dotalis præcipua, & Roberto, cui Weſtfriſia, quã Hadr. Iunius Ciſrhenanã vocat, in qua Hoorna, Enchuſaq; eminent, fortiter infeſtata, nomen addiderunt. Hoc titulo vſus perhibetur, *Balduinus Comes Flandriæ, Marchio, & Philippi Francorum Regis procurator ac Baylus.* Hunc ab annalibus etiam Pij agnomine cohoneſtatum inuenio: quãuis Hugo Floriacenſis illum ſcribat, regia affinitate ſubnixum, extru-

fiſſe patrem ſ*o*lio: at Roberti Normaniæ Ducis ope patrem in ditionem, filium in patris gratiam reſtitutum: quod magis ne prætermitterem retuli, quàm quòd verũ putẽ, aut congruere viro, cui omnia optimè ſuccedebant; quũ parentes affligentibus Nemeſis ſemper immineat; & qui cunctis Principibus documento eſt, virtute inprimis aũctoritatem amplitudinemq́; comparari, àtque conſeruari: quum videmus, regulum potentiæ modicum, hinc regno Angliæ vectigal regemq́; impoſuiſſe; illinc Gallias maximumq́; regem in tutela habuiſſe & adminiſtratione. Sic P. Scipioni, potentiſſimæ Carthagini vectigal imponenti, Maſiniſſa filiorum ſuorum tutelã teſtamento cõmendauit, ſola virtutis eius vi ac exiſtimatione. Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis: Reingotus *Ghentanus*, Rudolphus *Tournayus* ſiue *Tornacenſis*, Walterus *Douayus* ſiue *Duacenus*, Robertus *Auoeus*, Anſelmus *Calewus*, ob ſubſignatas cũ Philippo Gall. rege (in Flandria tunc agente) tabulas factæ collegio Lilano templi S. Petri, donàtionis.

BALDVINVS SEXTVS MONTANVS.

MONTANVS aditu facilis, in reſponſo lenis, in iure dicundo æquus, in religione aſſiduus per coniugem Richildim Reyneri tertij filiam, viduamq́; Hermani Arduennatis, obtinuit comitatum Hannoniæ, qui Montium ab vrbe primaria dicebatur, & per Cæſarem Henricum quartum donantem, Tornacum poſſedit. Rogerio priuigno, cui inſigne pedis vitium, neque mentis acumẽ erat, ad ſacra aſſcripto, Epiſcopatum Laudunenſem procurauit, non grauatim fratribus vterinis ad ſucceſſionem maternam locum vacuum facienti, accedente

matris

matris perſuaſione in poſterioris thori liberos pronioris. Albæ virgæ, ceu vindictæ, quám longam rectámque Flandriæ Bailiui gerunt, auctor fuit, ad annum 1068. quæ & geſtantem recti candoris, & prætereuntes reuerentiæ admoneret, & à flagitio cohiberet. Gerardi montē emptione cōparauit, & ad oppidi formam condidit; exſtruxitq́; Heſdini palatium ſumptuoſum. Paci & trāquillitati omnino addictus, bello abſtinuit: quamuis neque in rebus arduis ſuſcipiendis animus, neque in gerendis conſilium illi deeſſent. Erat audiendi largus, vini ſermoniſq́; parcus: & nunquam in Flandria minus furtorum & flagitiorum in itineribus, quàm ſub eo Principe fuit. Iuſſus per Leonem Papam, ab vxore ſecubuit; quia Adela eius mater, Reyneruſq́; coniugis pater amitini fuiſſent: quod tamen impedimentum Victor, Leonis ſucceſſor, in Synodo Agrippinenſi reſcidit. Quum duos ex ea filios genuiſſet, trienniumq́ue regnaſſet, moriturus Arnulpho maiori filio Flandriam, eiuſq́; curatelam Roberto fratri: Balduino Hannoniam teſtamento, & vxoris aſſenſu reliquit: filioſq́ue vocatis Audenardā, præſentibusq́; Sacerdotij ac Nobilitatis proceribus vehementer cōmendauit. Mortalitatem ibi expleuit, facili exitu, nulloque cruciatu, qualem Cæſar Auguſtus εὐθανασίαν nominabat, & ſibi ſuiſq́ue precabatur. Haſnonij cœnobio, quod condidit, anno 1070. ſepultus eſt, hoc titulo vſus; *Balduinus, per Dei clementia, Flandriæ Princeps*. In quo mirari ſubit Dei iudicia, nulla iniuſta, multa occulta: Flandriam enim auiti certiq́; patrimonij, filiis ſtabilire non potuit, Hannoniam potuit dotalē: cuius vi ſubactæ dominam haud ſatis ęquanimem, pater Lilanus nuptiis ipſius coniunxerat: deinde illū ſpectamus, prætextā ſago anteponentē, nunquam arma induiſſe: quæ (vt dicebat Martianus Auguſtus) Principē non decent,

N 3 donec

donec licet in pace viuere: Silent enim leges inter arma, vt vetus docet ex Grȩco hæc ſententia: *Lex Rex, at ipſe Mars tyrannus eſt.* &, *Pax optima rerum, Quas homini nouiſſe datum eſt, Pax vna triumphis Innumeris potior.*

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Iſacius *Vormiſelius*, ob ſacri collegij ædificiique Vormiſelani principia: Arnulphus *Selneſſius*, ob Ardam conditam ex Selneſſæ arcis ruina, Comitatumq; Sanpauli dotalem.

ARNVLPHVS TERTIVS INFELIX.

ARNVLPHVM (cui tum ab infortunij, ſuperbiæq; maternȩ Nemeſi, Infelicis, tum ab annalibus, innocui Simpliciſque agnomen eſt) verum Flandrię Principem, patris pietas, æquitas & cõmendatio nihil protexit; ſed Richildis matris in Flandros atrocitas, arrogantia, auaritia, quas tamen contrariis virtutibus ante mortẽ, in cœnobio Meeſſenenſi, fertur diluiſſe, patruiq; violentia & victoria, imperio, vitaq; ſpoliauit, fortiter dimicantem ad Baninchouam Caſſetanam: in conflictu, quo Philippus primus Gall. Rex, materq; Richildis inferiores fuerunt: quum ætatis annum decimumſeptimum, regni nouẽdecim menſes, cælebs attigiſſet. Ad Bertini ſepultus eſt, ſtatuaque ſtrenui pugnatoris, gladio comminantis, à patruo exornatus. Et hîc ſentimus nobis incognita prouidentiæ diuinæ arcana: Innocentiam nimirum non ſemper eſſe tutam: quũ optimi Principis filium adoleſcentem, innoxiũ, antiquo paternoq; dominatu, & vita ſpoliari intuemur: denique matris vicia plus potuiſſe ad euertendã, quàm patris virtutes ad conſeruandam filiorum proſperitatem. Vt olim Alexander Seuerus, Cæſar optimus propter matris

Mameæ auaritiam, Imperio, vitaque excidit.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Ioannes *Gauerus*, ob equeſt.ord. præfecturam Ypræ, necemque iuſſu Richildis inflictam: Gerardus *Bucanus*, ob præfecturam arcis Lilanæ: Guilielmus *Rabellus*, ob primatum Santodomari, & fidelitatem in legitimum Principem.

ROBERTVS PRIMVS FRISIVS.

ROBERTVS legitimæ ſucceſſionis ſeriem primus interrupit per hanc occaſionem: Poſcenti tutelam nepotis Arnulphi, Flandrięque adminiſtrationem ex fratris teſtamento, Richildis ambitioſa pupilli Principis mater, cui forſitan à Roberto timebat etiam cauebatq́; obluctabatur: auctoq́; odio, illius bellum comminantis bona fiſco addixit, in nobilitatem vrbeſque Flandrię Teutonicæ, à cuius lingua, conſiliis, inſtitutis abhorrebat, vbi etiam à ſingulis lectis quatuor Gallicos denarios exegit, crudelitate peracerba: vnde Roberti cauſam populo gratiorem reddidit, illum allicienti, opemq́; pollicenti. Qua beneuolentia, auxiliiſq́; Robertus aduerſum Richildim armatus, altero nepotum in pugna cæſo, altero excluſo, Flandriam vſurpauit, Teutonicam quidē lubentem, Gallicam verò conciliatam: Regiq́; Philippo priùs hoſti, fidem, nomine Flandriæ præſtitit, & cum Balduino altero nepote, Hannoniæ maternæ Comite, tranſegit; atque ad ſuum ex filio nepotem, filiarumque poſteros huc vſque tranſmiſit Flandrię principatum: ſub ipſo memorabilem longiſſimo gelu, terræmotu, ventorum tempeſtate, morboque crudeliſſimo (qui *Ignaria* dicebatur) per quem alij inſtar carbonū nigreſcentes, alij exuſtis viſceribus tabeſcentes, quidam membris

N 4. muti-

mutilati, anno 1092. cruciabantur, ac interibant. Legatis eius ad Henricum quartum Cæſaré miſſis, vt de Aloſtana, ceteriſq; terris Imperio fide annexis, iuramentum Roberti nomine darent, eiuſq; amicitiam impetrarent, quiddam accidit memoratu non indignum; quod Balduinus Tornaci primarius, & legatorum præcipuus ſemper aſſeuerabat attonitus, vt annales atteſtantur, alioqui fabuloſum & incredibile ignorantibus, ſimile quid Druſo, Auguſti in exercitu legato, patrumq; memoria Ioanni Waſſenaro, nobili fortiq; in Hollandia copiarum Duci, non procul hiſce regionibus obueniſſe. Fertur illis Friſij legatis Coloniæ Agrippinæ, vbi Cæſar erat, appropinquantibus obuiam veniſſe mulier ſpecie graui, reuerenda, atque humana amplior: quæ percunctata vnde venirent, quò procederent, quum reſponſi dubios & cunctabundos animaduertit, Scio, inquit, vos eſſe ad Henricum Cæſarem miſſos à Roberto Friſio; qui nepotum alteri vitam, alteri hæreditatem Flandriæ eripuit. Impetrabitis Cæſaris beneuolentiam, & Robertus Flandriā obtinebit ipſe cum filio ac nepote; ſed in hoc poſteritas eius virilis extinguetur, propter illā, qua afflixit fratris filios, iniquitatem. At Robertus in affines quàm nepotes æquior, Theoderico V. Hollandiam Friſiamque Ciſrhenanam recuperauit, priuigno, & à ſubditis expetito. Suſpectus fuit in necem Gotfridi Comitis Louanienſis propinqui ſui, Antuerpię interfecti à ſubmiſſis percuſſoribus. Hiſce flagitiis vt ablueretur, Hieroſolymam, ſepulcrumq; D. Catharinæ inuiſit, multorū eius ſeculi facinoroſorum hominum more & perſuaſione. Vbi etiam ad Hieroſolymę templum horrendis aut viſionibus, aut imaginationibus fuit perturbatus. Quum 21. annos præfuiſſet, vel in Winendalæ arce, quā ad venationes ſtruxit, vel Caſleti, vbi templo collegioque D. Petri inpri-

inprimis munificus fuit, ibidẽ in crypta chori ſepultus anno 1093. è viuis migrauit, morte (vt Bertinici annales volunt) cita & inopinata: quum tres filias ex Gertrude, Bernardi Saxoniæ Ducis filia, Theoderici quinti Hollãdiæ Comitis matre, genuiſſet. Quarum Adela Canuto Daniæ Regi, dein Rogerio Calabriæ Apuliæq; Duci nupſit; ex illo Caroli eiuſq; ſororum, ex hoc Guilielmi genitrix: Gertrudis Henrico Louanij Comiti, pòſt Theoderico Alſatiæ Lañſgrauio iuncta: tertia cœlebs fuit: quumq; totidem filios ex ea procreaſſet, Robẽrtum, qui ſucceſſit, à patre priùs in regni ſocietatem cooptatus, Philippum Ypræ Burggrauium, extinctum Winnocibergæ, quũ ex domus tabulato decidiſſet, & Guilielmũ Ariæ in adoleſcentia defunctũ. Erat Robẽrtus corpore vegetus, animo ambitioſus, liberalis, militaris, minuſque quàm Robertus Gall. Rex maternus auus, ad manſuetudinem iuſtitiamq; appoſitus. Verùm argumento eſt, populi conſentientis maiorem & auſpicatiorẽ in offerendo, cui ſubiiciatur dominatu, poteſtatem eſſe, quàm exiſtimatur. Sic poſtea Henricus & Ioannes Nothi, alter Caſtellæ, alter Portugalliæ, Henricus Lancaſtrius, Angliæ regna legitimis regibus auulſa, in ſe poſteroſque tranſtulerunt, nullo alio iure, quàm populi fauore atque voluntate. Et auorum memoria, Georgio Boiebracio Bohemiam: Mathiæ Huniadæ Hungariam, electiones populares donauerunt.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Gerardus *Lilanus*: Valnerus *Curtrycenus*: Bochardus *Comineus*: Valnerus *Audenburgius*: Gratianus *Eclaanus*: Ideũs *Lilerſus*: Hermarus *Zomergemius*: Ioſrannus *Kneſſelarus*, ob Principem comitatum ad iter Hieroſolymæ: Balduinus *Ghentanus*, ob poſſeſſum dono Principis dominatum Dronghenæ & Ruſſæ: Lietbertus *Brakelius*, ob epiſcopa-

 tum

tum Cameracenſem,& indigitationem: Lambertus *Bellanus*, ob epiſcopatum Teruanenſem, eiuſque factioſam ereptionem: Arnulphus *Audenardius*, ob Principem ſacerdotio placatum, ac indigitationem. Gulielmus *Langhus*, ob equeſt. ord. & filij cædem, piè condonatam.

ROBERTVS SECVNDVS HIEROSOLYMITANVS.

ROBERTO Secundo, quem annales Franciæ, nunc Hieroſolymitanum, nunc fortiſſimum, nunc vnũ ex Aſiæ domitoribus vocant, celebrantq́; Turcis erepta ingenti virtute conſtantiaque, Hieroſolyma, agnomen: Gotfrido, Euſtatij Bolonienſis Comitis, Roberto clientela obſtricti, filio, regnum attulit. Alexio Comneno Orientis Cæſari, Rogerioque Apuliæ & Calabriæ Principi, cui ſoror ipſius Adela nupſerat, ex Syria rediens, inprimis acceptus fuit ac familiaris. Arnulphum Selneſſæ Ardæque dynaſtam, & Sanpauli dotalis Comitem, numero duodecim Flandriæ Parium aſſcripſit: eumque, qui Præpoſitus collegij D. Donatiani Brugæ eſſet, perpetuum Flandriæ Cancellarium, & velut ſigilli Principis depoſitarium, cunctorumq́; notariorum ac ſacellanorum curiæ Palatinæ magiſtrum anno 1089. conſtituit, patris viuentis in imperio collega. Cum Balduino Hannoniæ Comite, patruele, de Duaco, eiuſque agro conuenit, ac ſibi retinuit. Ab Henrico quinto Cæſare, priùs inimico, in arcé Gandaui Othonianam confirmatum dominij ius acquiſiuit; ac, vt annales noſtri volunt, in Cameracũ, quod ab archiuis epiſcopatus Cameracenſis reſpuitur, aſſerentibus, Cameraci dominatum Wibaldo Epiſcopo fuiſſe multo antea ab Imperatoribus attributum. Nunc continuis ab Octobri in Aprilem imbribus,

quos

quos grauiſſima peſtis ſequebatur, nunc gelidiſſima hyeme, terræque ſterilitate, & publica fame afflictus fuit, tantaque Oceani inundatione, vt maris accolæ, verſurã ſoli fecerint, in Angliam applicuerint, eiuſq; partem Orientalem habitationi ſuæ ab Henrico primo Rege, anno 1109. exorauerint. Quum Meldos in Normania Anglis addictos atque erumpentes, in vrbem fortiſſimè repelleret, ante portã ſuffoſſo equo effuſus vulneratuſque, tertio poſt die anno 1111. apud ſuos deceſſit, in Vedaſti Atrebati ſepultus, Craſſo Gall. Rege, multiſque Principibus funus proſequentibus, anno principatus 19. quum ex Clementia, Gulielmi Burgundiæ Comitis filia, Regiſq; Galliæ Roberti pronepte, Calixtiq; ſecundi Papæ ſorore, Balduinum qui ſucceſſit, reliquiſſet; hoc titulo vſus: *Ego Robertus, Dei miſericordia, Flandrenſis Marchio, Roberti agnomine Friſonis filius.* Clementia verò, quũ intra tres annos, eoq; minus, tres filios, Balduinum, Gulielmum, Philippumque enixa eſſet, ſterilitatem (quam medici aſyllipſiam dicunt) fertur acceriſſe, ne prole numeroſa grauaretur: quæ res illi peſſimè vertit, quum filiis demum omnibus ſuperſtes, grauiter defleret, alios quàm ſuã progeniem Flandris imperare. Burburgi in cœnobio nobilium veſtalium, quod condiderat, ſepulta; Theoderico Flandriæ Comite, hærede nuncupato. At Solymus documento eſt, Commiſerandam eſſe Principum conditionem: partim quod iis in pugna periculũ, in fuga flagitium, ex victoria ipſa ſæpè exitiũ eſt; quodq; proſpera omnes ſibi vendicant, aduerſa vni imputantur: partim quòd verè à Solone & Naſone dictum eſt: *Felix diciq; beatus Ante obitum nemo, ſupremaq; funera debet.* Cùm illũ intuemur in tot nauigationũ præliorũq; diſcriminibus verſatũ ſępè incolumẽ, & triũphalem, tandẽ ſaucij equi lapſu inopinato, miſerè oppetiiſſe.
Sub

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Philippus *Flandrius*, Balduinus *Ghentanus*, Euerardus *Tournayus*, Bochardus *Comineus*, Hellinus *Waurinius*, Galterus *Neuelanus*, Gerardus *Lilanus*, Galterus *Zottingemius*, Engerantius *Lilerſus*, Ioannes *Haueskercanus*, Sigerus *Curtrycenus*, VValnerus *Audenburgius*, Gratianus *Ecloanus*, Hermanus *Zomergemius*, Ioſſeranus *Kneſſelarus*, Gulielmus *Santomertus*, Balduinus *Bellanus*, Gilbodus *Vleteranus*, Rudolphus *Lederzelius*, Vago *Arraſſius*, Galterus *Douayus*, Arnulphus *Audenardius*, Guilielmus *Langhus*, Balduinus *Ketelus*, Raſo *Gauerus*, Robertus *Lyquus*; Guilielmus *Honſcotanus*, Themardus *Burburgius*, Franco *Herzelius*, Euſtatius *Teruanius*, Albo *Rodenburgius*, Adelardus *Stratius*, Stephanus *Boularus*, Reingotus *Molenbecanus*, Conon *Heynanus*, Guilielmus *Meeſſenius*, Guilielmus *Weruycanus*, Salomon *Maldegemius*, Lambertus *Crombecanus*, Seruatius *Pratanus*, Theodericus *Dixmudanus*, Daniel *Dendermondius*, Hermanus *Arienſis*, Galterus *Caſteelius*, Alardus *Waeſtenius*, ob Principem in iter bellumque Solymum comitatum, religionis virtutiſq; contra Mahumetanos teſtificandæ cauſa, & propter eximiam nobilitatem: Fulco *Guineſius*, Hugo *Falcobergius*, Euſtatius *Beccaminus*, Hugo *Robecanus*, ob vrbes Palæſtinæ, Barithum, Tyberiadem, Cęſaream, Santi Abrahæ caſtellum in præmium virtutis acquiſitas, donatione Regis Hieroſolymæ. Erenbaldus *Bruganus*, ob ſubſignatas tabulas priuilegij collegio Donatiani à Principe conceſſi, propterque Caſtellaniam Brugenſem: Arnulphus *Selneſſius*, ob locum inter Flandriæ Pares attributum.

BAL-

BALDVINVS SEPTIMVS SECVRICVLA.

BALDVINO Septimo, parua ſecuris, quam Hapkinam vernaclè vocãt, nomen tribuit: tum quòd ſeueriſſimè in latrones, viarumque inſeſſores, qui per abſentiam in Syria patris, creuerant, animaduerteret; quæ res ſecuriculis tunc fiebat; tum quòd portatu habilem ſecurim ſæpe manu, ſæpe depictam in vmbilico inſignium geſtabat; petito forſitan à vetuſtis Francorum Regibus, Clodouęo inprimis, exemplo; quem Gregorius Turonenſis Epiſcopus ſecurim in promptu, & ad manũ ſemper habuiſſe commemorat: qualem Herodoti Polyhymnia inter Sacarum arma, Axinam nobiſcũ vocitat. Nobilitatis inter ſeſe, ac in plebem ſæuientis ſuperbiam, acriùs quàm maiores compeſcuit: auctor, initio principatus, publicæ pacis, quam etiam communem vocant, herilemque, quòd à Comite, qui dominus per excellentiam nominatur, ſancita fuiſſet; in Comitiis Yprenſibus decernendæ, ipſiuſmet, procerumque & populi iuramento: Qua cauebatur: Nemo alterius ædes noctu aſſiliat. Nemo ignem iniiciat, aut minetur; qui ſecus fecerit, morte punitor. Cuncti armis ferendis abſtinento, præter Bailiuos, arcium cuſtodes, ſimileſque Principis officiarios. Vulnera cædeſque pœna talionis compenſantor: niſi neceſſitas inculpatæ tutelæ, facinus eleuet, quam reus criminis probare cogebatur duello, aut aquæ, ignitique ferri purgatione; quæ vulgaris erat, & dicebatur: quia tunc exiſtimabant Deum iuſtiſſimum Iudicem non permittere vt inſontes ea ſorte punirentur, ſuccumbentes. In ceteris delictis, quæ numis mulctabantur, iuſſit vt Bailiui, aliiq; Comitis vicarij exorbitantes duplum præſtarent. Neque minoris in

exe-

exequendis, quàm conſtituendis legibus erat promptitudinis. Nam in quoſdam nobiles, mercatorum exterorum ſpoliatores, ſuamet opera manibuſque in prætorio VVinedalio vindicaſſe perhibetur: & Petrum Orſcampi dominum, ob duos boues pauperculæ viduæ reclamanti abductos, in feruentem in foro Brugenſi tinctoris lebetem (falſo monetario puniendo deſtinatum) præcipitari iuſſit, ocreatum, petaſatum, gladiatum, eoque habitu quo ad Principem ſubitò euocatus aduenerat, interrogatuſque,& crimen faſſus fuerat. Per oppida vicoſque circumuectus, cauſas cognouit, conſtanter ius dixit, iuridicos legit, magiſtratus largitionē corruptos, caſtigauit. Exiſtimabat enim Principem iuris dicundi exercitio, legibus, iuſtitiæque aſſueſcere, ſubditos meliùs noſſe, illis innoteſcere, æquumque eſſe, vt qualem à ſuis obedientiam, non ſocordem, non vicariam, expectabat; talem ſe illis iudicem præberet. Obſequio armiſque fidus, in Ludouicum Craſſum Gall. Regem, ab omnibus penè proceribus per Angli artes deſtitutum, illinc occaſionem mortis adeptus fuit: quum Anglos (quibus etiam priuatim ſucceſebat, ob tributum à Rege Gulielmo Notho, Flandris perpetuò promiſſum, à filio Henrico denegatum) in Normania oppugnaret, ſcuto ipſius; impellente fortuitò quodam milite; fronti eius grauiter impacto, cerebrumque lenta, neglectaque initio ægritudine corrumpente, membrorumque paralyſi accedente, nono demum menſe, terris eripiente, ad annum 1119. Nihil autem liberorum, ex Agnete, (Alani Nanetum ſiue Britanniæ Comitis filia) ſuſcepit. A qua, iuſſu Paſchalis ſecundi Papæ, diuerterat, ob vinculum cognationis, quintum licet gradum excedentis. Moriturus, Rouſſelaræ, Carolum Amitinum, apud ſe patremque enutritum (mater enim

enim, Danorum, qui virum occiderant, atrocitatem verita, infantem in Flandriá aduexerat) proximum hæredem nuncupauit: in Bertini, ante aram S. Crucis marmoreo monumento, ad annum imperij nonum ſepultus, atram veſtem Benedictinam amictus, quam moribundus induerat. Fuit celebri fama in Deum religionis, fidei in patriam, amoris in ſubditos, iuſtitiæ in omnes. Suoque exemplo oſtendit, aptè ab Homero à iure dicundo diſtribuendoque, Reges δικασπόλους denominari: & magiſtratum prudenter vocari legem animatam: Iuſtitiæque effigiem appoſitè depingi cum enſe, æquata bilance, & abſque oculis: eiuſque rigorem ſæpè vſu ſalubriorem eſſe, quàm indulgentiam. Sic Iulius Cæſar laborioſiſſimè ac ſeueriſſimè ius dicebat, & Augusti tam aſſidua erat ea in re diligentia, vt in noctem nonnunquam perduraret, lectica etiam pro tribunali poſita, ſi corpore parum valeret. Et Galba, Traianus, Hadrianus, Antonini duo, aliique permulti Principes, ſedere ipſi iudices, & litigantes attentè audire non erubuerunt.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Henricus *Callonus*, ob ſupplicium propter ſpoliatos mercatores, ad nundinas Thorhouti veniẽtes: Balduinus *Ghentanus*, ob Meldæ pagum vaſtatum: Seruatius *Pratanus*, ob præcipuam inter nobiles auctoritatem in ſancienda Ypræ pace Flandriæ, quam Herilem vocant.

CARO-

CAROLVS PRIMVS, PIVS.

CAROLO Robertus Friſius Flandriæ Comes, ex Adela auus, Canutus Daniæ Rex, qui à plebe ob imperatas in vſum Sacerdotij decumas cęſus, poſituſq; in diuis à Papa fuit, pater erat, Flandriam conſecuto, ſanguinis propinquitate, & patruelis teſtamento: quamuis Clementia Flandriæ vſufructuaria propenderet in Gulielmum ab Ypra (ſic enim ſeſe nuncupat in literis donationis, cœnobio Loenſi collatæ anno 1168. ſignatis Cantuariæ, vti erat Comes Cantianus) genitum Philippo, Roberti Hieroſolymitani, cui Clementia nupſerat, fratre, Ypræ Burggrauio, Loæq; dynaſta, matre impari: quam, vt conſcientiæ ſuæ, filiique natalibus conſuleret, Philippus coniugio ſuo cohoneſtauit: quod veriſimilius videtur, quàm Gulielmum fuiſſe illegitimè natum, vt multi opinantur: Nam in archiuis Loënſis cœnobij Carolus Pius, de quo hîc tractatur, diplomatis ſuis anno 1179. datis, Gulielmũ hunc nuſquam nothum, licet aduerſarium ſuũ, ſed apertè Philippi filium, ſuum nepotem nominat. Neque credibile eſt, Gulielmum tam impudenter auſurum fuiſſe cum Principibus nobiliſſimis proximiſque, de Flandriæ Principatu coram Rege in iudicio contendere, ſi fuiſſet extra coniugium natus: Nothos enim à virorum hæreditatibus vbique lege excludi palàm eſt. Neque Clementia haud dubiè nobiliſſima, neptem ſuam illegitimè progenito conciliaſſet, tanto ardore, vt hanc ob cauſam, Gotfridi Louanij Comitis coniugio ſeſe addixiſſe exiſtimetur, & Hannonię, Boloniæ, Sanpauli, Heſdiniq; regulos & alios proceres in Carolum concitaret: quos tamen omnes vt pacem expeterent, ille coëgit: Heſdiniumque, terris & ditione confiſcatis, & Clementiam maxima vſuſfructus

fructus parte abiudicata, caſtigauit: Guilielmi Ypréſis, quem Carolus non gradu, ſed ætate in ſucceſſione anteiuit, odio & incurſionibus diuturnioribus, donati Comitatu Cantij, à Stephano Angliæ Rege, ob fidem atque fortitudinem, qua illum captiuum libertati regnoque reſtituit, Roberto Gloceſtrio, hoſtium duce, in pugna intercepto, & ſtatura antecellentis, captique oculis in ſenecta, & Loæ demum in cœnobio (cui inprimis munificus fuit) expirantis: poſtquam Anglia prohibitus ab Henrico Stephani ſucceſſore, & Theoderico Flandriæ Comiti erat reconciliatus. cuius filius trimulus, à patre in conſtantis amicitiæ vadem Theoderico traditus, nefario cuſtodum ſcelere excæcatus, extinctuſque fuit. Feritatem Flandrorum maritimorum Carolus coërcuit, arcuum ſagittarumque vſu interdicto: Blaſphemis, aut temere per nomen Dei iurantibus, ſortilegis, ariolis, necromanticis acer caſtigator: moribus adeò temperatis, vt neque hilaritati ſeueritas, neque facilitati grauitas, neque ciuilitati dignitas quicquam detraheret. Cœnam eius tres Theologiæ Doctores, Biblicæ ſcripturę lectione, ſemper condiebant atque finiebant. Porrò quum exitialis hominibus brutiſq; hyems frumenta, aliaſq; fruges radicitus exediſſet, & ex agrorum ſterilitate, duriſſima in Flandria fames ingruiſſet, cereuiſiam confici, caneſq; ali prohibuit: tantaque in egenos comitate ac liberalitate fuit, vt *Parens plebis* vocaretur, & in cœnaculo ſuo tredecim inopes non viliùs quàm domeſticos ſuos nobiles indies aluerit, vt paupertatis imagine quotidie ante oculos poſita, fortunæ moderari, Chriſtiq; & Apoſtolorũ meminiſſe inſueſceret, & Ypræ intra vnum diem ſeptem milia & octingentos panes, præter numos atq; veſtes inopibus diſtribuerit; ac Brugę Stratiis, familiæ nobili potentique, imperarit, vt ex co-

pioſo frumento in ipſorum horreis inuento (quòd multorum antiſtitū decimas in aliquot annos redemiſſent) ſtato per eum precio, egenis metirentur; atque vt Bochardus Stratius de vi rapinaq; atroci conuictus, prædæ reſtitutione, ædiumq; ſuarum demolitione mulctaretur, quum vltimum ſuppliciū promeruiſſet: ad hæc vt mulier eiuſdem gentis, apud Flandriæ Pares ſe ſtatus ſeruilis, cuius arguebatur, nota purgaret. Quę, licet æquiſſima, in tantum furorem Stratiam progeniem ſuperbam impulerunt, vt Bertulpho Stratio Præpoſito Donatiani, Flandriæq; Cancellario auctore (quia à Carolo ſub prandij tempus in triclinium vocatus, ab eo reprehenſus auaritiæ, neque vnà cum aliis inuitatis accumbere iuſſus erat) in caput Principis coniurarit: eò audaciùs, quòd homini Dano, luxuiq; & arrogantiæ nobilitatis minus accepto, nullum vindicem expectaret: licet ſceleſtæ cædis in Principem vltor eſſe ſoleat, quiſquis ſucceſſit, munimento in poſterum, in præſens vltione. Itaque Carolus ſecundo Martij die (qui Mercurij, Cineraliumq; erat anno 1126.) quū egenos quinque ex more quotidiano veſtiiſſet, annoſq; octo ſine liberis ex Reynoldi Comitis Clermontij filia, imperaſſet, in Donatiani Brugæ ſuperiorem templi partem manè abſque comitatu palatino ad rē diuinam introiuit, cilicium ſub linteo induſio aſtrictus, pedibuſq; nudis, quos prolixa toga contegebat, quod illi frequens. Ibi religiosè in pauimentum procumbentem, orantemq; clara vt ſolebat, voce, Pſalmum 50. Dauidis, miſericordiam veniamque homicidij cum adulterio coniuncti, obſecrantis, Bochardus Stratius in mendici habitum diſſimulatus, percuſſit in caput tanta vi, vt cerebro in terram effuſo, occiderit; brachium eius, mendicanti feminæ extentum, ferè abſciderit, regiam eius diripuerit, eius domeſticos ali-
quot

quot primarios interfecerit, turrimq́; & loca editiora templi Donatiani cum ſociis occuparit,ac munierit. Cuncti autem annales noſtri aſſerunt, Regerium Tolenarum, membris per octennium contractum, quum cæſi Principis corpori admoueretur,ſubitò ſanum validumq́; in pedes ſubſiliiſſe,tanta admiratione gaudioq́; circumſtantium, vt certatim ex crinibus,vnguibus,veſtibuſq́; Caroli,in domeſtica veluti ſacra deſumerent, corpusq́; exanime, & ante aram maximam reuerenter poſitum, effuse oſcularentur, & in foro ad Chriſtophori honorificè altero die ſepelirent: donec poſt ſexaginta dies ſuaue olens, vulneribuſq;quaſi recentibus,ad Donatiani,magna frequentia reuerentiaq́; reduceretur, inq́; ſacrarũ templi veſtium apodyterio conderetur. Admonitus vt ab inſidiis caueret,fertur reſpondiſſe: Difficile eſſe vbique cauere: Nihil eſſe tam firmum,cui periculũ non ſit etiam ab inualido: vitæq́; alienæ dominum eſſe, quiſquis ſuam contempſerit. Se,Deo protegente,ſecurè acturum: aut ſi pro iuſtitia & veritate occũbendum ſit, ea morte gauiſurum. Tam horrendam indignamq́;Principis cædem Flandriæ nobilitas non minùs quàm Ludouicus Craſſus Gall. Rex, & Guilielmus Yprenſis ex Anglia reuerſus, diligentiſſimè vlti ſunt. Bochardus parricida ex turri Donatiani ad eum locum,qui Mauberti dicitur, atque Bruga clàm elapſus, indaganſq́; fruſtra incolumitatem, in Brabantiam per Scaldim tranſmittere conatus eſt. At vbi lembum tam immotum ſiſti vidit,vt nulla arte,nulla vi in aduerſam ripã poſſet incitari, diuina Nemeſi attonitus, ad auũculos Robaiſos, Lilam retro vertit: à quibus vrbis præfecto in ſupplicium traditus, periit,membris fractus,rotæq́; viuus inſertus, in eaq́; ab hora ante meridiem, noſtro calculo, nona in veſperum vſque diei inſequentis, flagitium ſuum exe-

cratus eſt: Deum aſſiduè ſceleris veniam precabundus: quam pœnitentiam patientiamq; Lambertus eius pater imitatus eſt, Brugæ crura brachiaq; contuſus, ſpiculiſq; ferreis ignitis in eorum fiſtulas immiſſis, furcæque poſt appenſus. Et Bertulphus Cancellarius apud Alardum neptis ſuæ virum, Waeſtenæ dynaſtam, illic deprehenſus, & vi abreptus per Gulielmum Iprenſem, Ypræ virgis cæſus, fuſtibus maceratus, obuiiſq; in via excrementis fœdatus, patibulo affixus eſt; iuxtaq; eum Guydus Steenuordius, duello priùs, velut ęquo iudice, ſuperatus, ad quod accuſatorem, virum nobilem, prouocarat. Iſacius Reninganus ex turri Donatiana profugus, in furcam Ariæ datus eſt. Gulielmus Weruycanus in Germania captus, longiſq; cruciatibus Argentinæ confectus eſt: vxor eius Tornaci viuens defoſſa eſt: neque ceteri ſcelerati reſtim pœnaſque meritas euitarunt, inter quos viginti octo è faſtigio turris Donatiani præcipitati, & pòſt in ignominiam laqueis ſuſpenſi ſunt, ſuperûm ira euidenti antea perturbati, quod ſalſamenta, omniſq; commeatus, ad longam obſidionem perferendam paulo antè illata, tetrum de ſubito odorem exſpiraſſent. Illorum omnium & conſciorum ædes dirutæ, reſtitutione interdicta; agri poſſeſſioneſque exauguratæ, perpetuiſque frumenti tributis damnatæ; progenies Stratia ad Donatiani in Burgo fores, quotannis adhuc, ſexto Nonas Martias per Cornicinem execrata: Principis verò cunctos pietate ſublimique corpore antecedentis, memoria eſt conſecrata. Hîc mihi vide, tũ eximiam in pauperes liberalitatem, tum in Deum pietatem, in ſubditos ęquabilitatem, non fuiſſe defendendæ incolumitati, aut huius viri, aut eius patris, aut Gulielmi Burgundiæ Comitis, ſub idem tempus à ſuis in templo occiſi, aut Dûffi, Donaldiq; laudatorum Scotiæ regum, à ſubditis

iniuſtè

iniuſtè peremptorũ; ſed in parem cum tyrannis ſortem incidiſſe: quorum pauci ad generum Cereris, vt ait ille, ſicca morte, & ſine cæde, vulnereq́; deſcendunt. Verùm apud Deum, iuſtorum ac improborum (quamuis idem corporis exitium ſit, arcano ignotoq́ue nobis fine) diuerſa merces eſt: quemadmodum ante omnes genitorum Caini & Abelis, aliorumq́ue euentus edocent: poſteritatisq́; memoria, illos deſideratos laude perpetua; hos dilaceratos proſequitur ignominia ſempiterna.

Sub eo commemorantur Nobiles viri hiſce gentilitiis cognomentis, Bertulphus *Stratius*, cum fratribus nepotibuſq́;, Gulielmus *Weruycanus*, Engueranus *Eſenenſis*, Guydus *Steenuordius*, Iſacius *Renniganus*, ob coniurationem parricidij in Principem. Themardus *Burburgius* cum filiis, Galterus *Locrius*, ob necem, cauſa fidelitatis eximiæ in Principem perlatam. Guilielmus *Flandrius Yprenſis*, Balduinus *Ghentanus*, Daniel *Dendermondius*, Seruatius *Praetanus*, Galterus *Lilerſius*, Reynoldus *Walnus*, Theodericus *Dixmudanus*, Richardus *Berſtanus*, Hellinus *Bochautanus*, àliiq́; quinquaginta, equeſtris ordinis, in annalibus ſingulatim non expreſſi, ob Principis cædem diligenter atrociterq́; vindicatam.

GVLIELMVS NORMANVS

GVLIELMO, Mathildis, Balduino Lilano Flandriæ Principe nata, auia fuit; auuſq́ue Gulielmus Nothus, ex Normaniæ Duce in Regem Angliæ prouectus. Cuius filius natu maximus Robertus perduellis, in acie patrem equo deiecet, brachiumq́; transfixit, quum patrem eſſe ignoraret; cui ex voce agnito ſupplex, veniam, Normaniamq́; (quæ diſſidij cauſa fuerat) impetrauit: ſed in regnum Angliæ patri ſuccedere nunquã potuit, per

minores natu fratres, quum peregrè abeſſet, bis interceptum, ad vltimum, quũ infeliciter bellum pro regno contra Henricum Regem minimũ natu germanum renouaſſet, apud hunc captus, ipſaque Normania exutus, interiit: vir bello & pace præſtantiſſimus, niſi afflicti patris manifeſta vltrix Nemeſis, eum fuiſſet perſecuta. Ex quo genitus Guilielmus, de quo hîc agimus, per eandem patrui inclementiam, paternis auitiſq; bonis exutus, à Ludouico Craſſo Gall. rege, poſt dierum viginti duorum interregnum, Flandriæ imperio fuit inculcatus, perque vrbes Flandriæ primarias, regis copiis præſentiaq; inaugurandi cauſa circumductus: quamuis illum Balduinus Hannoniæ Comes, Theodericus Alſatiæ Lanſgrauius, Guilielmus Iprenſis, Arnulphus Danus, atque Henricus patruus Angliæ Rex, ſanguinis propinquitate antecederent, Atrebatiq; à Rege Galliç, ius ſibi reddi fruſtra poſtularent. Nam Guilielmum, Mathildis (quæ Caroli matertera magna fuerat) nepotem, Alſatius Gertrude Caroli matertera genitus, & Hannonius Montano Flandriæ Principe, Mathildis fratre, recta virilique ſerie oriundus, atque Anglus, Mathildis filius, gradu, more, iure anteibant. Ceteros tamen Arnulphus ex ſorore Caroli natus præceſſiſſet, niſi & Danicum omne nomen Francis inuiſum, & Normanus ob calamitatem, Ioannamque Andegauiam ſponſam, Reginæ ſororem, gratia apud Regem præualuiſſet. Sic ille poſſeſſionem Flandriæ adiit, auctore quidem iudice Gall. Rege (cuius ſummum erat in huiuſmodi controuerſiis arbitrium) ſed iuſtitiam affectibus poſthabente: eamq; retinuiſſet (tanta erat Flandrorum in regem obſeruantia) in Guilielmum patrimonio ampliſſimo exutum commiſeratio, in publicam tranquillitatem propenſio, niſi ille Flandriæ Principatum iniquè adeptus, improbiùs rexiſ-

ſet,

ſet, noua inauditaq; vectigalia indixiſſet, plebem nimium emũgendo, ſanguinem expreſſiſſet: magiſtratus quæſtui habuiſſet, militum ſuorum rapinas ſtupraq; condonaſſet, aut diſſimulaſſet: quorum flagitiorum damna ad multos, indignatio ad plurimos, exemplum propè ad omnes pertinebat. Hiſce autem extorſionibus præcipuam occaſionem dedit, illius auiditas ad Normaniam paternam, milite bene ſtipendiato, recuperandam: putabat enim ſtrenuos milites breui torpeſcere, niſi numis, velut numinis fotu quodam & calore adhibito, excitentur, ac, vt homines abſque neruis nequeũt ambulare, ita nec bellum progredi citra pecuniam putabat: at ignorabat vim ac metum eſſe malum cuſtodem diuturnitatis. Illam iniuſtitiam auaritiamq; ſeptem inprimis ciuitates, Atrebates, Gandenſes, Brugenſes, Iprenſes, Santodomarenſes, Lilani ac Duaceni in vnum corpus, homagiumq; Regi Franciæ debitum tunc compacti vniuerſim, & conſilia, auxiliaq; pro more conferentes, eiiciendam ſuſceperunt; & Theodericum Alſatium (Guilielmus Iprenſis, Ipræ captus à Normano, ius ſuum abdicarat) poſt Arnulphũ Danum, qui Santomeri per Normanum obſeſſus, quod à ciuibus deſtitueretur, iure ſuo & Flandria in Daniam deceſſit, legitimum Flandriæ hæredem euocarunt, portaſq; Guilielmo clauſere quòd dicerent ſibi vero & æquo Principe, non expilatore opus eſſe. at ille indignabundus, quũ Alſatium priùs fugere circa Axpoelam coactum, Aloſti obſediſſet, ex oppido in humerum balliſta ictus eſt. Et ex vulnere malè curato, quintum poſt diem extinctus anno 1128. odio populari pœnam, Alſatio Flandriam, patruo ſecuram Angliæ Normanniæq; poſſeſſionem dedit: altero Flandrici dominij anno, in Bertini apud Balduinũ Securiculam ſepulcrum conſecutus. Effigiem euẽtumq;

in ſe manifeſtans trium præcipuarum tyranni, cui obſequium non debeatur, notarum, quas Bartolus prodit: quum puta quiſpiã, iure tituloq; iniquo, principatum inuadit: quum diſſidijs ciues diſtrahit: cùm in eorum corpora, fortunaſque ſæuit. Sed Adraſtia, *Antecedentem ſceleſtum ſubſequitur pede cita claudo*: quemadmodum in veterum hiſtoriis ſpectare eſt, Achæum Lydiorum, Phalaridem Siculorum, Alceten Epirotarum, Heliogabalum Romanorum, Andronicum Byzantinorum tyrannos, lymphati populi furia periiſſe: neque perperam à Comicorum comiſſimo, hæc ſententia pronunciata eſt: *Errat longè, mea quidem ſententia, Qui imperium credit ſtabilius eſſe, Vi quod fit, quàm quod amicitia adiungitur.*

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Alardus *Waeſtenius*, ob præbitum refugium Bertulpho Stratio perduelli: Hermanus *Diſertinus*, ob victoriam in duello, Reningæ, contra Guydum Steenvordium, coniurationis in Carolum Principem, ab ipſo accuſatum: Ioannes *Haueskercanus*, ob præfecturam Ypræ: Daniel *Dendermondius*, ob captum Ypræ Guilielmum Iprenſem, Flandriæ Principatum ſibi arrogantem: Balduinus *Ghentanus*, ob religionem, mundiq; contemptum.

THEODERICVS ALSATIVS.

THEODERICVS Alſatiæ ſuperioris Lanſgrauio Theoderico, & Gertrude Roberti Friſij Flandriæ Comitis filia natus, ſummo cunctorum ordinum aſſenſu, principatum adeptus eſt, in alloquio blandus, in negotio iuſtus, in imperio moderatus. Porrò Alſatia regio Tranſrhenana, ab Alſa fluuio irrigata, tamque fertilis, vt quidam denominatam opinentur, ceu *Al Sat*, hoc eſt, Omnino ſaturam, in Lanſgrauiatum euecta

ſub

ſub Othone tertio Imperatore, Wormacienſium, & Kiburgenſium caſtrenſe peculium fuit; donec tandem partim ſucceſſione, partim dotalitiis pactis, Superior ad Rudolphum Cæſarem peruenit: Inferior per Comitem Otingenſem Epiſcopo Argentinenſi vendita fuit. Socerum Fulconem, Andegaui paterni Principem Regemq́; Solymorum, per vxorem Meliſcendam Balduini Regis filiam hæredemq́;, ac eius ſucceſſores Balduinum & Almericum, contra Mahumediorum, præſertim Ægyptiorum potentiam, rerum ſuarum ſatagentes, quater in Syriam profectus, impensè iuuit: eò procliuiùs, quòd in tali bello res aduerſæ reprehenſione careant, ſecundæ inuidia. Tam egregia autem virtute & auctoritate illic emicuit, vt Damaſci obſeſſæ regnum Franci, Germani, Itali ipſi deſtinarent, niſi quorumdam æmulatio obſtitiſſet. Ex Hieroſolyma portiunculã cruoris, ab exanimi corpore Chriſti, priuſquam ſepeliretur, vt annales volunt, abſterſi, atque conſeruati, in phiola criſtallina per Leoniũ Abbam Bertinicũ deportatam, Brugæ in Baſilij, ad annum 1150. collocauit: quæ ſingulis annis tertio Maij die ingenti pompa ibi circunfertur. Leges confirmauit, quibus homicidia & vulnera talione; latrocinia furtaq́; nocturna, à tota vicinia plectebantur, pecunia mulctato, qui perſequi recuſaſſet, quæ etiam Pax Flandriæ dicebatur. Arcem Teruanę ab Arnulpho auoxo, hoc eſt, vrbis primate, aduerſus ſacerdotij libertatem exſtructam, funditus diruit: vrbem ditionemq́; Teneramondanam Flandriæ adiunxit. Ciuiles inteſtinaſq́ue Brugenſium & Feurnenſium diſcordias ſopiuit. Ab Eugenio tertio Papa, vt Tornacenſibus viciniſq́; peculiaris redderetur Epiſcopus (à Nouiodunenſi ſeparatus) per Bernardũ Clareuallis Abbatem impetrauit; qui in Flandria magno cum fructu verſatus, poſtea indigitatus

 fuit.

fuit. Henrici ſecundi Angliæ regis coronationi magno apparatu interfuit, propter vxorem, quæ erat regis amita. Peractis Flandriæ feliciter adminiſtratæ quadraginta annis, Greuelingæ, quam condidit, exſpirauit, ætatis anno 69. in cœnobio Ægidiano Watenenſi ſepultus ad annum 1169. relictis liberis ex priori vxore, Caroli Pij vidua, filia Laurentia, ter quaterve nupta, ſed nullo ex marito matre, quàm ex Ywano Comite Aloſtano, cuius poſteritas breui interiit: progenitiſq; ex Sibylla (Fulcone Solymorum rege nata) & in vrbe ſancta, decedente celebri abſtinentia pietateq;, Balduino qui Bergæ adoleſcens interiit: Philippo, qui ſucceſſit: Mathæo, per vxorem Stephani Angliæ regis filiam, è monaſterio Rumeſienſi eductam, Henrici Angliæ regis ſuaſu, Boloniæ Moritoniiq; Comite, qui duarum ex ea filiarum pater ad Dringurtium in Normania obſeſſum caſtellum, ſagitta ictus, periit: Gerardo Præpoſito Donatiani Flandriæ Cancellario, & Petro, qui epiſcopatu Cameracenſi, ad quem electus erat, Philippi fratris inſtinctu, vt ſobolem excitaret, abdicato; Niuernij dominam duxit, interiitq; abſque liberis, nõ abſque veneni ſuſpicione. Ex filiabus natu maiorem Margaritam Balduinus quartus Hannoniæ Comes, quingentorum florenorum (vide eius temporis aut inopiam pecuniæ, aut moderationem) annui prouentus dote: alteram Mõtis Argij regulus in matrimonium aſſumpſerunt. Porrò in Theoderico, quem vulgò Deuchdricum, aut Dietricum, hoc eſt, virtutis, vel incrementi diuitẽ vocamus, perſpicis cum nomine ipſo congruentem morum ſymphoniam: illumq; ad Hieroſolymitanam expeditionem ſeipſum vireſque ſuas quater contuliſſe, ceterisque Principibus, religionis contra Turcos defendendę immortale exemplum reliquiſſe. Ad hæc miraris dotẽ filiæ natu maximæ

ximæ tam potentis Principis, tam accifam eſſe; Sed illa exilitas non abhorret vel à lege Dei, dotē taxantis quinquaginta ſiclis, hoc eſt, quadraginta libris Turonēſibus, vt Bodinus explicat: vel à decreto Lycurgi, vt filiæ abſque dote nubant, ſtatuentis: vel à veterum Germanorum moribus, vbi, inquit Tacitus, dotem non vxor marito, ſed vxori maritus adferebat; vel à prudentia Venetorum, vt filiarum patriciarum dos non ſit ſexies mille ducatis luculentior, teſte Poſtello, conſtituentium.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Gilbertus *Berganus*, Gulielmus *Santomerius*, Michaël *Caſſelanus*, Henricus *Burburgius*, Anſelmus *Ypranus*, Robertus *Lilanus*, Rudolphus *Bruganus*, Arnulphus *Guineſius*, Hugo *Rauerſbergius*, Balduinus *Botellus*, Chriſtianus *Straſelius*. Balduinus *Bellanus*, Guydus *Nelus*, Euſtatius *Steenvordius*, Balduinus *Reninganus*, Balduinus *Liderſelius*, ob pacificationem Teruanæ factionum ſubſignatam. Robertus *Lyquis*, ob mundi contemptum, conditumq; Lyquis cœnobium. Gerardus *Coneſtabilis*, ob fundationem Abbatiæ D. Cornelij Niniuenſis. Raſo ſiue Eraſmus *Gauerus*, ob fortitudinem. Ywanus *Dronghenius*, Guilielmus *Bonlarus*. Iſaacus *Formoſelius*, Henricus *Burburgius*, Lambertus *Reningelſtus*; Wolcgrauus *Lamperneſſius*, ob teſtimonium exhibitum tabulis Principis confirmantis maiorum ſuorum, & prædeceſſorum donationes factas cœnobio Loano.

PHILIP-

PHILIPPVS PRIMVS, ALSATIVS.

PHILIPPVS, quem annales Gallici ſummum Ducem nominant, communicatum priùs à patre imperium ſtrenuè geſſit: Ditionum amplitudine maiores ſuos anteceſſit: Viromandiæ enim, Valeſij, Ambianiq; principatum per vxorem poſſedit. Florentium tertium Hollandiç Comitem captum dimiſit per tranſactionem; eique contrauenientem, terra Waſia, quam in clientela Flandriæ poſſidebat, ex pacto mulctauit, Flandriæque perpetuò annexuit, non minùs quàm Aloſti opulentum comitatum, poſt mortem Theoderici, ex Laurentia Philippi ſorore nati, & abſque liberis defuncti: Cæſariq; Friderico primo eo nomine fidem præſtitit; eiuſq; auſpiciis Cameraco imperauit: à quo etiã mercatoribus Flandris ad Rhenum, & in Germania negociandi, pannoſq; ſuos vendendi luculentam libertatem impetrauit: Filiũ eius Henricum ſextum ad Pontificiam conſecrationem, pulcro apparatu Romam proſecutus: Delatum ſibi vt Aloſtano Comiti, & Imperij Principi totius epiſcopatus Cameraceni patrocinium ad annũ 1189. ab Epiſcopo collegioque recepit, cum annuo honorario *Gauenæ*, quæ ius cõplectitur quotannis poſt meſſem in Cambreſiſo exigendi à ſingulis aratris duos modios frumenti, dimidiatumq; auenæ: atque mencaldam frumenti auenæq; à ſingulis mechanicis terram non ſerentibus. Vocant autem Iuriſcõſulti Duce Alnarotto Cauenam ſeu Gauenam, Cellam vbi annona aſſeruatur, & Feudum de Gauena, erogationem annuam frumenti, vini, alteriúſve annonæ, quæ militi tribuitur. Verùm quum ſupra modũ in Philippum (cui agnomẽ Conquirenti, aut vt illi P. Æmilius abblandi-

blanditur, Auguſto fuit) propenderet, cui die luſtrico baptiſmi, patre eius iubente, nomen ſuum indiderat, tutelam geſſerat, pro quo ad duellum, à Richardo primo Angliæ Rege prouocato, corpus ſuum animosè obtulerat, Iſabellam, ſororis ſuæ & Balduini quarti Hannonij filiam in vxorem conciliauit, per quam Franci, ſanguinē Caroli Magni ad reges ſuos rediiſſe iactitabant, tamq́ue profusè dotauit, vt grauiſſimum patriæ vulnus inflixerit: ingenti Flandriæ parte, quæ Occidentem verſus trás aggerem nouum extenditur, & Arteſia dicitur, in dotem eius anno 1179. addicta, à morte donatoris poſſidenda. Quam patrimonij diuulſionem, his illius verbis: *Euacuate mihi domum*, quæ poſt tertium natiuitatis diem exclamaſſe fertur, ſignificatam opinamur: quamuis annales prodigium illud loquelæ illi aſſcribentes, quibus veri periculum relinquo, magnitudinem eius illis verbis pręſagitam eſſe exiſtiment. Illa enim donatione longum inter Francos Flandroſq; rixarum & bellorum ſeminariū excitauit, Flandriam deartuauit, ab eaq́ue propenſionem, & ſocietatem Arteſiæ, & ceu vallum ſcutumq́ue contra Francos, præſecuit. Primus antiqua Flandriæ inſignia atri Leonis ſigno commutauit. Quum cognatos Solymorum Reges bis adiiſſet, in obſidione Acræ Ptolemaidis, cū multis Epiſcopis proceribuſq́ue, peſte abſumptus anno 1191. ibidemq; in ſuburbio, & cœmiterio D. Nicolai tumulatus eſt, donec ab vxore ad Claræuallis, Burgundiæ in agro Lingonenſi cœnobium (ob Bernardi ſancti viri, Philippo familiaris, memoriá) tranſmoueretur. Præfuit annos viginti tres, Margarita ſorore hærede nuncupata, quòd fratribus omnibus ſuperſtes, nullos liberos reliquiſſet, neque ex Iſabella Viromandiæ Principe, Rudolpho genita, longoq; & immedicabili morbo implicita; neque ex Mathilde

Alphonſi

Alphonſi primi Portugalliæ regis filia, quæ ſemper Regina vocari cupiebat, minore iure quàm ambitione; quòd fratrem Sanchium haberet, ex eoq́; nepotem Alphonſum ſecundum, in Luſitania regnantes. At Caſſetum, Feurnam, Bergam, Burburgum, Bellam cum Caſtellaniis, ſiluam, arcemq́; Niepenſem, cum Galloflandria, viginti ſeptem annis, ampliſſimo vſufructu poſſedit: iuxta Feurnam via paluſtri (cui foramen Reginę adhuc nomen eſt) lapſo eſſedo, quo vehebatur ſuffocata, apud maritum ſepulta. Et illa quidem exitium ſibi priuatim inuenit. Sed vir eius Philippus, qui patriæ magnitudine ſua diu præluxit, & eius demum viſcera artuſq́; ſecuit (Arteſia aberecunta) in publicũ nocuit, atque documento eſt, cautionem legis Salicæ, Agrariæq́; eſſe neceſſariam: qua prohibitũ eſt, prouincias aut agros qui in reipubl. dominio ſunt, alienari, citra Ordinum aſſenſum: tum quòd reſpublica inſtar pupillorum æſtimanda ſit, & ne præſcribi quidem contra eam poſſit, vt in cenſura Themiſtoclis ac Catonis patuit: tum quòd Principes huiuſmodi diſſipatores, ſibi inutiles; publicè damnoſi ſint. Sic olim Rex Franciæ Carolus Simplex, Lotharingia Henrico primo Cæſari vltro conceſſa, diuturnæ inter Germanos Galloſque diſſenſionis flammas exciuit, procerumque ſuorum, ac populi beneuolentiam amiſit.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis: Henricus *Burburgius*, Robertus *Bethunius*, Guilielmus *Santomertius*, Guydus *Berganus*, Galterus *Locrius*, Balduinus *Paeldincus*, Gerardus *Zomergemius*, Balduinus *Honſchotanus*, Galterus *Beueranus*, Galterus *Ypranus*, Galterus *Vormiſelius*, ob ſubſignationem legum à Principe Nieuportanis fixarum. Raſo *Gauerus*, ob ius dominij in Atham Hanoniæ armis petitum. Abrahamus *Nazarethus*, Godeca-

decanus *Thorhoutius*, Hĕricus *Morſelanus*, ob comitatum Principem in terram ſanctā. Hellinus *Waurinius*, ob mortem in obſidione Ptolemaidis. Theodericus *Deinzanus*, Galterus *Neuelius*, Galterus *Buzetus*, Ægidius *Waeſtenius*, Gerardus *Meenenſis*, Gerardus *Zottingemius*, Iordanus *Reſſegemius*, Ywanus *Liedekercanus*, Balduinus *VVindecanus*, ob comitatum Principem ad Fridericum Cæſarem agentem Maguncię.

MARGARITA PRIMA, BALDVINO QVARTO, HANNONIAE COMITI NVPTA.

MARGARITA Philippi fratris propinquitate atque teſtamento, eius ſexus prima, Flandriā anno centeſimo nonageſimo primo ſupra milleſimum adepta, eiuſque maritus Balduinus quartus Hannoniæ Princeps, recta vterque ſtirpe, à Balduino Lilano Flandriæ Comite oriundi ſunt; illa abneptis, hic atnepos; illa ex Roberto Friſio vſurpatore, hic ex Balduino Mōtano legitimo principe Lilani filiis, eliciens originem procreationis. Sic vt per hoc matrimonium, Flandrię poſſeſſionē extra omne vicium & controuerſiam poſteris tranſmiſerint, ſed limitibus per Galliæ regem generum valde imminutis. Rhemorum & Atrebatium Epiſcopis, Anchinij & Cameronis Abbatibus, arbitris, totāOcciduam vltra nouum aggerē Flandriam in qua eminent Atrebatum, Bapalmę, Santomerum, Aria, Heſdinij, Lileſſi, Lenſſiq́; ditio: Patrocinia Boloniæ, Sanpauli, ac Guineſæ Comitatuum, aliaq́; ſub Arteſiæ nomine comprehenſa, anno 1191. attribuentibus Ludouico D. Regis patri, velut dotem matris, à Philippo primo, Flandriæ Comite conceſſam: quam demū D. Ludouicus anno 1236. in Comitatū erectam, Rober-

Roberto fratri conceſſit. Hinc Gandenſes primas ſibi partes ſuffragiaq; deinceps arrogarunt, legeſque & priuilegia velut extorſerunt, ſed nullo Principis ſigno, nullo tempore, nullo teſte firmata. Quibus in bonorum alienatione, iura retractus ſunt amoliti: Flamines ſuos curiales, alioſq; ſacrorum miniſtros amouendi facultatem arripuere, quum vſus flagitabat: denique vt Comitis ſcita Gandaui, abſque conſilio aſſenſúve ciuium non ſancirentur. Ceterùm Margarita quum annos quatuor ſumma formæ morumq; bonitate Flandris imperaſſet, in arce Malana iuxta Brugam, aliquot ante virum menſibus, ad annum 1194. diem ſupremũ clauſit, in Donatiani Brugæ ad latus Septemtrionale aræ maximæ ſepulta: cuius ſepulcro tabella appenſa, dicit eam cũctas ſui æui mulieres omni bono opere præcelluiſſe. Mater fuit Balduini, qui ſucceſſit in Flandriam Hannoniamq;, & Imperiũ Byzantinum poſſedit: Philippi Namurci Marchionis: Henrici, qui poſt fratrem in Oriente regnauit: Iſabellæ Philippo Conquirenti Galliæ Regi: Yolanthidis Petro Auxerræ Comiti, atque Sybillæ Gerardo Luxenburgio Lignij Barenſis dynaſtæ, per nuptias coniunctarum. Fuit autem inſigni argumento, affinitatem pactionemq; cum ſuperioribus, ſæpiùs optari miriq;, quàm prodeſſe expetenti. Ipſa enim à Gallię Rege (quamuis genero, multiſque beneficiis obſtricto) ingentes iacturas accepit; velut olim, Æſopi teſtimonio, Aſinus & Vulpes ſocietatem Leonis ambientes, vt inde exiſtimationem ac incrementũ acquirerent, illam imperioſam ſenſere damnoſamque. Et exemplo eſt, femineum principatum (quem breuiùs Græci gynecocratiam vocant) neq; ſemper aſpernabilem eſſe, neque nouum. Nam hæc mulier modeſtia, filiiſque Orientis Cæſaribus, & D. Ludouico Rege pronepote venerabilis, Flandriæ poſſeſ-

poſſeſſionem extra vicium, connubio ac fœcunditate ſua collocauit. Et Neapolitani Siculiq; Conſtantiam ac Yolanthidem: Dani, Noruegi, Suecią; Margaritam: Poloni, Hungariq; Heduighem & Mariam: Arragonij Petronellam: Caſtellani Iſabellam: Nauarri Ioannam & Catharinam: Angli Mariam ac Elizabetham in regio ſolio, imperioque conſtituerunt: quibus Anglis ſolitum, ait Tacitus, feminarum ductu bellare: & receptum fuit in Aſia iam inde à Semirami, feminas imperium in viros exercere: quibus ſanctum aliquid prouidumque ineſſe veteres Germani putauerunt.

Sub iis commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Sigerus *Ghentanus*, ob arcē Gandenſem occupatā. Robertus *Waurinius*, ob fidelitatem in Principem, Flandriæq; Seineſcaliam. Theodericus *Beueranus*, ob Beueræ dominatum, Dixmudæ Caſtellaniam, petitamque iure agnationis, & armis, partem Comitatus Aloſtani.

BALDVINVS OCTAVVS, CÆSAR AVGVSTVS CONSTANTINOPOLITANVS.

BALDVINVS Octauus à morte vtriuſque parentis ex Flandriæ Comitibus recta iuſtaque ſerie progeniti, vt iam dictum eſt, Flādris, Hannonibuſq; imperauit. Enimuero quum in eadem parma, Flandriæ, Hannoniæq; inſignia gereret, Flandrorum inductione, paternaq; origine perſuaſus, relictis prorſum Hānoniæ inſignibus, ſolum Flandriæ leonem in ſcutis, vexillis, ſigilloque expreſſit. Namurcum, ex voluntate vltima patris, hoc modo Philippo fratri ceſſit, vt illud ipſe à Cæſare, frater ab ipſo Balduino in clientelam acciperet.

peret. Porrò quum deſignatis in Syriam, terramque ſanctam armis, vnà cum ſociis principibus apud Venetos moraretur, eorum claſſe illuc traiecturus, eúenit vt inopia pecuniæ, atque commeatus, Venetis operam dare cogerentur Iaderæ in Dalmatia obſidendæ. Circumſidentibus autẽ ſuperuenit Alexius adoleſcẽs, Iſaci Angeli Imperatoris Byzantini filius: qui patrui, Alexij Ducæ, ſceleratas manus effugerat: ſuoque exilio, patris obcæcati, & regno per fratrem exuti, miſeria & carcere oſtentatis, lamentabili oratione, multiſque promiſſis impetrauit, vt expeditione Paleſtinæ prætermiſſa, ex Dalmatia in Boſphorum Thracium, qui Peram à Byzantio diuidit, claſſis deduceretur, & Conſtantinopolis obſideretur: Quæ poſt ſexaginta obſidij dies dedita fuit, Alexio Duca cum theſauris aufugiente, Iſacioq; Angelo, quamuis oculis capto, eoque breui defuncto, Alexio eius filio reſtituta. at hoc paucos intra dies, per Alexiũ Murzuphlum eliſis faucibus extincto, vrbs iterũ per ſexaginta octo dies obſidione cincta, victa, direpta, magna ex parte conflagrauit: Murzuphlo ex fuga retracto, exſculptiſq; luminibus, à promiſcua plebe è turri præcipitato, inq; fruſta conciſo. Sic Conſtantinopoli recepta, ſubactaque, nullis liberis ex Iſacio Angelo (præterquã Irene nupta Philippo Cæſari in Germania) ſuperſtitibus; quum inter victores conueniſſet, vt quindecim apolectis eligendi Cæſaris poteſtas foret, omnium ſuffragiis Balduinus Flandriæ Comes, ad annum ducenteſimum ſecundum ſupra milleſimum, Orientis Imperiũ eſt conſecutus: quia auunculus magnus D. Ludouici Regis erat, ceterorumq; potentiſſimus, & res præclarè ibi geſſiſſet. Inter Electores, Bethleemi, Ptolemaidis, Sueſſionum, Tricaſſium Epiſcopi; Montferrati, Bleſij, Sanpauli, & Brengnæ reguli cũ Venetis quinque patriciis eminebant.

Fuit

Fuit à Thoma Mauroceno Veneto, tunc electo ibi Patriarcha, inſignibus auguſtalibus exornatus: Græcam eccleſiam Romanæ ſubiecit: Bonifacium Mõtferrati Marchionem, Theſſalonicæ Regem, & Gotfridũ è Tricaſſium nobilitate, Athenarũ & Achaiæ Ducẽ creauit: Venetis Cretam dedit, cedẽte Montferratenſi: omneſque vrbium aut regionum ditione donatos, panagio iureiurando quartaq́; parte publicorum vectigalium, ærario Cæſaris inferenda, ſibi deuinxit: magnaq́; prudentia & moderatione Imperium adminiſtrauit. Verùm quum Adrianopolim, circiter iter tridui, Byzantio diſſitam, à proceribus Græcis, Latinos, Eccleſiamq́; Romanam exoſis defenſam, oppugnaret; à Bulgaris per Græcos euocatis, tumultuario prælio ad planiciẽ Oreſtiadis victus eſt, ac interceptus, & ad vltimũ, in carcere membratim diſſectus: quòd vxori Ioannis, illorum Principis, matrimonij imperijq́; ſui conſortium, ſi ope eius liberaretur, obtuliſſe, per illam procacem reiectamq́; falsò accuſaretur: anno principatus materni paterniq́; vndecimo, Byzantini ſecundo, nati Chriſti quarto ſupra milleſimum ducenteſimũ. Corpus eius lacerum per feminam Burgundicam, ibi habitantem, collectum eſt, terræque conditum. Qui eius exitus indigniſſimus, ex Ioannæ filiæ legatis, indagandæ veritati illuc miſſis, poſtmodo eſt intellectus: quamuis Baptiſta Egnatius tradiderit, eũ domi ex morbo deceſſiſſe. Sigillo aureo, & hoc titulo vſus eſt, *Balduinus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, à Deo electus.* Poſt illum in Græcia & Oriente rerum potitus eſt Henricus frater, qui à Bulgaris reuertẽtibus, pacem, eorumq́; Principis filiam in vxorem impetrauit, anno Imperij vndecimo, ſine liberis extinctus: rerum ſumma Yolanthidi ſorori relicta, Petroq́; Auxerræ Comiti, eius marito; qui Romam profectus anno re-

 gni

gni quarto, vt à Papa coronaretur, impegit in reditu in Theodorum Laſcarem, Alexij Ducę Imperatoris fugitiui generum. à quo in nemore Theſſaliæ dolo captus fuit, biennali carcere fatigatus, trucidatus: Filio Roberto illi ſuccedente: qui magnum ſibi odium conflauit, erepta cuidam nobili Burgundo ſponſa, virgine Byzantina: at ſponſo tam atrociter contumeliá vlto, vt Auguſtum nihil veritus, ſponſæ aures nareſq́ue deſecuerit, eiuſq́; matrem, raptus auctorem, propinquo æquore ſubmerſerit. Morbo demum in Achaia periit, nono Imperij anno, quum à conſecratione Romana, Conſtantinopolim reuerteretur, progenito Balduino ſecundo. Hic tandem trigeſimo regni anno, Conſtantinopoli per proditionem capta, elapſus, per Eubœam in Italiam, excidit imperio Orientis; ad Græcos redeunte, poſt annos circiter ſexaginta, quàm à Balduino Flandriæ, Hannoniæq́ue Principe fuerat acquiſitum; neque filius Philippus, neque Catharina ex filio neptis, Carolo Valeſij, Andiumq́; Comiti nupta, amiſſum imperium recuperarunt: multis ſanè difficultatibus Flãdros Conſtantinopoli regnantes affligentibus, odio in primis Græcorum in aduenas (quos Latinos vocitabant) Eccleſiamq́ue Romanam, cui ſubdi non aliter quàm mortem horrebant: deinde imperij ditione per Turcos in Aſia, quam ipſi Natoliam, ab ortu ſolis, corrupta voce Anatole, cum Græcis appellant, vehementer arroſa: & Thracia, Græciaq́;, quæ illis Romania dicuntur, quia Conſtantinopolis à reſtauratore, Nea Rome denominata eſt, in varios deſpotas diſtracta, atque Laſcaribus, Comneniſq́;, illis Niceæ, his Trapezontij ſeſe Imperatores dicentibus, Byzantioq́ue ſemper imminentibus: poſtremò Paleologis imperium, per diſſidia Venetorum ac Genuenſium, Balduino ſecundo ereptum, vſurpãtibus: donec ad Tur-

cos

eos horribili clade,anno quinquageſimotertio ſupra milleſimum quadringenteſimum peruenit: à Conſtantino Magno reparatore ac illuſtratore (nato ex Helena)ad Conſtantinum Paleologum, Helenæ filium,vltimũ ex Chriſtianis Cæſarem, annis centum viginti ſupra mille interuenientibus.Filias duas Balduinus Auguſtus reliquit, Ioannam atque Margaritam, ex Maria Henrici Campaniæ Comitis filia, & Philippi Conquirentis Gall. regis nepte, quæ maritum in Syriam præcedens & expectans, morbo illic deceſſit. Erat Balduinus comitate obuius, facundia breui & circumſpecta,iuſtitia incorrupta,ſobrietate, & (quæ illinc naſcitur) ſanitate, inculpata. Viris aliquot literatis,vt Flandriæ Hannoniæq; leges, cõſuetudines, & annales quàm veriſſimè diligentiſſimeq; ſcriptis proderẽt,negocium dedit: quod vtinam tam ſedulò factum eſſet,quàm fuit prudẽter imperatum. Rectè enim Alphonſus ille regum eximius, interrogatus qui eſſent optimi cõſiliarij? Mortui,reſpondit, libros ſcilicet intelligens,taliaque monumenta,quæ nihil blandiendo, nihil celando, meram propinant veritatem. Neque immeritò Fl. Ioſephus cenſet ingens hoc eſſe veritatis prodendæ impedimentum, quod ſingulæ nationes per initia non ſategerunt, res geſtas tradere publicis monumentis:quo remedio & tenebræ ſublatæ, & lubrica mentiendi libido fuiſſet intercepta. Suo autem exemplo Balduinus manifeſtauit,ex Dei (orbis terrarum Domini,ac ęterni proprietarij,non ſecus atque is qui gregi paſtorem eligit, gregis nihilominus dominus permanet) arbitrio,regna eripi transferrique,vt rectè Daniel,aut fato dari, eadem notatione, vt Titus Cæſar, aſſeruerẽ: potentiam verò eſſe rarò ſempiternam, vt auguſta Taciti hiſtoria,aliæque declararunt.Etenim ad Occidẽtem ortus,extremoſque hominum Morinos,ad Orientis

Græciæque imperium electus euectuſque eſt, quum domo proficiſcens, nihil minus cogitaret. At, nondum biennio, rerum potitus, faſtigium illud atque vitam, captiuitate atrocique nece finiuit. Non aliter quàm Licinius Valerianus Imperator, & Baiazetes primus, Turcorum Princeps, ille à Sapore Perſarum Rege, hic à Tamerlane Schyta, pugna ſuperatus, captus, & quaſi canis, collum vinctus, victori equum conſcenſuro tergum atque renes pro ſcamno ſubiicere cogebantur: & reges Iugurtha atque Perſeus in carcere perierunt: Ægyptiq; Sultanus Tomanbaius, à Selymo victus, per ludibrium laqueumque, carnificis manu ſtrangulatus eſt. Quæ nobiliſſima paradigmata, velut in ſcena monſtrant, præclaros imperij, magiſtratuſq; titulos ſæpiùs eſſe fortunæ aſperiùs ſæuituræ inſidioſa blandimenta, quàm vitę præſidia atque ſtabilimenta.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Raſo *Gauerus*, Læuinus *Axelanus*, Winnocus *Honſchotanus*, Iudocus *Meterus*, Ioannes *Dayerus*, Ioannes *Oudenhouius*, ob principem comitatum in expeditione Conſtantinopolis.

IOANNA CONSTANTINOPOLITANA.

IOANNAM impuberem, Flandriæ Hannoniæque Principem, eiuſq; ſororem nihil ex patris imperio Byzátino, præter nomen adeptas; patruus Philippus tutor, Namurci Marchio, ad Regem Galliæ, in gynecæum reginæ, clàm tranſmiſit, hoc efflagitantem, veritumq;, ne Ioanna, patris hæres, à Flandris in Angliá nuptum daretur. Et patruus quidem infidelitatis, venditæque neptis præmium, Mariam regis illius filiam in vxorem, remiſſumq; captiuitatis ſuæ precium conſecutus

tus eſt; ſed Flandriæ Hannoniæque adminiſtratione exactus, dolore contabuit. Ioannam autem ſeptimo pòſt anno Rex ille Ferdinando, Sanchij Portugalliæ regis filio natu minori, ad annum ducenteſimũ vndecimum ſupra milleſimum, Pariſiis nuptum elocauit, Flandriæ Hannoniæque impenſis: huc pellectus blanditiis vxoris ſuæ Hiſpanæ, muneribuſque Mathildis Flandriæ vſufructuariæ, quæ Ferdinandi amita erat, regiſq; Sanchij legationibus. Sanchius verò Ferdinandi pater, nepos erat, ex Alphonſo primo Portugalliæ rege, Henrici, ex Limburgenſi Lotharingiæ Ducum ſtirpe, vt Germani ſcribunt, progeniti: qui ab Alphonſo ſexto regna Legionis, Caſtellæ, magnamq; ceteræ Hiſpaniæ partem obtinente, Portugalliam dotalem & fiduciariam, Comitatus titulo primus accepit, cum filia eius notha Tiraſia. Haſce nuptias nullo Flandriæ aſſenſu conſultoque initas, Flandri ægris, diſcordibuſq; animis tulere, Gandenſes in primis, qui Ferdinandum abſque vxore, Duaci ob morbum ſubſiſtente, ad ſe venientem repulerũt, intercepturi etiam, niſi Curtraco effugiſſet: quòd dicerent feminam ſibi eſſe Principem, Balduini Auguſti ſobolem: proin faceſſeret, aut cum illa veniret, ac ſe eius maritum eſſe doceat: quem poſtea cũ Ioanna accedentem, ſplendidiſſimè coluerunt: quũ priorem contumaciam pecunia luiſſent, vtilemq; triginta nouem virorum magiſtratum perpetuum impetrarunt: qui regionem Tráſſcaldiam, Petram Comitis, Burgi & Pharaildis vicum, Mudamque, à Principe coempta, ciuitatis poteſtati applicuere: Turrim Bellamfortem, quę ſuprema ſui parte duodecim pedes extenſior eſt quàm in inferiore, pontẽ Comitis, aliaq; magnificè exſtruxere. At Ioanna Ferdinandi, quem Galli maximum fuiſſe bello ducem ſcribunt, Bouinienſi prœlio capti, apud Gallos detentione,

 quæ

quæ duodecim annos expleuit, anxia & infelix, eiuſque, poſt liberationem, renum calculo afflicti, ac rerum gerendarum ſemper ſollicita, quum nihil prolium ex eo, præter vnicam breuis æui filiolam, pepeiſſet; quinto ab eius morte anno perſuaſa fuit à D. Rege Ludouico, Flandriæq; Ordinibus, vt Thomæ Sabaudiæ Comitis fratri, reginarum Fráciæ, Angliç, Siciliæ auunculo nuberet. Brugenſibus magiſtratum antea perpetuum in annuum mutauit: Brugẽſi verò caſtellaniæ, à Ioanne Neellæ Gallicę domino coemptæ, perpetuum magiſtratũ confirmauit; atque Caſletanam caſtellaniam, aliorum bonorum (in primis Rubrouci, Lederzelæ, nemoris Gheersbergani, & aliquot centenorum quotannis modiorum fruméti auenæq; permutatione) à Michaële Harneſo, ad annum 1218. acquiſiuit. Bernardum Rainſum Campanum, iuxta Valincenas anachoritam (de quo poſtea latiùs) doli compertum, anno 1225. laqueo mendacium publicè finire iuſſit. Ille enim propter oris ſimilitudinem, Balduinum Cæſarem, Ioannæ patrem ſeſe eſſe tulerat, magnos fauores conciliarat, Ioannam principatus dubiam profugamque reddiderat. Lilanis, Feurnenſibus, Bergẽſibusque colonis, leges, inſtitutaq; (quas Keuras vocant) præſcripſit; Waſiiſq; ſeptem ſcabinorum magiſtratum, vitæ gerentium æqualem. Ab Henrico tertio rege anno 1240. obtinuit, vt mercatoribus Flandris facultas eſſet in toto Angliæ regno negociandi, etiamſi Flandriæ Comites Francis auxiliarentur in Anglos, ex nexu clientelæ, dummodo ſe Anglorum hoſtes, nominatim non profiterentur. Vigeſimo regni anno, ætatis quinquageſimo primo, ante ſecundum virum, ſtrenuũ, Flandriſque gratum, & amplis cum muneribus in Sabaudiam pòſt redeuntẽ anno 1244. naturalem fati conditionẽ impleuit: Markettæ cœnobio; quod ſtruxit dita-

ditauitque; ſepulta iuxta maritum priorem: &, quòd liberis careret, ad Margaritam ſororē ditiones tranſmiſit. Aperto documento, quantas ſæpè turbas excitet eorum dolus qui obſcuro orti loco, ob formæ ſimilitudinem, claris ſe familiis regniſque inſerere conantur. Sic olim Smerdes Perſa, Cambyſis regis fratrem Smerdem, oris lineamentis referens, Cambyſem regno exuit, ipſe demum periit: Andriſcus pſeudophilippus Macedoniam occupauit, non impunitus: Et Germanus quidam ex Heremo, circa Solodurum erepens, ore Henrico quinto ſimilis, turbas conciuit, fraudiſque compertus, in Clunij monaſterium relegatus periit: Hiſpanus quidam, Alphonſo Arragoniæ Regi à Mauris cæſo, facie aliiſque indiciis non abſimilis, tumultum conciuit, multiſque ſe Alphonſum eſſe perſuaſit, ſed à filio hæredeq; Alphōſi, comprehenſus, ſuſpenſuſq; eſt. Et auorum memoria ſub Henrico quarto & ſeptimo Regibus, hiſce ludibriis Anglia affligebatur.

Sub iis commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Galterus *Honſcotanus*, Hembertus *Wulfringanus*, ob ducatum factionis Blauoetinę, aduerſantis Mathildi vſufructuarię. Rogerius *Ghiſtelanus*, Robertus *Bethunius*, Gulielmus *Ypranus*, Herbertus *Feurnanus*, Galterus *Vormſelius*, Anſelmus *Rouſſelarus*, Lambertus *Roſebecanus*, Thomas *Chierus*, Gisbertus *Haueskercanus*, Hugo *Britanus*, ob equeſt. ordinē, & virtutem in prœlio Damenſi contra Gallos. Arnulphus *Gauerus* cum fratribus, Gerardus *Crombecanus*, Philippus *Maldegemius*, ob captiuitatem in pugna Bouinienſi. Arnulphus *Andenardius*, Ægydius *Baruinchoutus*, Rudolphus *Hazebroucanus*, Philippus *Dammius*, ob fortitudinem in bello Brabantino. Balduinus *Nieuportanus*, Guilielmus *Santomerius*, Adamus *Berganus*, Henricus *Bellanus*,

nus, ob legationem à Principe ad Ioannem Angliæ regem. Iudocus *Meterus*, ob Flandriæ adminiſtrationem, detento in Galliis Principe. Balduinus *Pratanus*, ob rem præclarè geſtam in prœlio contra Regem Gall. Philippum Conquirentem. Petrus *Breukus*, Petrus *Gamanſus*, Gobertus *Bondueſus*, Rogerius *Annetierus*, Gerardus *Auelinus*, ob tabulas caſtellaniæ Caſletanæ in Ioannam Principem tráſlatæ, ſubſignatas. Hellinus *VVaurinius*, ob eandem ſubſcriptionem, Flandriæq; Seneſchaliam.

MARGARITA SECVNDA, CONSTANTINOPOLITANA.

MARGARITAE, quæ vidua ad Principatum peruenit, ſorore viuente & aſſentiente bis nuptæ, tam fœcunditas moleſta, quàm ſorori ſterilitas erat iniucunda. Prioris enim coniugij liberi cum iis, qui ex poſteriore erant, cœptas exercitaſque ſuperſtite matre ſimultates atque bella, longiſſimè protraxerunt per hanc occaſionem. Bochardus ortus Iacobo Auenio, vetuſtiſſimæ nobiliſſimæque proſapię ex Ruſſillonis oriundæ, Auenarũ, Condeæ, Guiſæ, Landreſiiq; domino (quẽ annales Gallici Belgarum fortiſſimum in ſacro Syrioq; bello nuncupant) eleganti corpore, doctrina, facundiaque fuit: atque à Philippo Alſatio Flandriæ Principe ſanguine iuncto, educatus, dilectuſque. Verùm vt dignitatibus cõmodiſque eccleſiaſticis abundaret, quũ fratres natu maiores hæreditatem paternam adiiſſent, Aureliani publicè iuris doctor, & clàm hypodiaconus creatus eſt. De hinc ea propenſione immutata, quum militiæ ſeſe addixiſſet, habituque & baltheo cenſuq; equeſtri, à Rege Angliæ Ricardo primo donatus in Flandriam rediiſſet, tantam demũ gratiam, & auctoritatẽ ſibi conciliauit, vt à Balduino octauo

in

in Orientem profecturo, alter filiarum cuſtos, ditionumque adminiſtrator, Philippo eius fratri adiungeretur, Flandriſque poſt Philippi abdicationem, in magno honore eſſet: eoque in munere luculento, dextrè verſatus, regio propè cultu, famulitio, ſplendore vitam egit, vſque adeò, vt poſt Ioannæ nuptias, conciliante Mathilde Flandriæ vſufructuaria, & annuente ſorore Principe, Margaritam, anno duodecimo ſupra milleſimum ducenteſimũ, in vxorem duxerit, accepta propter nuptias donatione, à Galtero fratre (cuius vnica proles Maria, per matrem Bleſenſis comes, Hugoni Chaſtillono, Sanpaulino Comiti enupſit, ſtirpemq; Bleſenſem atque Sanpaulinã propagauit) Eſtroana ditiuncula, & ex ea breui duos filios genuerit. Aſt hypodiaconatu, quem ſpecie equeſtri ſemper obtexerat, innoteſcente, vel mœrore, quod Hannonici annales, vel capitis ſupplicio, quod noſtri aiut, mortẽ eſt conſecutus. Ioannæ enim Principis inſectatione affligebatur, diriſque Innocentij tertij Papæ, qui ſententiam aduerſus eum, in concilio Lateranenſi latam, tota Rhemenſi diœceſi, ſingulis ſeptimanis promulgari iuſſerat, donec nobilem puellam (verba ejus recitabo) Margaretam illuſtriſſimi Imperatoris Conſtantinopolitani filiam, conſanguineam ſuam, fraudulenter abductam, & quocumque modo in matrimonium acceptam, Ioannæ ſorori reſtituat, atque ad ordinem ſuum, quẽ Deum offendendo reliquerat, ſuppliciter reuertatur. Scio commentarios monaſticos, Paulumque Æmilium cum Oudegerſto de hac Auenij & Margaritæ coniunctione turpiùs ſentire: qui Æmilius imperitè, tenuiterque Gulielmum illum pro Bochardo, abſque vllo cognomine familiæ nuncupat, virumque ſanctum, ſacris initiatum, & Margaritæ præceptorem rectoremq; datũ. Verumtamen neque furtiuus concubitus

cubitus partusque duplex, probabilis eſt in tantæ nobilitatis, faſtus, famæq; ante & poſt hanc congreſſionem, integerrimæ, puella, aſſiduoq; in oculis & fauore ſororis, Flandriæque verſanti, ac maritum ex primariis Burgundiæ proceribus pòſt adepta (ſorore adhuc annis florente, rerumque potiente) & deinceps viduitatem, in tanta principatuum licentia, triginta ſex annos inculpatá tranſigente, neque Guilielmus Cæſar, eius filio Ioanni (ſi extra coniugiũ natus fuiſſet) ſororem ſuam, omnemq; opem dediſſet, neque illi Rex Franciæ Hannoniam arbitrio adiudicaſſet: neque Pontificiæ indignationis, quæ diximus verba, in matrimonium acceptam diſſimulant: Deniq; alij ſcriptores aſſeuerant D. Ludouicum Regem, quum apud eum de nuptiarum iure diſceptaretur, ad Innocentium quartum Pontificem Maximum, cauſam reieciſſe. à quo Epiſcopus Catalaunenſis & ſancti ſepulcri Cameracenſis Abbas delegati, Rhemiſq; conuenientes, ad annum quadrageſimum ſextum ſupra milleſimum ducenteſimũ, 19. Nouembris, re comperta iudicarunt, Bochardi Auenij ex Margarita filios eſſe legitimos: quòd ex matrimonio coram eccleſia publicitus, ſolemniterque celebrato, nati eſſent: quam ſententiam & Pontifex ſanxit, & eius iuſſu Nicolaus Epiſcopus Cameracenſis publicauit. Interim mirum non eſt Principis Ioannæ iram, vxoriſque alienationem, in ſe ſuoſque Bochardum prouocaſſe, quòd odioſiſſima illo præſertim æuo, ſacri ordinis diſſimulatione, damnatiſque à Papa nuptiis, tam illuſtrem puellam familiamque decepiſſet, ac dehoneſtaſſet, priorumq; cœtu à Pontifice amotus, omnem iuris officiique ſocietatem amiſiſſet. Ex hoc matrimonio Ioannes magno induſtriæ, animi corporiſque flore (cuius matri rebellantis progenies virilis Hannonibus, Batauis, Friſiiſque imperauit) & Bal-

Balduinus oppidi, agriq; Bellimontis in Hannonia (pòſt deriuati ad nobiliſſimam Croyorum gentem, Arſchotæ Ducum) dominus, enati; inimicitias aduerſus fratres vterinos in poſteros, vt diximus, propagarunt, Ioannes inprimis, aſſidua indignatione, quod matris fauore, Flandriæque hæreditate, per arbitrium D. Ludouici Regis excidiſſet. Quarto ab exceſſu Bochardi anno, Margarita, Gulielmo, ex nobilitate Burgundionum, vt ſcribit Æmilius; procerum Dampierræ, apud Digeonem, & Sandeſiri dynaſtæ nupſit, Guydi filio, atque Beatricis genitæ Archibaldo Barone ditionis Borboniæ, centum poſt annos titulo Ducatus, regiæq; familiæ cognomento illuſtratæ: quum ad Ludouicum Clermontis Comitem, D. Ludouici Regis ex filio Roberto nepotem, anno 1329. peruenit ex materna ſucceſſione. Hoc ex viro, Gulielmum, Guydum qui ſucceſſit, Ioannem (cuius filio Sluuſam Bellamque tribuit) & Mariam Flniſſarum antiſtitē ſuſcepit. Sed Gulielmū (quem Flandriæ Principē deſignarat) à Saracenis Ægyptiis cum D. Ludouico Rege captū, ac demum in decurſionis certaminiſque equeſtris ludo, Traciniis Hannoniæ occiſum, pedibuſq; equorum conculcatum, grauiſſimè luxit: quem in Sicilia peſte interiiſſe quidam aſſerunt per errorem. Guydum Ioannemq; in Zelandia prœlio victos captoſque vix poſt aliquot annos ingentibus iacturis redimere potuit: Ioanni Auenio, filio infeſtiſſimo, ſuperſtes fuit. Quæ latiùs à me narrata ſunt, vt annalium hiſce de rebus vel error, vel ambiguitas inclareſcat. Huic feminę tria elogia ſcriptores attribuunt: quod omnium ſui ſexus graduſq; Principum eſſet nobiliſſima; quod opulentiſſima; quod regio aulæ faſtu ſplendidiſſima, atque ciuiliſſima. Patris Auguſti memoriæ, vigilantiæ ac fortitudinis virilis æmula, Principatus ſuos armata

obequi-

obequitauit ſæpiùs, atque perluſtrauit. Vt Gulichij (quod Iuliacum vocant) & Valkenburgi ſupra Moſam reguli, Flandris negociationem, magna ibi cum immunitate permitterent, anno 1248. procurauit. Monetæ cudendæ officinas, normaſq́; exemplo ex Galliis petito, Gandaui & Aloſti inſtituit, ornauitq́; prærogatiuis: quibus in protectionem Principis monetarij recepti, ſolius monetæ præpoſiti cognitioni ordinariæ obſtringuntur; ſiue in muneris ſui leges commiſerint; ſiue inter ſeſe controuertant: atque ex monetariis, vſu approbatis oriundi, annumq́ue ætatis duodecimum egreſſi, à vectigalibus oneribuſq́ue vrbicis eximuntur: quibus vt Marius Gratidianus, apud Romanos cognoſcendæ numiſmatum improbitatis velut Ariſtarchus exemplo ſit, exoptamus. Bornhemiam ditiunculam ab Hugone Burggrauio Gandenſi ter mille quingentis quindecimq́ue libris Pariſicis, atque Caſtellaniam Cameracenam cũ appendicibus, Creuecuriamq́ue cum Alleuſio, ab Engueranno Couchij domino, viginti librarũ eiuſdem pretij milibus comparauit. Cunctos Flandriæ, eiuſq́; appendicum ſeruos & ancillas, eorumq́; poſteros ſub iuriſdictione Comitis agentes, à quibus morientibus dimidium rerum omnium mobilium (quod Haluchauium dicebatur) ad Comites tranſibat anno 1252. ſuffragante Guydo filio, emancipauit, liberauitq́; ab omnibus ſeruitutibus, plurimiſq́ue, vt ait, angariis, Flandriæ Principi debitis: vt Dei propitiam clementiam, & à ſeruitute peccati liberationẽ (ſic enim loquitur) in ſe prouocaret: eorumq́; vice ſibi ac ſucceſſoribus retinuit à viuentibus viris, tres Gallicos denarios, à feminis vnum annuatim, & à morientibus melius cathallum: quod ipſa interpretatur, non domum, non armentum, ſed pecus pretioſiſſimum domeſticum (optimum caput vulgò dicitur) aut aliud orna-

mentū. Vnde Flandriæ Occiduæ maxima pars, iampridem exempta eſt per Principum indulgentiam. Quas ſeruitutes forſitan eruditi vindicta ferient, & ex hac tractatione manumittent, propter Conſtantini Magni, eiuſq́; ſucceſſorum edicta, ſeruos Chriſtianos pileo donantium. Sed meminerint illi multis poſt ſeculis, non ſolummodo Caroli Magni, Ludouici Pij, Lothariique Cæſarum, ac Gulielmi & Friderici, Neapolis Siciliæque Regum, de ſeruis & ancillis conſtitutiones, at etiam Paparum Alexandri, Vrbani, Innocentij tertiorum, de cōiugiis ſeruorum, decreta extare. Videntur autem deſiiſſe à Friderici, quem diximus, qui etiam Cæſar fuit, iuraq́; Feudorum condidit, & anno 1250. obiit, temporibus. Nam Bartolus, qui anno 1304. claruit, ſeruitutes Chriſtianorum docet ſua ætate fuiſſe antiquatas. Negari tamen non poteſt, huius Margaritæ, Bartolo coæuæ, tempeſtate, plurimos ſuperfuiſſe retinentes libertinę conditionis, reſpectuſque erga veteres patronos, & quibuſdam oneribus (ceu maiorum ſeruitutis teſtibus) obnoxios: inter quæ haud minimum erat, quòd teſtamenti factionem non haberent; ſed abſque prole decedentibus, in aſſem, aut frequentiùs ſemiſſem hæreditatis, hi ſuccedebant, quibus ius erat patronatus: quod demum Principum noſtrorum indulgentia remiſſum, aut minoribus oneribus redemptum fuit. Aliud etiam tributi genus duodecim Gallicorum denariorum annuatim in feſto D. Bauonis à ſingulis domibus Principi ſoluendorum (quod Balfartum dicebatur) Margarita, non ſecus ac ipſius ſoror, Brugenſibus, Vrilatis, Feurnenſibus, Bergenſibuſque oppidanis, agricoliſque remittebat. Teloniorū portoria à Duaco & Valincenis, Ruplemōda tenus, ſubinde controuerſa, certis numis normiſque circumſcripſit. Lege vetuit monaſteriā latifundiis augeri,

hoc

hoc eſt, illis tota Flandria ademit, dynaſtias, terras, redituſque, niſi ex conſenſu Principis, emendi poteſtatem. Trigeſimo ſexto Principatus, ætatis ſeptuageſimo ſexto anno Gandaui mortalitatem expleuit, ad annum 1279. Flinis, veſtaliũ cœnobio quod condidit ac locupletauit, ſepulta: quum ante mortem, Guydum filium, Namurci dotalis Marchionẽ, Flandriæ inauguraſſet, Balduinum Auenium in gratiam recepiſſet, & Ioanni ex Ioanne Auenio, nepoti, Hannoniam permiſiſſet: tam propenſa in pauperes voluntate ac munificentia, vt ferè cunctaFlandrię Prochotrophia, Xenodochia, ac Noſocomia pauperibus, peregrinis, ægris curandis deſignata, non ſecus atque ædificia Dominicanorum, ſuam originem ipſi debeât & ſorori: qua in egenos ſollicitudine ac publica liberalitate, Chriſtiana ſapientia & ſympathia, ethnicam philoſophiam ethicam longè antecedit. Ceterùm Margaritæ huius, & Kunigondæ, Henrici Claudi Cæſaris vxoris, Eluiræ Sanchio minori, Nauarræ Regi nuptæ, & olim Carthaginis conditricis Eliſæ illuſtri exemplo diſcimus, feminis in dignitate imperioque poſitis, à vulgo annalibuſque, non rarò probrum temerè aſpergi. Denique, repetitas fœcundaſque nuptias in voto & conſuetudine ſæpiùs eſſe, quàm tranquillitate ſucceſſuque, hæc mulier documento eſt: non minùs quàm poſtea Robertus ſecundus Scotiæ Rex, qui ſtirpi Stuartæ regnum illud primus affixit: is enim Eufemia Roſſia coniuge mortua, vnde tres filios genuerat, Elizabetham Moram, cui ante Eufemiam aſſueuerat, duxit in vxorem, filiiſq; ex Mora priùs natis, regni hæreditatem, ætatis prærogatiua, aſſeruit; quæ res numeroſam familiam penè extinxit.

Sub ea commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomẽtis: Ioannes *Flandrius*, ob Dampierrę,

Sluuſæ,

Sluuſæ,Bellæq; dominatum.Robertus *Bethunius*,ob
nobilitatem ac fortitudinem. Galterus *Siſelanus*,ob
equeſt. ord. venditoſq; Brugenſibus fundos ad vrbis
pomeria augenda.Gisbertus *Berganus*,ob rei milita-
ris ſcientiam,mortemq; in Cypro. Raſo *Gauerus*,ob
arcis Liedekercæ dominatum , litemque cum Prin-
cipe, imponente illi pro lubito præſidium , ac obti-
nente. Rudolphus *Neuelus*, Ioannes *Axpoelanus*, ob
equeſt. ord. virtutemque.

GVYDVS DAMPIERRVS.

GVYDO Dampierro (ſic enim ab auo pa-
terno,illiuſque familiæ dynaſtia vulgò de-
nominatus eſt, vt ab Aueniis, fratribus v-
terinis diſtingueretur) nihil afflictius fuit,
nihil fœcundiùs. Nam illum expeditio Tunetana,
D. Ludouico regi, proceribuſq; peſtifera,anxium vi-
tæ reddidit : Hollandus bello Zelandico vi & ſorte
militari captiuum habuit : Rex Galliæ tum feſta pa-
ce , iucundeque inuitatum , tum fratris ſui periurio
deceptum, iniquæ cuſtodiæ bis mancipauit : in qua
ad finem mortalitatis acceſſit. Verùm coniugiis ef-
floreſcẽs, genuit Leodienſibus Epiſcopum, Theanis
in Apulia, Lodẽſibus in Inſubria, Niuerniis in Fran-
cia, Namurcenſibus in Belgio, Comites: Principibus
Scotiæ, Brabantiæ, Geldriæ, Gulichij, Hollandiæ,
vxores procreauit. A magiſtratu Gandenſi triginta-
nouem virorum,quem Ioanna matertera priuilegio
inſtituerat, tantopere diſſenſit à plebe,illius functio-
nis perpetuitati infenſa, inſtigatus ; recuſabat enim
pecuniæ publicæ rationem Comiti reddere, quod
hoc eſſe diceret,pręter morem maiorum,vt ſigillum
vrbis ipſis ademptum , apud D. Petri Abbam , velut
ſequeſtrum,deponeretur;& ſcabini illi,ius ſibi dene-
gari conqueſti,omnium primi contra Comitem,an-

no 1284. ad Regem Gall. prouocauerint, cauſamq́; obtinuerint: quòd inauditi eam contumeliam accepiſſent: quamuis cùm Guydo pòſt tranſegere, reddendiſque rationibus ſe ſubmiſerũt. Quum ex priore carcere Gallico reuerſus, Philippo quarto Gall. regi bellum indixiſſet, maiori animo quàm prudentia à ſubditis & confœderatis deſtitutus, & Bonifacij octaui Papę, ex compromiſſo arbitri, pro eo iudicantis, ſententia; nihil adiutus, ſeipſum cum duobus filiis, multaq́; nobilitate iterum Gallis credidit, tradiditque, tam incõſultè & infortunatè, vt libertate ditioneq́; ſpoliatus, Philippo Rege iubente, & captiuus eſſet, & vltimus Flandriæ Comitum ſcriberetur; cunctaq́; in Flandria edicta regio nomine promulgarentur; donec plebs, fide & ope in iuſtũ dominum, nobilitatem magiſtratusque antecellens, Guydum, eiuſq́; liberos Flandriæ imperio fortiſſimè reſtituit. Auctoritatem ſuam atque ſucceſſorum non leuiter auxit *Lege annaria*, cunctis ferè ſcabinorum magiſtratibus, quotannis per Principis commiſſarios (ſic enim vocitantur) renouatis, aut prorogatis, præter maiorum conſuetudinem: & ad reddendam, coram eiſdem, palamq́; pecuniæ publicæ rationem, vel inductis, vel coactis, facto initio à Brugenſibus, vtili imperij arcano: nam frequenti magiſtratuum mutatione, Principis maieſtatem gliſcere, politicus Stagirita vſuſq́; confirmat: quia illius cupiditati aut violentiæ non videtur obnixurus, qui honorem magiſtratumque ſibi breui ademptum iri, aut ſciat, aut metuat: quamuis etiam Caſſiodoro, aliiſq́; politicæ artis non ignaris videatur, reipub. intereſſe, vt magiſtratus anni potiùs aut biennij, quàm vitæ gerentium termino circumſcribatur; tum vt ciues ad doctrinam virtutemque capeſſendam (cuius premium honos eſt) & reipub. curam acriùs ſic inuitentur, quàm ſi publicas

functio-

functiones eiſdem affixas conſpiciant: tum vt ſimultatibus, diſſidiiſq; ciuilibus, dignitatum ęquali diſtributione obuiam eatur; tum vt magiſtratus ſeſe priuatos, rerum geſtarum rationem reddituros, conſcij, ſint modeſtiores ac integriores. Scabini autē ex ſententia Curiæ Pariſienſis obtinuere; illuc enim à Rege Philippo quarto vehementer alliciebantur; vt ipſi, eorumq; aduerſarij coram Comite, illiuſq; tribunali aulico teutonicè loquerentur. Potentiam Guydus amplificâuit, Bethunæ, Teneramondæ, âgrorumq; annexorum, ac Namurci ditionibus per vxores acquiſitis: Ronſa, Brakela, Horenbeca, aliiſque locis à Reynoldo Benedictino Abbate D. Cornelij Yndenſis, diœceſis Colonienſis: Petegemo Audenardenſi, à Barone Ciſonij: Bella, à Ioanne nepote: Dunkerca, Waeſtenaq; à Balduini Auenij fratris vterini hæredibus: & Caſtellania Santomeri, à Galtero Reningio Moerbecæ domino coemptis: Valinceniſq; ſeſe illi perlubenter, vltroq; ſubiicientibus. Ex priore coniuge, Roberti Bethunij, quem alij Fougardum vocant, Atrebatenſis auouæi (quæ dignitas dominium itinerum circa Atrebatum limitaneorum continebat) Bethunæ, Teneramondæq;, & agrorum illis adhærentium comarchi, filia hæredeq; Mathilde, nouem liberos genuit: Robertū, qui ſucceſſit; Guilielmum Teneramundæ maternæ, Neellæq; ſeu Nigellæ in Gallia dotalis, dominum, per cuius neptem, ex filio Ioanne, Mariam, Engherantio Amboſiæ domino nuptam, Teneramonda cum Nigella Amboſienſibus acceſſit: Balduinum Pium, in cælibatu immaturè mortuum: Ioannem Præpoſitum Donatiani Brugæ, Metenſium & pôſt Leodienſium Epiſcopum: Philippum literis armiſque iuxtà inſtructum, & per vxorem Neapolitanam, Mathildem Courtenayam, Laureti & Theani Comitem, quorū illud in Apru-

tio regni Neapolitani in monte ſitum, apud fluuium Tanum: hoc in Apulia plana. Eſt enim alterũ Theanum Sidicinum in Campania felice; abſque prole Neapoli ſepultum, quum ſub Carolo, Neapolis Siciliæq; Rege, illas nuptias conciliante, præclarè ſe geſſiſſet. Filiarum Margarita, Brabantiæ Duci Ioanni; Maria, Amedeo Sabaudiæ; Beatrix Florentio, Hollandiæ, Ioanna Guilielmo Gulichij; Mathildis Bleſij Comitibus enupſerunt. Ex altera verò vxore Iſabella, Henrici Blondelli, Luxemburgij Principis filia, Cæſaris Henrici ſeptimi amita, Namurciq; Comitatu (per patrem atque Martham, Balduini Cæſaris Byzantini vxorem, qui de illo antea contenderant) dotata, ſex liberos ſuſcepit, Ioannem Namurci Regulum atque Sluuſæ: Guydum Rikeburgi, eorumq; quæ pater ab Yndenſi præſule cõpararat, dominum: qui à P. Æmilio Sauarienſium Princeps incompertè dicitur, Cæſariq; Henrico ſeptimo militans in caſtris Brixianis, peſte obiit; & Henricum, qui eidem Cæſari equitum magiſter, & Lodenſis in agro Mediolanenſi Comes, poſtea Brugæ deceſſit: vterque ſine liberis. Inter filias, Margarita altera, Alexandro filio natu maximo Alexandri tertij Scotiæ regis; præmaturè antè patrem abſque prole mortuo: deinde Reynoldo Geldriæ Comiti fœcundè nupſit: Philippa, Eduardo ſecundo Angliæ regi pacta, in gynecæum Reginæ Gall. idcirco velut relegata; ob ea ſponſalia indignè periit. Adela à fratribus neglectim habita, Ioanni Fiennarũ domino nobiliſſimo (citra tamen fratrum, tutorumq; auctoritatem) iuncta fuit: vnde Croyorum & Gauerorum familiæ inclaruerunt. Ad vltimum Guydus, cuius in rebus aduerſis conſtantia æquitaſq; magis quàm calliditas aut fortuna celebratur, conſcripta pace anno 1304. extremũ diem Compendij clauſit: illuc enim in cuſtodiam ex pacto, ſola fide

fide data, oppignerato, redierat. Flinis ſepultus eſt, dum imperij 25. ætatis octoginta annos exceſſiſſet: duo clara exempla ſubminiſtrans: Vnum, Præcocia feruidaq; conſilia, & inconſultis ſubditis bella ārrepta, Principibus eſſe fugienda: nam audacia callidaque conſilia, prima ſpecie læta, tractatu difficilia, euentu triſtia ſunt. Et æquum eſt, ait Cominæus, vt quorum periculis pecuniiſq; bellum ſuſtinetur, illorum conſenſus conſiliumq; quæratur: alterum eſt, Fidem auxiliumque plebis non debere Principibus ſordere; quum velut in ſpeculo intuemur, Guydum à confœderatis, à nobilium magiſtratuumq; ſuorum potiſſima parte deſtitutū, foris captiuum, domi priuatum, libertati imperioq; fuiſſe à vulgo reſtitutum: quemadmodum Ioannem quartum, Britanniæ minoris Ducem, ex huius Guydi pronepte genitum, quū fraudulenta inuitatione & hoſpitalitate, à Pontiberiis regulis, Chantocelli captus, arctè cuſtodiretur; populus ipſi ſubiectus fortiſſimè liberauit, oppido illo oppugnato, incenſo, complanato.

Sub eo commemorantur Nobiles viri hiſce gentilitiis cognomentis, Rogerius *Ghiſtelanus*, Galterus *Maldegemius*, Balduinus *Rouſſelarus*, Ioannes *Heyna*, Galterus *Neuelus*, Ioannes *Heyla*, Philippus *Axpoelanus*, Iacobus *uvtkercanus*, Balduinus *Paſchendalus*, Ioannes *Thorhoutius*, Ioannes *Volmerkerkius*, Michaël *Merlebecius*, Galterus *Louendegemus*, Thomas *Weruycus*, Gerardus *Morus*, Sigerus *Curtrycenus*, Ioānes *Bernagius*, Raſo *Mulardus*, ob equeſt. ord. fidemque in principem præcipuam, eamq; cauſam iniuſtæ vnà cum eo in Gall. captiuitatis. Franciſcus *Staplius*, ob equeſt. ord. Turnaciq; pro Gallis defenſionem. Arnulphus *Audenardius*, ob dominatum Audenardæ Transſcaldanæ, Leſſenæ, Flobecæ. Theodericus *Honſchotanus*, Robertus *Lewergemus*, Ioannes *Barlutius*,

tus, Balduinus *Poperodius*, ob fidelitatem & fortitudinem in prælio Groeningio, ad Curtracũ contra Gallos. Ioannes *Reyſinus*, Philippus *Crana*, Carolus *Poela*, Ioannes *Lauwardus*, ob equeſt. ord. ſubſignatamq; legis talionis, in Feurnenſi caſtellania moderationẽ. Petrus *Conyncus*, Ioannes *Breydelus*, ob equeſt. ord. plebeis tributum, à Philippo, Theani Comite exercitus Flandrici duce, propter ſummam felicemque fortitudinem.

ROBERTVS TERTIVS, BETHVNIVS.

ROBERTVS, cui à natali, maternaq; ditione agnomen, patre viuente appoſitum, manſit; neque ſeſe, neque Guilielmum fratrẽ, neque quinquaginta nobiles cum quibus fidem non exuentibus per fraudem captiuus cum patre fuerat, ex carcere Gallico potuit liberare, quãuis pacificatione hoc illis deberetur, priuſquam Lilam, Duacum, & Orchieſam cum agris, in viginti milia numûm Turonenſiũ annui reditus, oppignoraſſet Philippo quarto Pulcro Gall. regi, quem Boccacius Florentinus, in venatu ab apro deiectum eſſe equo, extinctumq; narrat, nuruum adulteria, & dedecora à Flandris accepta deplorantem, qui hypothecam illam in proprietatem vertit. Qua de cauſa Robertus domum reuerſus, in aſſidua cum Francis contentione fuit. Quum ætas vigeret, in Gallicis annalibus celebratus, & florentiſſimus iuuenis nuncupatus eſt: Cuius etiam Bernardinus Corius, & Leander Albertus, Itali meminerunt propter operam Carolo D. Ludouici regis fratri, Neapolis Siciliæq; regi contra Manfredum, Friderici Cæſaris filium nothum, qui in arce Flandrorum interfectus inueniebatur, conſtantiſſimè præſtitam, Blancæq; regis illius filiæ

nuptias

nuptias promeritas: vnde Carolus prodiit breuis qui, crucíſque imagine inter ſcapulas ſignatus. at mentis alacritate per ſenium imminuta, nobilibus deſertoribus, quàm populo ſuæ libertatis, patriæque vindici plus conceſſit, neque procul abfuit à nota exactoris. Oppidum Deinzam numis comparauit. Legem talionis Flandris volentibus reddidit; vnde rixæ & homicidia rareſcebant. Coronationi Henrici ſeptimi Cæſaris, cui auunculus magnus erat, decora cum nobilitate Aquiſgrani interfuit. Ætatis anno circiter octogeſimo, principatus 18. ad annum 1322. Ypræ in ædibus Salæ, quas condidit coluitq;, mortem obiit, ibidem ſepultus ad Martini ante aram maximam, icone eius ex alabaſtrite, in erectum monumentum ſaxeum incumbente: cuius iam nullum veſtigium: quod furibundæ, ignobilis indoctæq; plebis manus, hiſce patriæ diſſidentis tempeſtatibus, paſſim veteres bibliothecas, & nobilium mneumoſina, lamentabili, & irrecuperabili exitio peſſumdederint. Carthuſiis cœnobiis tam beneuolus fuit, vt horum in Flandris initia ad eius tempora deducantur. Ex Yolantide, Odonis Burgundiæ Ducis, & Iſabellæ Niuernij dominæ, filia, matriſq; hærede, genuit Ludouicum, Mariæ, Rethelio imperantis maritum, præ patre Lutetiæ extinctum, ſepultumq; ibi apud Franciſcanos, magni animi, ſed fati aduerſi virũ; atque Robertum, agnomine Caſſetanum. Cui, vt Ludouico ex fratre maiore nepoti, in Comitatum Flandriæ, auo per tranſactionem nuptialem ſucceſſuro, non contrauenniret, cederetq; vtriuſque parentis hæreditate, addicta ſunt & aſſignata anno 1320. decẽ milia librarum, antiqui pretij Pariſicarum, annui prouentus. antiqui autem pretij libra Pariſica, viginti duorum cum dimidiato ſtuferorum erat, quum illa noſtris iam dudum temporibus, decem ſolummodo valeat. quod

notandum videbatur, vt curioſi calculatores in ſubducenda tantæ negociationis ſumma non hallucinentur. Eorũq; nomine, ipſi & hæredibus oppignorata, & demum per Ludouicum Creſſium nepotem in proprietatem conceſſa, Caſſetum, Broucburgus, Waeſtena, Bornhema cum caſtellaniis: Dunkerca, Greuelinga, arx ſiluaq; Niepenſis, Stegra, Watenumque. Quæ per eius filiam, hæredemque vnicam Yolanthidem, Henrico Bari Comiti nuptam, in Barenſem priùs, ac per Roberti Barenſis, Ioannæq; Ghiſtelanæ, Ghiſtelæ ac Englemonſtri dominæ, filiam ex aſſe ſuccedentem, Ludouico Sanpauli Comiti, Galliæq; Coneſtabili coniunctam, in proſapiam Luxenburgiam tranſierunt; quum priùs tota Caſſetana ditio à Renato Bari, Lotharingiæq; Principe, in poteſtatem Philippi Boni conceſſiſſet. Inter Roberti filias, Ioanna Engherano Couchij, Oiſij, mõtiſq; Miralli regulo: Yolanthis Galtero Enghiennæ domino, & Mathildis Mathæo Theobaldi Lotharingiæ Ducis filio nuptum tradebantur. Bethunius autem documento eſt, mentis vigorẽ iudiciumq;, ſpacio ętatis carpi ac debilitari; Sic Franciſcus Foſcarus Dux Venetorum, cuius auſpiciis reſpub. creuerat, cuius prudentiam Philelphus extollit, hac vnica de cauſa magiſtratum deponere iuſſus eſt, quòd illius octoginta quatuor annorũ ętas, rebus adminiſtrandis magnum adferre impedimentum putaretur.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Robertus *Neuelus*, Guilbertus *Lewergemius*, Ioannes *Bellanus*, Ioannes *Reninganus*, Rogerius *Halewinus*, Daniel *Bellingemus*, Bernardus *Lobielus*, Guilielmus *Bloca*, Ioannes *Veyſa*, Arnoldus *Berſtanus*, Euſtatius *Lauwartus*, Ioãnes *Schorinus*, omnes equeſt. ord. Ioannes *Coyengemus*, Theodericus *Belſelius*, Michaël *Caeſtrius*, Alardus *Dentergemius*, Ioan-

Ioannes *Vroeda*, Guilielmus *Burchius*, Rogerius *Bonerius*, Robertus *Wallius*, Daniël *Botelinus*, Sigerus *Steenbruggius*, Sigerus *Tolnarus*, Galterus *Bakelandus*, Ioannes *Becanus*, omnes ſcutiferi. ob ſubſignationem portionis hæreditariæ aſſignatæ Roberto Caſſetano.

LVDOVICVS PRIMVS, CRESSYVS.

LVDOVICVS Primus, cui viuo Niuernij paterna genitaliſq; ditio, qua delectabatur & fati ſeries, locuſq;, *Creſſÿ* agnomen mortuo dedere, cuius potentiam, maternũ Rethelium auxit; neque ordine naturæ, neque regionis more, vbi repræſentatio in Feudis ſucceſſoria, ſemper excluſa fuit ab aliis naſcendi gradu proximioribus; in Flandriam auo paterno ſucceſſit, ſed conuentione: quum etenim Philippi Longi Galliæ regis filiam Margaritam Pariſiis duceret, Francis per eas nuptias Flandriam ſibi velut oppignorantibus, vti ſperabant, ita tranſactum fuit, ad annum vigeſimum ſupra milleſimum trecenteſimum, vt, ſi pater Ludouici antè moreretur, ipſe nihilominus auo ſuccederet. Cui pacto antenuptiali, auus, patruus, & amita Couchyo nupta conſenſerunt. Verùm à Bethunij exceſſu, quum altera amita Mathildis, Lotharingi vxor, ſe proximam patris hæredem, neque vnquam iure ſuo ceſſiſſe profiteretur, ac Robertus patruus ſeſe non ex animo ita tranſegiſſe, ſed vt patri venerando ſeni obſequeretur conteſtatus eſſet, Ludouicus huius controuerſiæ, regiæq; inhibitionis ſecurus, proceres ad fidelitatis iuſiurandum admiſit, ceteraq; omnia Principis officia in Flandria exercuit: quapropter Pariſios ad ſenatum Parium euocatus, in cuſtodiam Louuræ ductus eſt. Vnde poſt tres circiter hebdomadas, Parium decreto

exolutus,Comeſq; Flandriæ declaratus,anno vigeſimo ſecundo ſupra trecenteſimum & milleſimum, fidem regi Carolo,de Flandrię,Niuernij,Rheteliiq; Comitatibus obſtrinxit: amita, patruoq; fruſtra obnitentibus. In Galliis autem educatus, illiſq; addictior quàm Flandriæ commodis, neque comitatem, neque ſeueritatem temperabat: at, quum ſubinde ſeuerus erat,ſæuus & ferus;dum ſæpiùs nimis ciuilis, vilis habebatur: neque ſeniorum conſiliis, aut Flandrorum frequentatione,linguaq; vtebatur, ſed à Vezelio Abbate Rhetelano, magis morum,quàm numorum regionis ignaro,totus pédebat: ſæpeq; Flandria, ſemper frugalitate aberat. vnde ſeditionibus, miſeriiſque cauſam dedit, tam deſpectus & infortunatus, vt à Brugenſibus per ſex menſes in cuſtodia detineretur,Gandauiq; in arce Graueſtena,à Iacobo Arteuelda,potenti plebeo obſeſſus, ad quorumcunque exulum reſtitutionem cogeretur. A quo etiam interdictum eſt, monetam cudi Ludouici Principis nomine, Gallo adhæreſcentis Anglorum hoſti, tam Flandris acceptorum, vt ſacris ſibi interdici, baptiſmum paruulis, ægris euchariſtiam, mortuis ſepulturam denegari,à domeſticis ſacerdotibus,propter fœdus Anglicum tolerarent, donec induciis inter Philippum & Eduardum reges pactis (quibus Flandri, induſtria Arteueldæ, includebantur) omnes obligationum tabulæ, & interdictorũ vincula à Gallis diſſoluerentur. Ditiunculam,arcemq; Beueræ, ab Hugone à Lotharingia: Mechliniam ab Adulpho Leodij,Reynoldoque Geldrię Principe centum milibus numûm Turonenſium emptá,Ludouicus anno 1333. Flandriæ adiunxit, Leodienſi Brabantis infenſo, iureiurando pollicitus, ſe à Flandria, Mechliniá nunquam ſeiuncturum. Audenburgum, eiq; implexam Flandriæ Camerlingiam, coëmit ducentis Flandriæ libris,

libris, per Gandenſes commodatis. Verùm inſulas Zelandicas, Valincenaſq;, à Galliæ rege perſuaſus, Guilielmo, Hannoniæ, Hollandiæque Comiti anno 1322. perpetuùm ceſſit, magno Flandriæ hæredumque damno atque iniuria. Friſiis vt equos boueſque in Flandriam adducerent: Rochellanis, & S. Ioannis Angeli ciuibus, vt ſtabilem vinorum ſuorum ſedem Dami figerent, permiſit. Philippo Valeſij Comiti; in Regem Galliæ inuncto adfuit cum ſex & octoginta equeſtris balthei Flādris, vnius coloris amictu ſplendoreq; inſignitis: atque enſem ſolemni more prætulit. Pro quo fidiſſimè fortiſſimeq; contra Eduardum Anglum apud Creſſyam ſiluam, vbi Cariſiacum à Ptolomæo ponitur, non procul Abbeuilla pugnans, occubuit, anno 1346. ſepultus in cœnobio D. Richarij Pontiuenſis, donec ſextum poſt annum ad Donatiani Brugæ ante aram maximam, in magnificum mauſolęum à filio tranſduceretur. Numerauit, infeliciter turbideq; adminiſtratæ Flandriæ viginti quatuor annos, progenuitque ex vxore Ludouicum ſucceſſorem, ac Rufelardum ex concubina. Sororem habuit Margaritam, quam alij Claudiam vocant per errorem, Ioannis quarti Britannię Ducis coniugem: quæ viginti quatuor annorum contra Bleſenſes bello, marito capto, dein mortuo, & à fratre nihil adiuta, Britanniam fortiſſimè obtinuit, filiiſq; conſeruauit: tanto animo & virtute maſcula, vt armata in campum, equitum turma prouolaret, hoſtemque laceſſeret, & obſidionem contra virorū ſuaſiones, ipſamet viriliter fauſteq; ſuſtineret, maritimis etiam præliis intrepidè ſeſe daret, ceteriſq; omni virtute bellica præluceret. Creſſyus autem duo nobis vtilia theoremata ſuggerit: Prius, rectè Diocletianum, Vopiſci teſtimonio dixiſſe, *Nihil difficilius eſſe quàm bene imperare.* Colligunt, inquiebat, ſe quatuor aut quinque,

&

& vnum conſilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quid probandum ſit: Imperator qui domi clauſus eſt, vera non nouit: cogitur hoc tantùm ſcire, quod illi loquuntur: quid multa? Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Hæc ille: quanto magis, *Fertur equus auriga, nec audit currus habenas*, ſi Principis imperitia accedat. Vnde facetè meritòque Cominæus irridet proceres, qui de re ſeria compellantibus reſpondere ſolent, Se neſcire literas, ſe eius generis negocia, eorum curæ fideique commiſiſſe, quos in conſilio habeant. Alterum eſt, vt ſedulò Princeps circumſpiciat tum ne ab vno conſultore, familiarique, vt Tyberius à Seiano, Sept. Seuerus à Plautiano, Commodus à Cleandro, Creſſyus noſter à Rethelano, pendeat; quibus hoc ſemper dedecori, ferè exitio fuit: tum vt literatos, honeſtos, taciturnos, linguæ, morumque prouinciæ gnaros, aliiſque in functionibus probatos, in conſilium adhibeat: non quibus à pueritia, teneriſque, luſu aut viciorum ſocietate aſſueuerit: quòd noſtro æuo nimis frequenter euenire, Cominæus conqueritur.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Raſo *Gauerus*, Ioannes *Gruthuſius*, Gerardus *Reſſegemus*, Simon *Mirabellus*, Rogerius *Briſeſamus*, Oliuerius *Poukanus*, Goſuinus *Moeranus*, Gerardus *Outrius*, Ioannes *Bellanus*, Euſtatius *Paſcharius*, Rogerius *Lichterueldius*, Sigerus *Drongenus*, Daniel *Roſebecanus*, Guilielmus *Stratius*, Ioannes *Maſſemaus*, Ioannes *Poluordius*, Eraſmus *Herpius*, omnes equeſt. ord. Ioannes *Yshoutus*, Arnulphus *Bernagius*, Ioannes *Herzelius*, Thillo *Moerkercanus*, Ioannes *uvtkercanus*, Hugo *Stelandius*, Ioannes *Locrius*, omnes ſcutiferi, ob tabulas fœderis cum Brabantis pro Anglis contra Gallos initi, ſubſignatas. Robertus *Saemſlachtus*, Guydus *Cra-*

Crana, Balduinus *Zegherſcaplius*, Guydus *Vichus*, Ioannes *Verrierus*, Ægidius *Courielus*, Walterus *Rollegemus*, ob equeſt. ord. necemque cauſa Principis præſentis perlatam. Ioannes *Hemſrodius*, Ioannes *Metkerkus*, Arnulphus *Dentergemius*, Ægidius *Waterulietus*, Petrus *Englemonſtrius*, ob fidem virtutemque in prælio Caſantio contra Anglos. Wulfardus *Ghiſtelanus*, Hector *Vilainus*, Goſuinus *Molla*, ob fortitudinem Anglis contra Gallos præſtitam. Mathæus *Burchius*, Engerammus *Hauwelus*, ob fidelitatem in Principem, & Dixmudenſem captiuitatem. Ioannes *Houtkercanus*, ob præfecturam Ypræ à Iacobo Arteuelda mandatam. Nicaſius *Conkelarus*, ob præfecturam Caſletanam. *N. Harlebecanus*, ob induſtriam, operamque in reconciliandis Principi Gandenſibus. Philippus *Axelanus*, ob præfecturam Flandriæ. Petrus *Laminſus*, Ioannes *Steenbecanus*, Simon *Brugdamus*, ob fidem in Principem, diſſidiumq; cum Arteuelda. Ioannes *Doornius*, ob Comitem Namurcenſem Brugenſi publico carcere liberatum. Ioannes *Flandrius*, ob Niniuæ dominatum. Sigerus *Curtrycenus*, ob equeſt. ord. capitiſque ſupplicium à Principe imperatum, propter fauorem in Gandenſes, ſecutaſque inde turbas. *Sigerus* *Drongenus*, ob dominatum Neuelæ. Iacobus *Berganus*, ob captiuitatem, Ghiſtela fruſtra defenſa pro Principe contra Brugenſes Vrilatoſq;.

LVDO-

LVDOVICVS SECVNDVS, MALANVS.

LVDOVICVS Secundus, à *Mala* pago, arceque palatina genitali, ominoſa, non procul Bruga, agnomen *Malenſis*, teſteſq; & ſponſores baptiſmi, Ioannem Brabantiæ Ducem, Guydum Bleſij Comitem, vxoreſque Fiennarum & Namurci regulorum conſecutus eſt; quod, vti ſingularis inter principes neceſſitudinis, aut honoris officium; deinceps curioſos non ſilebo, hactenus mihi iuxta incompertum ac prætermiſſum. Ex prælio, vbi pater occubuit, cum Philippo Valeſio Gall. rege Ambianum effugit vulneratus, decimoſexto ætatis anno. Enimuerò quum ab Eduardo tertio Angliæ rege victore, ad matrimoniũ filiæ Iſabellæ, ea de cauſa Gandauum veniente, vehementer expeteretur; vt ea affinitate & Flandriæ opportunitate commodiſque, ad itinerum & commeatuum facilitatem ſecuritatemque contra Gallos vires augeret, & à Flandris Anglicam ſocietatem, ob lanificium, aliaſque occaſiones, Francicæ præferentibus, illuc impelleretur, Iſabellæ Bergam Winnoci per patrem matremque adductæ, prid. Cal. Martias anni 1346. in ædibus cœnobij ampliatis promiſit matrimonium, Gandaui ineundum, poſt finitam proximi Paſchatis hebdomadam. Sed quum eſſet auerſa ab iis nuptiis voluntate, quã tunc in occulto habebat, tum Gallorum inſtinctu, tum quòd nollet ſocerum, patris interfectorem, diem ritibus coniugij perficiendi præfixũ anteuertit: Egreſſu enim ex Gandauo, vbi obſeruabatur, ad aucupium ſimulato, celeriq; equo Scaldi (eo loci cui fluctus Finenſis nomen eſt) tranſnato, duobus nobilibus conſciis ad ripam vlteriorem operientibus, ad Gall. regem Pariſios ſe recepit, ſummo regis applauſu amplexu-

plexuque. Cuius regis (oppidum ditionemq; Teneramődiam ab Amboſienſi empta, propterea donantis) ſuaſione, Margaritam filiam natu ſecundā Ioannis tertij Brabantiæ Ducis, Viluordiæ in vxorem accepit: quo loco dieque, Geldriæ Princeps tertiam duxit. Quibus nuptiis Flādros, Angloſq; in magnam indignationem, ſeipſum in longū velut exilium coniecit, donec Flandrorum ſeipſos, abſente Comite, regentium fœdera cum Anglis, commerciaq;, ſuffragio ſuo confirmaſſet. Neque ſolidā ex coniugio contra populi conſilium & vota inito, lætitiam felicitatemq; cepit (quamuis inter illū, vxoremq; dum vterque teneram pueritiam ageret) ſponſalia interueniſſent. Etenim quum ipſe perductoribus, aliiſq; libidinis adminiſtris, muſicis, hiſtrionibus indulgeret, accidit, vt eo in Galliis abſente, vxor puellā ex eo grauidam, in ædes Malanas ad ſe doloſis nunciis accerſierit, & inopinanti nares abſciderit; quæ altero poſt die, præmaturè gemellos maſculos enixa, cum infantibus, ſextum poſt diem expirauit. Hæc atrocitas Ludouico adeò omnem verecundiam abſterſit, vt paſſim ſtupris, ſpuriiſq; domum ſuam dehoneſtaret. luxu impendiiſque infinitis, populo grauis, Gandenſes irritauit, & ſua iracundia implacabili, eos armauit in ſuam perniciem. Potentiam ampliauit, Galloflandria (in qua Lila, Duacum, Orchieſa, cum agris ſunt) recuperata, veteriq; trunco redhibita; per vnicæ filiæ Philippo audaci coniunctę, occaſionem atque tranſactionem. Arteſiæ, Burgundiæq; Comitatus, per matrem acquiſiuit, Philippi Longi Gall. regis, & Ioannæ Arteſiæ, Burgundiæq; Principis (quibus maſculi hæredes deerant) filiam, natu minorem; & quum ſororis primogenitæ Odoni Burgundiæ Duci nuptæ, nepos hæreſq; vnicus Philippus abſque prole finiiſſet anno 1361. in illos comitatus ſuccedentem: quum

Arte-

Arteſia centum ferè & ſeptuaginta annis à Flandria diuulſa extitiſſet: quę ad Dionyſij apud maiores ſuos ſepulta eſt, cęlibatus annos triginta ſex, vitæ octoginta ſupergreſſa. Acceſſionem illam diluit Oceani inundatio in terra Franca: quæ ſeptemdecim pagos; in quibus Iſendica, oppidi priuilegiis ornata; Hugenſvlietű, Volmerbeca, Pieta, aliique; anno 1377. menſe Nouembri abſorpſit: ob aggeres clauſtraq́; maritima per ſocordiam auaritiamq́; mandatariorum, incuſtodita. Primus ſummum rerum capitalium vindicem, quem Souueranum, hoc eſt, Supremum Bailiuum dixit, ſeparatim inſtituit: Primus monetam auream cudi iuſſit: quod arguit magnam antea hiſce in regionibus auri fuiſſe raritatem. Ædes Palatinas Gandaui in wallo trecentorum, vt ferunt, conclauium, Poſternaq́;, & Wondelgemi, quod Wandelheimum initio dictum putant à Vandelis, prope Gandauum, ſibi extruxit. Contra Regis regniq́; Galliæ & Philippi generi profeſſionem, in illo Vrbani ſexti, Clementiſq́; ſeptimi Paparű pernicioſo diuturnoq́; ſciſmate, quorum ille Romæ, hic Auinione ſedebat; Vrbano adhæſit: quod cùm Britanniæ Duce amitino, quem abs Galliæ rege diſſidentem ob partes Anglicas, exutumq́; ditione, apud ſe, annum habuit quàm ſplendidiſſimè, aſſereret, vt ait P. Æmilius, ſe fide humana Francis obligari, religione animi, ſoli numini addictum. Quod eò procliuiùs faciebat, quia Clemens, quum inter alios Cardinales, Vrbanum in Pontificem maximum elegiſſet, illum iuſtè fuiſſe conſecratum, perſcripſiſſet ad Ludouicű, ſibi familiarem, iamdudum ab eo tempore, quo Epiſcopatű Teruanenſem, dein Cameracenſem geſſerat, ex Principibus Geneuæ, Sabaudiæque, Ludouici propinquis, oriundus. Quibus literis ipſe Ludouicus, Britannuſque valdè innitebantur. Petrus, Cypri rex, auxilium

contra Mahumedios efflagitans, & Daniæ Rex, ob cauſam mihi incompertam, Gandauum ad Ludouicum acceſſere, hominem regio prodigoq; apparatu, ingenti in exteros Principes munificentia, in vicinos ſupercilio. Carolo quinto in regem Galliæ Rhemis inuncto, enſem regiũ accinxit, atque prætulit. Mortalitatem expleuit anno ætatis quinquageſimo tertio, imperij 37. in ędibus cœnobij Bertinici Santodomari, vel repentino morbo, vel tertio pòſt die quam inter lecti ſpondam, parietemq; immiſſis (vt quidam ſcribunt) à Ioanne Biturigum Duce, qui ipſius genero frater erat, oppreſſoribus, totum corpus ipſe preſſus conſtrictuſque fuerat. Conſtat enim Biturigem ſuperbè fuiſſe indignatum, quoniam Ludouicus voluiſſet vt ille ſibi Flandriæ, Arteſiæque principi, nomine Boloniæ, fidei iuramentum præſtaret: quod ille dare vlli mortalium, præterquam regi abnuebat; quia regum Galliæ filius, frater, patruuſque eſſet, eaque fiducia intumeſceret. Sepultus eſt Lilæ cum vxore, ad Petri amplo ſacello Virginis matris, cancellato ad annũ 1383. ſublimi, ſumptuoſo, ſplendidoq; mauſoleo, cui illius armati, vxoriſque & filiæ hæredis effigies ex ære coronario conflatæ, incumbunt: priuſquam de Gandenſibus ſe poſſet vlciſci, pugna magis quàm animo debilitatis, à quibus intolerabiles contumelias acceperat. Illis tamen ante mortem fertur ignouiſſe, filiæ generique clementiæ commendatis, hoc titulo vſus: *Ludouicus Comes & Dominus Flandriæ, &c. Dux Brabantiæ.* Vnicã filiam hæredemque ex vxore, ſedecim ante annos mortua, reliquit; plurimorum illegitimorum liberorum parens. Ex quibus, præter duas filias, Ludouicus Haſa, hoc eſt, Lepus, à pernicitate; Ioannes Drinchamij, Ludouicus Friſo (ſtirps Praetenſium reguli, Ludouici à Flandria) Woeſtinæ domini extitere; & in prælio

contra Turcos, Nicopolitano fortiter occubuere: Victor atque Hector Vorholtius, ob piraticā (iubentibus Flandriæ magiſtratibus) aliquamdiu exularūt. Robertus Ypræ Burggrauius erat. Subit autē in hoc Principe mirari ac ingemiſcere, nobiliſſimi ac præpotentis viri, vbique potiùs quàm in coniugio, tam genitalem virilemq; fuiſſe ſementem, ac fœcunditatem. Qui etiam eximio documēto eſt, partim non eſſe populum temerè tributis exagitandum, ſed potiùs quòd *Paſtorem paſcere pingues Tityre oportet oues:* partim Principem implacabilem eſſe non decere: quorum vtrumque Malenſi obtigit in Gandenſes. Ex altero, publica inopia oritur, ſeditio, atque Dei offenſa: Quippe nullus Princeps (ait Cominæus) tributum ſubditis, abſque conſenſu ipſorum & voluntate imponere poteſt, niſi inteſtabilis eſſe velit: Alterum, vſu & ratione ſancitur: nam licet Appij, Coriolani, Cæſones nihil turbarum metu plebi concedendum eſſe, imò iura, quæ patribus extorta fuerant, recuperanda ſuaderent, vicit tamen in ſenatu, ſententia melior, inquit Liuius, Plebem nimirū, per æqua, per iniqua, patribus conciliandā eſſe: & Polybij prudens eſt de M. Attilio Regulo doctrina: qui in Carthaginenſes victos ſuppliceſq; præfractus, ac inexorabilis, ab illis poſtea ſuperatus, captuſq;, miſerè periit; atque elegantiſſima eſt apud Homerum, Phœnicis ad Achillem hæc admonitio:

Vince iram, fera corda doma, ne pectore ſæuo
Eſſe aliis videare, atque implacabilis iræ:
Quod minimè decet, atq; indignum eſt laudibus iſtis:
Quum neque ſint tales (quoniam placantur & ipſi)
Di Superi.

Sub eo commemorātur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomētis: Dionyſius *Mourbecanus*, ob captum in

in prælio Pictauienſi Ioannem Galliæ regẽ, dextram deditionis illi porrigentem, Anglis victoribus: Rogerius *Outriutus*, ob magnum Gandaui baliuagium, necemque à ciuibus Principi iratis, illatam. Oliuerius *Stelandius*, ob bellum ſuæ ſolius familię & clientelæ ope operaque in Tornacenſes feliciter geſtum. Georgius *Bellanus*, Ioannes *Blanchardus*, ob Ypræ obſidionem contra Anglos ſtrenuè toleratam. Ioannes *Bouinus*, ob dominatum Muelenbecæ, celebreſque inimicitias cum Gruthuſiis. Rolandus *Poukanus*, Ludouicus *Wallius*, ob liberatum ex Gandauo Principem, aucupij prætextu, egreſſum. Galterus *Schoriſſius*, Guilielmus *Neuelius*, Galterus *Halewinus*; Franciſcus *Haueskercanus*, Galterus *Morſledanus*, Theodericus *Grachtius*, Florentius *Heula*, Ægidius *Scoutetus*, Philippus *Beukemarus*, Balduinus *Crana*, Theodericus *Hameddius*, Froiſſartus *Steẽburgius*, Gerardus *Markellius*, Ioannes *Stegranus*, Ioannes *Beufromezus*, Ægidius *Vicõtius*, Guilielmus *Heetueldius*, Rogerius *Ghiſtelanus*, Gheldolphus *Gruthuſius*, Gulielmus *Platelius*, Ioannes *Sporkinus*; Monfrandus *Eſenenſis*; Ioannes *Bernagius*, Gerardus *wtkercanus*, Ioannes *Heyla*, Raſo *Mulardus*, Ægidius *Papeus*, Gerardus *Spira*, Petrus *Delfyus*, Alemanus *Sanuenantius*, Motonus *Verſeyus*, Galterus *Hemſrodius*, Rogerius *Lichterueldius*, Rogerius *Lembecanus*; Petrus *Wertainus*, Mathæus *Warleinus*, Bernardus *Edelherus*, Henricus *Heyus*, Gerardus *Reſſegemus*, Giſlenius *Maſſemeus*; Ioannes *Damianus*, Ioannes *Audenardius*, Hermanus *Ghemus*; ob Audenardæ obſidionem pro Principe contra Gandenſes fortiter feliciterq; toleratam, & equeſtrem ordinem ea virtute partum. Guilielmus *Reygerſvlietus*, ob magnum Aloſti baliuagiũ. Ioannes *Zickela*, ob infauſtum cum *Rymio* duellum. Simon *Rymius*, ob necem à Gandenſibus inflictam;
 propter

propter fidem in Principem. Ioannes *Outrius*, ob Burggrauiatum, præfecturamq; Ypræ, & Eluerdingę dominatum. Ioannes *Scutelarus*, ob legationem in Angliam, mandatam à Gandenſibus. Petrus *Stonebroucus*, ob necem Gandenſium haſtis inflictam. Iacobus *Egherlous*, Franciſcus *Crupeminquus*, ob geſtum Principis vexillum. Henricus *Beueranus*, ob confectum antenuptialem contractum inter Principis filiam, & Philippum Audacem, adiūctis *Prata* & *Pouke* dominis, & Dixmudæ caſtellaniā. Raſo *Voordius*, Franciſcus *Ackermanus*, ob præfecturam militiæ Gandenſis equeſtri baltheo ornatam. Simon *Bettus*, Gisbertus *Gruuterus*, ob necem in frequenti Gandaui ſenatu, ab Arteuelda Boſchoque factioſè inflictam, propter ſtudium pacificationis. Galterus *Veyſa*, *N. Bladelinus*, ob Greuelingam contra Anglos fortiter, ſed infauſtè defenſam. Teſtardus *Woeſtinius*, Malinus *Niepus*, ob præſentiam ſignatam in tranſactione confecta cum Hannonibus. Henricus *Flandrius*, ob Niniuæ dominatum. Simon *Aertrycus*, ob vetuſtatem ſtirpis, & Brugenſe Burgimagiſterium. Theodericus *Honſchotanus*, ob equeſt. ord. vxoremque filiam Principis notham. Robertus *Houerdrius*, ob equeſt. ord. necemq; propter fidem in Principem à plebe tumultuante Ypræ inflictam. Robertus *Marchantius*, ob equeſt. ord. ductam in vxorem filiam Principis illegitimam, fidemq; & facundiam à Ioanne Froiſſarto hiſtorico celebratas.

HVCVSQVE FLANDRIA, quæcunquę illi ditio annecteretur, ſiue ea Viromandia, ſiue Burgundia ſuperior. Hannonia, Arteſia, Zelandia, Namurcum, Niuernium, Retheliumque eſſet, primarium ſuis Comitibus rum genuinis, tum per nuptias aſcitis, titulum attulit ac inſcriptionem. Poſt *Ludouici Malenſis* funus, prærogatiuam illam depoſuit: occaſione

ſione confecti antea, inter Margaritam filiam eius vnicam, & Philippum Valeſium Burgundiæ Ducem, matrimonij. Deinceps enim, more atque ritu diſtinctorum in dynaſtiis graduum, Burgundiæ aliiſque Ducatibus magis ſubſcribitur, quàm potentiæ, aut nominis amplitudine poſthabetur.

IACOBI MARCHANTII FLANDRIÆ DESCRIPTÆ

LIBER TERTIVS.

MARGARITA TERTIA, PHILIPPO VALESIO, AVDACI, BVRGVNDIAE DVCI NVPTA.

PRVDENTIÆ humanæ ſplendorem eſſe fumum, eius euentum eſſe funus, niſi arcano prouidentiæ diuinæ decreto commilitet, ſubſeruiatq́; tum omnis æui documentis, tum ex Margaritæ, Ludouici Flandriæ Principis filiæ, cum Philippo Audace matrimonio, palàm eſt: quod Philippi frater Carolus Quintus Gall. Rex, cognomento *Sapiens*, ſumma induſtria, moleſtia, munificentia procreauit, vt eo tantarum virium incremento contra Anglos, Flandroſque inuictum exſtrueret Galliæ ſuæ propugnaculum atque firmamentum. Verùm, *Neſcia mens hominum fati, ſortiſq́ futuræ*, bono euentu minimè litauit. Conſtat enim illius cõiugij ſagaciſſimis conſiliis compacti, ſtabilita potẽtia, nihil ipſis Gallis magis contra opinionem, nihil exitioſius accidere potuiſſe; vti longiſſimę notiſſimæq; calamitates, & Rex Ludo-

Ludouicus vndecimus atteſtâtur: qui Carolo Quinto Regi proauo, illarum nuptiarum ceu proxenetæ, eam ob cauſam ſapientis titulum cenſuerit eradendum. Sed hæc abditiſſima cæleſtis prouidentiæ adyta revereamur potiùs quàm perſcrutemur, & nuptias Margaritæ iam adeamus. Quæ, eodem, quo pater loco nata, luſtralibuſq; aquis tincta, baptiſmi teſte atq; vade, Margarita auia paterna, & Ioãne Pittino Blandinienſi cœnobiarcha, in Flandriæ, Burgundiæ, cum Salinis, Arteſiæ, Niuernij, Rethelij Comitatus, Mechliniam, Antuerpiamq;, ex aſſe patri ſucceſſit: ab illo, quindecim ante annos, Philippo Valeſio, filio Ioannis Gall. Bonæque, filiæ Ioannis, Bohemiæ Regis, Burgundiæ Duci, nuptum elocata: coniugij ſolenibus Gandaui anno ſexageſimo nono ſupra milleſimum & trecenteſimum, menſe Iunio celebratis, ad Bauonis regifico apparatu: ſacris operante Philippo Epiſcopo Tornacenſi: præſente, matriſque vices implẽte Ioanna Brabantiæ principe matertera, eiuſque viro Wencelao, Caroli quarti Cæſaris germano. Quibus nuptiis Flandrorum ſuffragium tandẽ præiuerat, Galloflandriæ reſtitutione allectorum: quum ceteroquin in Anglorum affinitatem magis propenderent: tum ob commercia, lanificiumq;: tum quòd bonis, priuilegiis, libertati, ab imperioſa Gallorum potentia anxiæ timerent. Fuerat hæc mulier ſeptem per annos ambita à Philippo, antequam illi in manum traderetur; quum priùs alteri Philippo Burgundiæ Duci, Odonis nepoti, quadrimula ſeptenni, qui anno ætatis decimo quarto mortem obiit, & deinceps Edmondo Eduardi tertij Angliæ Regis gnato, fruſtra deſponſa fuiſſet, & intacta: Vrbano quinto vinculum inter illam, & Edmondum cognationis, Gallorum ſuaſu, diſſoluere pernegante: auiaq; Margaritæ paterna, Anglicas nuptias tam auerſante, &

haſce

haſce Gallicas tam feruidè conciliante, vt, reiecta ſuperiore veſte, dexteram mamillam exerens, manuq; tenens, Ludouico filio in Anglumproniori minaretur, ſeſe mamillam quę ipſum, nullumq; alium lactauerat, in opprobrium eius abſciſſam, canibus obiecturam, niſi ſpōſalibus Anglicis reſciſſis, in Gallicum hoc matrimonium cōſentiret: qui matris tam commotæ voluntati ſupplex ſe commiſit, filiamque Philippo in coniugem intra annum tradidit. Quæ, Gandauo nondum pacato, anno octogeſimo quarto ſupra milleſimum trecenteſimum, menſe Aprili, in vrbe Brugenſi, Flandriæ inaugurata fuit cum marito. Cui cognomen *Valeſij*, *Audactiſq́* (ſiue animoſi) agnomentum, & Burgundiæ Ducatus acceſſerunt; illud ab auo paterno Philippo, ex Comite Valeſij, in Regem Galliæ euecto: hoc (vt alias, quæ recitantur, cauſas ſileam) ob intrepidam in patre pugna Pictauica, defendendo, quam ne captus quidem cum illo in Anglia depoſuit, fortitudinem: *Burgundiæ Ducatum* verò, patris fratriſque regū liberalitas attribuit, quum antea Philippus *Sine terra*, dein Dux *Turonum* diceretur. Pater ſanè tabulis, die ſexta Septēbris, anno ſexageſimo tertio vltra milleſimum trecenteſimum datis; Germaniaci ad Maternam (vt lexi tabularum Latinarum vtar quātum potero) cunctis manifeſtat: *Seſe* Ducatum Burgundiæ, vt genere proximum, adeptum cupidumque gratificandi incolis, hoc petentibus, ac memorem laude dignorum officiorum, quæ Philippus chariſſimus filius quartogenitus ipſi exhibuit, ſponte expoſitus mortis periculo, impauiduſq; in acie, prope Pictauos, vulneratus, captus, detentuſq; in hoſtium poteſtatem, donare illi & concedere ſpeciali gratia, certa ſcientia, regiæq; poteſtatis plenitudine, poſſidendum per eum, eiuſque hæredes in legitimo matrimonio ex proprio corpore

procreandos,perpetuò,hæreditariè, pacificè & quietè Ducatum Burgundiæ, cum vniuerſis ſinguliſque honoribus, iuribus, reditibus, & prouentibus, quocumque nomine vocentur. *Frater* autem diplomate die ſecundo Iunij,anno ſubſequenti,dato in Lupara prope Pariſios aſſerit,ſeſe illam Burgundiæ Ducatus donationem ratá habere, laudare, approbare,& ſpeciali gratia, auctoritate regia, certaq́; ſcientia confirmare, atque concedere fratri ſuo Philippo, eiuſque ſucceſſoribus, ex ipſius corpore,recta linea,iuſtoque matrimonio progignendis: Addiditq́; beneficio,domum Burgundiæ ſitam Pariſiis in monte Genouefę. Quam narrationem, illa verborum forma & amplitudine hîc inſeruimùs,propter eam,quæ poſt Caroli Bellicoſi interitum orta eſt, & propagata, concertationē. *Burgundiones* autem, Vandelorū (teſte Plinio) partē ex Germania vltra Viſtulá oriundos, & à Burgis(quos patrio nomine & more vicatim incolebāt) quaſi *Borgwoners* denominatos eſſe,verum eſt:quum ob metum rebellionis, per Druſum extra vrbes eliminarentur, ac Alemaniam, Germaniæq́; partem, Rheno propinquam,occuparent.Deinde in Gallias, ſub Arcadio Imperatore per Stiliconē euocati,apud Heduos,Veſontinos, Lingones,Cabilonenſes,Arelatenſes,& cis vltraque Ararim fixerunt ſedes: & demum Burgundiæ regnum conſtituerunt. Sùb Burgundiæ potentia, Sabaudia, & Pedemontium fuêre comprehenſa.atque decem Regūm,& 144.regni annorum numerum impleuit. Quo titulo extincto,ad annum 1037. in Ducatùm & Comitatum Burgundia diſſiliit: hunc ad imperij ſemper, illum ad Francorum maieſtatem ſubinde reſpicientē. Porrò *Philippus* (quem Froiſſartus prudentem, cogitabūdum, minimeq́; feruidum vocat) ſocero moderatior,dexterior, populoq́; acceptior, in celebri Tornaci conuentu,

uentu, Gandenſibus ſeptennis belli obſtinationem condonauit. Oppidis Flandriæ reparandis, muniendis; arcibuſq; Cortraci, Audenardæ ac Nicuporti exſtruendis, incubuit. Curiam & conclaue rationum computandarum, Lilæ primus inſtituit: Comitatum Charoloiſi ad Burgundiæ, Borboniiq; fines à Comite Armeniaco emptum, Philippo, ex filio Ioanne, nepoti donauit. Sluuſam à Guilielmo Namurci Comite, Bethuna ipſi viciſſim conceſſa, acquiſiuit, vt arx ibi impenſis præſidioq; Gall. regis, contra Anglos excitaretur, atque muniretur. Brugenſibus frenos ſibi emporiique libertati, contra Ludouici Creſſij anno 1323. decretum, iniici obmurmurantibus. In ſciſmate illo pōtificio (de quo meminimus) adeò Clementinus fuit, ſubditiſq; in Vrbanum (cuius in fauorem extat Baldi, Iuriſperiti celeberrimi, & Ioānis Lignani, ſacri Iuriſconſulti conſilium) pronioribus, parum clemens, vt partim blanditiis, partim minis, cæde, & carcere, nobilitati inprimis, ſuam factionem induerit, præterquam Gandenſibus, vnde per omnes vrbes anxietates; per omnes ordines ſimultates; per familias diſſenſiones exortæ ſunt, & plurima templa deſtituta. Edictum anno 1401. ſanxit vtile, neceſſariumque publica in cuſtodia detentis, ne alimentis ceteriſq; rebus neceſſariis, per commētarienſes aut fraudentur, aut nimio pretio exhauriantur. E vita diſceſſit anno 1404. in itinere Galliam verſus, in qua ferè aſſiduus erat, ob nepotis Caroli ſexti regis curatelam, in oppido Hallæ, non procul Bruxella, publicoq; diuerſorio, imagine cerui inſignito: ſepultus Diuione apud Carthuſios, quos ſibi collocauerat: tomba demum ahenea, ſumptuoſa, per Philippum Bonum nepotem, exornatus: corde ad Dionyſij, regum conditoriis adiuncto: inteſtinis ad Virginis matris Hallēſis tumulatis: hoc titulo in diplomatis vſus, *Philip-*

pus filius Regis Franciæ, Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ. Erat ſtatura eminenti, muſculoſa fronte, humeris, pectore latis, facie virili, coma in humeros, vt tũc moris, diffuſa, barbaq́; raſa, nigris oculis magnis ceſiiſq́;, naſo aquilino, ore paulliſper patulo; moribus, victuq́;, temperatus, affabilis, prouidus; latronibus & graſſatoribus inexorabilis; ingenioſus tributorũ exactor. Tanta tamen æris alieni magnitudine (licet ampliſſimum regnum adminiſtraſſet ſui nepotis) vt Margarita, per quam ſolam ferè ad Reginam aditus erat, quum marito iuſta Atrebati perſolueret, ne viri debitis obnoxia eſſet, omnibus mariti mobilibus bonis renunciauerit; neque erubuerit in ceſſionis ſignum, zonam, crumenam, claueſq́; coram tabellione, ſolemniter feretro eius ſuperponere; quod ipſum poſt vndecim annos, Bona Henrici principis Bari filia, & Walerami Sanpaulini Comitis vidua imitata eſt; quo facto ſiſtitur vſurarum, ſortiſque curſus, donec creditores (quibus nullum niſi in mobilia bona ius) de commodis, certiſq́; ſolutionis terminis tranſigant, cum debitoribus animi iuſti atque generoſi. Altero poſt maritũ anno, Atrebati oppreſſa eſt apoplexi, certè morte ſubita ac inopinata; quando eius in Flandriam reditus auidè expectabatur. Apud patris monumentum Lilæ ſepulta eſt; quum principatus viginti & vnum, ætatis quinquaginta ſex annos exegiſſet: peculiari ſigillo ſecretarioq́; vſa, in omnibus tabulis publicis, pacificationes, priuilegia, & huiuſmodi perpetuam vim effectumq́; promittentia, ſignantibus. Quam Froiſſartus verè dominã vocat, & cui maritus blandiretur, quæq́; amicitias & inimicitias paternas conſtanter gerebat, atque vehementer. Peperit illuſtrem ſobolem liberorum. Ex quibus, Ioannes vtramque Burgundiam, Flandriam, Arteſiamque; Antonius Brabãtiam integram cum Limburgo,

burgo,ceteraq; ditione Tráſmoſana adiit: addictam patre procurante, tã à Brabantiæ Ordinibus,quàm à matertera magna Ioána, quæ terris ad ſuperos anno 1406. abſque liberis exceſſit: Philippus Niuernium, cum Rethelio, ex patris matriſque diuiſione, adeptus eſt: vterque tam Brabantinus quàm Niuernius amorem ſuum erga regnum Galliæ auitum, contra Anglos in prælio Azincurtio, morte ſua oppignorantes. Factumq; eſt ea partitione, vt Niuernij Retheliique ditiones, quæ centum & quinquaginta annis Flandriæ adhæſerant, ab illa deinceps diuulſæ permanſerint. Niuernio demum, ad Engelbertum à Cliuia, affluente (eiuſque poſteros) per matrem Iſabellá, Philippi Niuernij, cuius iam meminimus, proneptem. Ex filiabus, Margarita, Guilielmo Bauaro, Hannoniæ, Hollandiæq; Comiti: Catharina Leopoldo Superbo Auſtriæ: Maria Amadeo Sabaudiæ Duci (à Synodo Baſilieſi poſtea in Papam Felicem quintum electo) enupſerunt. Aliquot ante Margaritæ obitum menſibus octo ad Ooſtendam, & vnius ad Dunkercam incredibili magnitudine in littore captarum balenarum prodigium, ſubſecuta fuit tanta maris inundatio, ac detrimentum ad eum præſertim tractum qui à Sluuſa ad Saftingam ferè vſque mari prætexitur, vt maioris Flandria vix meminerit: Oceano per tria miliaria implente omnia, homineſq; & alia animantia extinguente, tumuloſque arenarios natura obiectos, cunctaq; ſepta interrumpente, menſe Nouembri: declinante enim Autumno, & aduentante vere, ſimilium tempeſtatum furia ebullire ſueuit: vndas nimirum per Circium (ſub plenilunium) aliquamdiu vehementem, ab Hiſpano vſque littore, in noſtrum mare adductas, Borea in nos furiosè intorquente, & ſupra omnia obſtacula extollente. Anteaque, circiter initium Aprilis, ventus ex Septemtrione tanta

tanta vehementia, algoreque omnia virentia depaſcebatur, vt fructuum arboreorum inuſitata inopia, hominum omnis ordinis, ſexuſq; moleſtiſſima tuſſis & raucedo, vaccarumq; fœtoſarum, miſero cum gemitu, interitus, paſſim exaudiretur. Cerèrum in Margarita tertia, viri mobilibus bonis ritè palamque cedēte, ſpectamus, ante pudorem faſtumque fuiſſe, iuris moriſque patrij obſeruantiam, imitantem hæc aurea Theodoſij Auguſti verba: *Digna vox eſt, maieſtate regnantis, legibus alligatū ſe Principem fateri: adeò de auctoritate iuris, noſtra pendet auctoritas: nam maius imperio eſt, ſubmittere legibus Principatum.* In Philippo marito eius amplectimur pietatem, fidemq; intrepidam erga patrem, earumq; virtutum luculētam remunerationem. Sic *Ranimirus*, ob nouercæ pudicitiam, innocentiamq; oblato duello defenſam, eximium decus, & Arragoniam cum titulo regio conſecutus eſt: deníque videmus aëris mariſque præſagia non eſſe temerè irridenda; quemadmodū tot euentus (prognoſticorum aut filij, aut diſcipuli) vt proſpiciamus, oſtendunt.

Sub iis commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Iacobus *Trimolius*, Ioannes *Molla*, Rolandus *Spira*, Ioannes *Cabeliauus*, *N. Blanchardus*, *N. Columna*, ob Audenardam Gandenſibus ereptam, ductore Arnulpho *Schoriſtiæ* domino, Richardus *Berſtanus*, Iacobus *Viſchus*, Iudocus *Veyſa*, *B*alduinus *Crana*, Theodericus *Leiſela*, ob equeſt. ord. & præfecturam cingendæ Feurnæ muris lateritiis. Nicolaus *Vtēhouius*, Ioannes *Varſenarius*, ob equeſt. ord. & in prælio Nicopolitano apud Turcos captiuitatem. Ludouicus & Ioannes *Flandrij*, Ioannes *Caſantius*, Rolādus *Hauwelus*, ob equeſt. ord. mortemque in prælio Nicopolitano. Philippus *Zedelgemus*, Monfrandus *Eſenenſis*, Philippus *Beukemarius*, ob equeſt.

equeſt. ord. ſcabinatum terræ Francæ, & ſubſignationem,nomine terræ Francæ,pacificationis Tornacenſis,initæ cum Gandenſibus. Ioannes *Ghiſtelanus*, Harnenſis,Henricus *Beueranus*,Dixmudenſis, Ioannes *Gruthuſius*, Grembergenſis,Arnulphus *Gauerus*, Schoriſſius, Philippus *Axellenſis* , Gerardus *Reſſegemius* , Baſſerodius, Philippus *Maſſemaus* , Ekanus, Ioannes *Vilainus*,Sant Ioannius ad lapidem,Ludouicus *Boularēſis*,ob equeſt.ord.eiuſdem pacis ſubſignationem,aſſcriptoſq; dominatus. Ioannes *Outrius*, ob equeſt.ord. & Ypræ Burggrauiatum.Petrus *Zipa*,ob equeſt. ord. munuſq; præſidis in concilio Principis Lilæ erecto. Ioannes *Heyla*, ob equeſt.ord.præclaram operam in Gandenſibus ad pacem inducendis,mortemq; in carcere propter fauorem in Vrbanum Papam. Iacobus *Scutelarius*, ob magnum baliuagium Gandenſe. Ioannes *Valkurius* , ob præfecturam Brugenſem. Iacobus *Lichteruelduis*, ob Coolſcampi dominatum , munus Souuerani bailiui , exiliumque à Gandenſibus indictum, propter ciuem Gandenſem contra vrbis priuilegia decollatum.

IOANNES DIGEONIVS.

IOANNES, DIGEONE Burgundiæ (quam *Diuionem* Latini vocant) locum natalem, à Ioanne Biturigũ Duce patruo, & proauia Margarita , Malani matre , luſtralis aquæ teſtibus ſponſoribuſq; , nomen adeptus eſt, ad annum 1371. in quem etiam Ludouici Aureliani Ducis,fatalis natalis incidit. Ante parentũ mortem , Niuernij Comes nuncupabatur , ſubſidiario Gallorum exercitui (contra Baiazeten Turcũ, Hungariæ imminẽtem) in quo Froiſſartus duo nobilium iuuenum milia fuiſſe refert , præfectus : quum nondum ætatis annum vigeſimum quintum expleuiſſet,

tam

tam infortunatè, vt in conflictu ad Nicopolim Meſiæ monumentum Traiani de Dacis, auidiùs ſuperbiuſque, quàm prudentiùs, aut ex conſilio Sigiſmundi Hungariæ Meſiæque Regis inchoato, ad annum 1396. captus ſit, cum quibuſdam proceribus, ceteris immaniter trucidatis: Philippo Vgellæ Comite Gal. Coneſtabile, primam aciem Hungaris temerè curſimq; præripiente, ſuiſque iubente, vt equis deſilirēt, pediteſq; pugnarent: equi autem abſque inſeſſoribus in caſtra recurrētes, Hungaros pauore fugaq; impleuerunt. Maximi beneficij loco habuit, viliſſimo carceri Byſiæ includi compeditum, & demum pro ſua, ſociorumq; optimatiū, in quibus Vgellanus Coneſtabilis, Trimolius, Counchyus, Marchianus, Barenſis, eminebant, redemptione, ducentis ducatorum aureorum milibus liberari: induſtria imprimis Iacobi Hellij, equitis Arteſij (qui Baiazetho victori antea inſeruierat, neque non Gilberti Lewergemi equitis Flandri, à patre ipſius legati, atque ſponſione mercatorum, in quibus Dinus Rappondius Brugenſis ciuis Luca oriundus, ſtrenuæ operæ laudem acquirebat, Gandenſibus quinquaginta florenorum milia gratuitò ſuppeditantibus, ceteriſque Flandris munificè largientibus. Rappondius verò per Pologrinum Genuenſem, in inſula Chio negociantem, Turciſq; gratum, procurauit, vt & de redemptionis pretio conueniretur, & Baiazethi miniſtris ſolueretur, reddēdum per Ioannem Principē Venetiis: quò ille Byzia Thraciæ, & ex aula Turcica, per Mitylenem, Rhodum, Cephaloniam incolumis peruenit: & demum vbiq; honoratus, domum rediit: magnumq; momentum attulit, vt Rex Gall. paterq; ad tollendū ſciſma Pontificium propenderent: quum ſeriò oſtēdiſſet, quanto ludibrio, propter eam diſtractionem, Chriſtiana religio apud Turcos exponeretur. Additur ab annalibus,

libus,ad Ioannem heci eximendum, inprimis contuliſſe quendam phyſiognomũ, Baiazethi familiarem, qui captiuum Ioannem diligenter cõtemplatus, Imperatori auctor fuit atque ſuaſor, vt eum dimitteret incolumem: Fore enim, vt domum reuerſus, maximum incẽdium excitaret, quo magna pars Chriſtiani orbis deflagraret. Quum ad principatũ anno quadringenteſimo quinto ſupra milleſimum peruenit, animi ingens, pace & bello inſignis fuit, Flandriſque charus: tum ob comitatem indulgentiamque, qua in Flandria domicilium elegerat, & cis Lizanam curiam, lingua Teutonica ius dicturam, ſuper controuerſiis ad ipſius dignitatem ſuperiorem reſpicientibus, ſe fixurum addixerat: tum quòd inter aſſidua Franciæ, Angliæque bella, vtriuſque regni commercia Flandris impetrauerit, multaque multis oppidis priuilegia profuderit: largitionum ſumptuumq; immodicus, & peculij in Flandria, canoniſq; dominici diſſipator. Auctor fuit alterius arcis ad Sluuſam excitandæ, quæ priori caſtello à Francis inſeſſo obniteretur, ſi portus Zuini libertatem impedire conaretur. Cæſarem Sigiſmondum ex Anglia, per Flandriam in Germaniam, ſynodumque Conſtantienſem reuertentem anno 1416. regificè excepit, eiq; fidem præſtitit, de Burgundiæ, Aloſtique Comitatibus. Ceterùm, præmeditato eius iuſſu, occiſo Ludouico, Aureliani Duce, Caroli ſexti regis fratre, ſementem iecit longiſſimi & funeſtiſſimi, inter Francicam Burgundicamque regias, odij atque belli: quum antea ignitabulum, ſilicem feriens, ignemque eliciens, pro ſymbolo ominosè arripuiſſet: & ad iſtam, ab Aurelianenſi, ex luſu aleæ ſumptam publicatamq; vocem *Mitto*, ipſe viciſſim vſurpaſſet *Accipio*, ac vterque eas pugnantes teſſeras, lancearum ſuarum ſupparis, & verſicoloribus militum ſagulis, inſcripſiſſet; ſed vtinam

nam, vt in ludo pilę, alter candidè miſiſſet, alter commodè excepiſſet: neque ludus pilæ rotúdæ, in luctum pili acuti cruentiſſimè tranſiiſſet. Quod cædis facinus hoc modo geſtum. Rauletus Antouilla, & Guilielmus Courteheuſus, Normani (priuata in Aurelianenſem maleuolentia impulſi) Ioannes Motta, aliique percurſores circiter octodecim, auctore Burgundo, conſpirabundi, Lutetiæ Pariſiorum ex ædibus Tornelliis reginæ puerperæ (ſubmiſſo, & accerſente Thoma Courteheuſo, regio cubiculario, quaſi regis mandato) Ludouicum doloſè euocarunt, atq; ſecurè in aulam feſtinantem cum ſeptem domeſticis tunc comitantibus, quamuis amplus in vrbe equitatus, eius nutum obſeruaret, hora ſeptima veſpertina vigeſimo primo die Nouembris, anno quadringenteſimo ſeptimo vltra milleſimum, ex inſidiis cauponaque proſilientes mulo deiecerunt, vociferantem, Quid agitis? Aurelianenſis ſum, non Burgundio: atque pugno ſiniſtro abſciſſo, cerebroq; in terram effuſo, miſerrimè interemerunt, extinctis priùs, ne agnoſcerétur, funalibus eius prælucentibus: cunctique fuga & latebris periculũ ſuſpicionemq; declinarũt. Poſtridie, quum Andegaui Biturigumq; Duces, patrui cum Borbonio aliiſq; principibus conueniſſent ad funus, tum vt illud pro more plangerent, tum vt de ſicariis anquirerent, Ioannes tanta confidentia fuit, vt illis aſſederit, tanquam vnà quæſitor, vindexque futurus: cæſiq; corpus ad ſepulturam intrepidè comitatus eſt, pannumque lugubrem ex capulo defluentem vnà cum patruis Borbonioq;, manu tenuit ſolemniter, nulloq; ſigno vllam ſuſpicandi cauſam præbuit. Verùm vrgente conſcientia, & quod necis coniectura in alios, præſertim Albertum Cannyum, Varennæ in Flandria dominum, cui Aurelianenſis vxorem Lutetiæ abduxerat, apprehenſum; at inſontem

tem

tem propenderet, Ioannes poſt tertium homicidij dié, iis, quos dixi, vtriuſque patruis, ſe auctorem cædis eſt profeſſus, perq; Dionyſij portam, cum paucis, celerrimè Atrebatum ſe proripuit: tam obſtinatus, vt quum vnicum Regis fratrem, ſuum fratrem patruelem, neque proſcriptum, neque reipub. hoſtem iudicatum, è medio per inſidias ſuſtuliſſet, non cædis veniam, ſed honorem præmiumque expetere auſus ſit, coram Delphino, Andegaui, Biturigum, Britanniæ, Lotharingiæ Ducibus, Cardinale Bario, multis Comitibus proceribuſque, & Rectore ac Doctoribus Academiæ Pariſienſis, ciuibuſq; primariis: Theologis etiam, præſertim Ioanne Petito, Franciſcano doctore, cauſam eius & pertinaciam in cœtu illo nobiliſſimo tuentibus, atque manes Aurelianẽſis. per veneficia, præſtigiaſque appetiti regni arceſſentibus: exempliſque Zambri per Phineam, Holofernis per Iuditham, Siſaræ per Iahelé, imò Ægypti per Moyſen, abſque mandato Dei aut Magiſtratus, laudatè occiſorum, illam cædem à crimine purgantibus, vtilemq; reipub. & neceſſariam affirmantibus, ſuaſque theſes perſuadentibus cõcilio Conſtantienſi: quamuis illas Theologi Pariſienſes publicis flammis inieciſſent. Quo in concilio Digeonius per inimicos, à Gerſone Theologo adiutos, hæreſeos poſtulatus, ea ſe calumnia extricuit. Verùm paterna propriaq;, ob regni Franciæ procurationem, æmulatione in Aurelianenſem accenſus, criminatoribus, occultè in viſcera penetrantibus, aliiſque odij fomitibus indulſit: partim quòd ab illo vilibus agnomentis, colaphoq; ante patris obitum (vt quidam ſcribunt) inflicto, dehoneſtatus eſſet, eiuſque inuidia & artibus, ab ingẽti obſidendi Caliſij apparatu auocatus: partim quod perſuaderetur, ſibi clàm ſicarios à Ludouico fuiſſe ſubornatos: partim quòd ille, in libidinem proiectiſ-

ſimus, Ioannis vxorem formoſam, non contaminaſſet quidem, recuſantem, minantemq́;, ſed attentaſſet, dum in palatio regio, choreis nocturnis indulgeretur. Porrò Aurelianenſis Ducis cędes (quamuis à Rege fratre, ſigillatis tabulis, condonata) nullis abolitionibus & tranſactionibus, ſexies renouatis, Carnotenſi inprimis (vbi reus amneſtiam, pacem ac beneuolentiam à fratre liberiſque cęſi principis ſolemniter exorauit) neque alio modo, quàm pari Digeonij nece expiari potuit: quæ ita ſeſe habuit. Ob illam cædem pertinaciamque & ambitioné, Ioannes non Aurelios ſolummodo Ludouici filios, verumetiam alios proceres offenderat: inter quos Bernardus Armeniaci Comes, regni Coneſtabilis, eminebat: qué Pariſienſes cum Marlio Cancellario, multiſque regiis officiariis, quatuor Epiſcopis, & Granpreæ Comite, ac ferè ter mille viris, nobilitate aut dignitate illuſtribus, interfecerunt: crucem Andreanam, Burgundi ſymbolũ, decuſſatim aſſuti: Cædem tam crudelem Digeonio, in cuius fauorem facta erat, neque præſciente, neque approbante, vt fertur: quòd ſatius fuiſſe diceret, ſi illorum apprehenſione contenti, nece abſtinuiſſent: nam in ea moderatione, ſolidiori & faciliori paci, aut amicis ex hoſtium manu liberãdis, in cæde tam atroci, perpetuæ inuidiæ vltioniq́;, viam fuiſſe patefactam. Propenſionem autem in Burgundum Pariſienſes non aperuere, niſi confirmati præſentia, copiiſque equeſtribus Vilerſi Liladami, Burgundo militantis, eiuſque (ex Barenſi, Bornouilla, & Mallia nobilitate) ſociorum. Quem Liladamũ circiter quadringenti, Pariſiis coniurati, euocarũt Pontoiſa, & per Petrum Clericum, perq́; portam S. Germani. Pratenſis, noctu Lutetiæ intromiſerunt cum equitibus octingentis, atque reliquos ciues (acclamata pace & Burgundia) ſtatim ſibi adiunxerũt, Taneguio

neguio Chaſtelleto, Pariſiorum præfecto, portã molemq́; Antoninam occupante, & per illam, Carolum Delphinum, ſeq́; ipſum emittente. Immani illo odio in Armeniacos (ſic enim factio Aurelianenſis vocabatur) erumpente, quòd armis repudiaſſent pacem in conuentu Monſtrolienſi ſancitam, ab Vrſino, & D. Marci Cardinalibus, Martini quinti Papæ legatis electiſq́; vtrimque arbitris: Per quã decreta fuit omnis iniuriæ odiiq́ue perpetua obliuio, & pronunciatum, vt quamdiu Rex Carolus ſextus viueret, Burgundus cum Ludouico Delphino genero, regnũ adminiſtraret: quod aduerſarios maximè pupugit. Qua animi exulceratione, & cæde illa Pariſienſi efferati, reliqui Armeniacarum partium, cum altero Delphino (cui Carolo ſeptimo Regi poſtea nomẽ fuit) conſpirarunt: In quibus erant Robertus Machon, Delphini Cancellarius, Ioannes Vicecomes Narbonenſis, Louetus Prouinciæ præſes, Tanegyus Chaſtelletus Brito, Lutetiæ præfectura à Burgundica factione deiectus. Effeceruntq́; per Delphini frequentes literas preceſq́ue, vt Ioannes Monſtrolium, ad Yonnæ & Sequanæ confluentes, veniret, conſiliis cum Delphino capiendis, ad Anglos Gallia expellẽdos. Ioannis autem ſecuritatem augebant iuramenta in manibus Romani legati (ſuper crucẽ Chriſti, ſanctumq́; Euangelium, ſub verbo Principis, ſuę nobilitatis, ſub parte ſua ſperatæ æternæ ſalutis; ſic enim annales loquuntur) præſtita, atque repetita: quodq́; in arrabonem ſinceræ pacis, ſacroſanctum Euchariſtiæ panem ad aram coniunctim ediſſent, & quòd arx Monſtrolienſis, ipſius Ioannis poteſtati committeretur; ingenſq́ue erat ab Anglis in foribus periculum. Verùm quum Burgundus in ponte Monſtrolienſi, ad colloquium deſignato, per apertã interſtitij portulam introiiſſet, admonitus, rogatuſq́; ciuiliſſimè à Delphi-
 nicis

nicis vt tranſiret, venerabundus, alteroq́; genu ante Delphinum innixus, dixit: Se veniſſe vt obtemperaret, conſiliumq́; & operam cõmunicaret ad Anglos regno eiiciendos: Ibi Delphinus, Haud eſſes, inquit, belle cognate, probus Abbas: Non enim bene tenes conuentum: nam præſidia ex pacto, vnde debueras, nondum emiſiſti: quum verò Ioannes culpam à ſe amoueret, mox alter, Mentiris, ait, ſcelerate, tergũq́; obuertit, & ex compoſito hæc verba (*Tẽpus eſt*) exclamauit. Tunc Taneguyus Chaſtelletus (vt noſtri annales referunt, quòd tamen ille ſemper pernegauit) aut quicunque is fuit, parua ſecuri, quam ſub veſte celarat, in faciem Ioannem feriit à ſyncipite aberrans, trepidus, mentumq́; abſcidit, ac eo ictu ſubcidentem, ſed in pedes ſe erigere, gladiumq́; ad defenſionem educere nitentem, Oliuerius Layettus, Petrus Frottierus, aliiq́; adiutantes, mactauere; ventrem eius, vt etiam inteſtina exilierint, ferientes; corpuſq́; exanime per cruentum ſolum ſemel atque iterum traxere, toga & tunica exuerunt, annulos, præſciſſis digitis abripientes, Delphino inſpectante, nudumq́; interim gladium tenente, & tandem in hæc verba, *Puto illum ſat habere*, funeſto epiphonemate, prorumpente. Corpus, dum totam noctem ibi iacuiſſet, poſtridie Monſtrolij, in matris Virginis ante arã memoriæ D. Ludouici ſacram, raptim cum thorace, ocreiſq́; tumulatum eſt: homicidis arcem ibi, annonæ defenſioniſq́; vacuam, deditamq́ue, vnà cũ Ioannis aureo torque æſtimatiſſimo, veſtibuſq́ue magni precij, vendicantibus: at literas eius arcanas, quæ per familiares, audita cæde, conſultò, tempeſtiueq́; conflagrarant, nõ conſecutis. Ex decem proceribus cum Petro Sequino ſecretario, illum ad Delphinum deducentibus (ſic enim vtrimque conuenerat) clauſuraſq́; quaſdam in ponte fraudi appoſitas & indicatas

expa-

expauẽtem, ſincerè animantibus ad ingreſſum, vnaque introeuntibus (quibus à Borbonio, Friburgo, Foixo, Vienna, Montaguo, Vergya, Pontaliera, Lenſo, Giaco cognomen erat) Theobaldus Montaguus, ſuperato mirabili agilitate vtroque pontis repagulo, poſt cædem Ducis euaſerat: ceteris; præter Archinbaldum Foixeum, vnà peremptum, quum protegendo Principi ſuperincumbit; in cuſtodiam coniectis: atque rem geſtam conſpectamque, Pariſiis alibique denunciauit, & contrariis Delphini literis fidem ademit. Sic ille periit, anno milleſimo quadringenteſimo, & decimo nono, decimo Septẽbris die, qui Dominicus erat, decimo quinto regni anno, apud monumentum patris, altero pòſt anno ſepultus: infallibili Dei iudicio, ſenſus ipſius tunc hebetantis, atque conſilia corrumpentis: certè incredibilibus Galliæ ac Delphini calamitatibus. Vxorem reliquit gemebundam, quam Cameraci decimumquartum ætatis annum agens, vt pubeſcentis ardor temperaretur, duxerat maxima nobilitatis frequentia, lætitiaque: quòd ſoceri Alberti Bauari, Ludouico quarto Cæſare geniti, Hannoniæ, Hollandiæque Comitis, filius Gulielmus, Ioannis ſorori, eodem die cõiungeretur: præſente Rege Carolo ſexto: vbi notatum fuit ambas ſponſas, ambaſque eorum matres fuiſſe Margaritas denominatas. Fuit ſtatura mediocri, robuſta; comæ demiſſæ, barbæ detonſæ, vultuſque colore paterno, fronte anguſta, oculis paruis, ceſiis, ferocibus: naſo oblongo, ore nonnihil patulo, ingenio inquieto, audaci, vindictæ auido, ad liberalitatem magis quàm ad Dei cultum propenſo. Ex illo matrimonio liberos multos ſuſcepit, Philippum virilis ſtirpis vnicum, Charoloiſi Comitem: Margaritam priùs Ludouico Caroli ſexti Regis primigenio, eiuſq; à morte, Arturo Richemondæ Comiti, Britanniæ Ducis

S 3 fra-

fratri, hæredíque: Iſabellam Britanni filio, Comiti Pontiberæ: Annam Bedfordiæ Duci Anglo, ſteriliter coniugatas: Catharinam à ſponſo Renato Andegauenſi, ob factiones Aurelianas repudiatā, quæ Gandaui cælebs obiit: Mariam Adulpho Cliuiæ primo Duci, vnde Ioannes Dux, & Adulphus Raueſteynæ regulus, ſeptemque filiæ prodierunt: & Agnetem, Carolo Borbonij Principi, ex quo filios quinque, totidemq́; filias peperit, nuptiis coniunctas. Nothorum eius filiorum, Ioannes Cameraci principatu epiſcopali, & Guydus Crubecæ dominus, militari laude inclaruerunt. Pelliceſq́; aluit, & inter eas præcipuam Giaci, de quo meminimus, vxorem. Diſcimus hîc, primò atrocibus principum facinoribus velamenta, patrocinia, & demum ſupplicia non deeſſe, faſcinatorum per adulationis artifices, laudationis fabros, figulos falſitatis, qui faciunt *Candida de nigris, & de candentibus atra*, deterrima principatus inſtrumenta: quod plurimorum Principum funeſti conſultores, prætextus, exituſq́; declarant. Neque enim frequenter Calliſthenem, aut Papinianū, aut Helpidium inuenias: qui vita aut dignitate exui, quàm principum ſuorum ſcelera excuſare maluerunt: Deinde videmus prædictiones eorum, qui ſe profitentur ex manuum lineis, oculis, vultu, fronte hominum mores, naturaſque pernoſcere, licet ſæpiùs Principibus infidas, ſperantibus fallaces, ſubinde eſſe affines veritati. Quod in hoc viro, & olim ex Trogi, ſeueriſſimi, vt Plinius cenſet, auctoris, Adamantiiq́; documentis: & auorum memoria, ex Tricaſſi Mantuani, Tiberti Ceſenatis, Coclitiſque Bononienſis quotidianis experimentis perſpectum eſt.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Rudolphus *Flandrius*, Ludouicus *Ghiſtelanus*, Rolandus *Gruthuſius*, Philippus *Grach-*

Grachtius, Perceuallis *Rikeburgius*, Philippus *Liedekercanus*, Leonellus *Maldegemius*, Ioannes *Noyella*, Ioannes *Sconeueldius*, Reynoldus *Gribouallius*, Ioannes *Bellanus*, ob fortitudinem necemque in prælio Azincurtio contra Anglos. Victor *Rabecanus*, Robertus *Maſſemæus*, Henricus *Dixmudanus*, Rolādus *uvtkercanus*, ob militiam in Anglos illuſtrem. Ioannes *Vilainus*, Guiſcardus *Burchius*, Brunellus *Tempſecanus*, Ioannes *Capellius*, Rolādus *Motanus*, ob præſtantem virtutē in bello Leodienſi. Victor *Aertricanus*, Nicolaus *Barbeſanus*, Sigerus *Wallius*, ob rempubl. Brugenſem vtiliter geſtam, indictumque exilium à Principe ſuſpicaci. Albertus *Cannyus*, ob Varennæ dominium, vxoremq; à Ludouico Aureliani Duce adulteratam. Thillo *Moerbecanus*, ob equeſt. ord. & munus conſiliarij Principis. Guilielmus *Stauelanus*, ob Burggrauiatum Feurnæ, ſedataſque ibi turbas. Ioannes *Viſchius*, Capellenſis, Monfrandus *Eſenenſis*, Victor *Zickela*, Balduinus *Voſſus*, Pollarenſis, Ioannes *Bellanus*, Boeſingenſis, ob equeſt, ord. aſſcriptas dynaſtias, & Flandriæ tranſportum Audenburgi renouatum.

PHILIPPVS BONVS.

PHILIPPVS, ab auo nomen, Diuione locum genitalem, & à morum facilitate, Boni agnomen adeptus, quum patris cędem Gandaui, vbi ab octauo ætatis anno pueritiam cum matre tranſegit, intellexiſſet; abrepto iracundè capiti pileo, ad aſtantes conuerſus, O amici, ait, vt miſerandam patris necem vlciſcar, me adiuuate: & quum in cubiculum ſeceſſiſſet, ingenti quidem luctu ad vxorem, quam ætatis anno decimoquinto duxerat, Caroli ſexti Regis filiam, Domina, inquit, Michaëlis, frater tuus patrem meum occidit; ſed hac de cauſa

nihil ex mutuo coniugij amore ipſis deceſſit. Coniux enim ſoceri necem, fratriſq; ſcelus tanto eiulatu mœſtitiaq; deflebat, vt vir eam (ne luctui ſuccumberet) ſolari cogeretur. At quum in iis quæ patri apparatiſſimè Atrebati faciebat, iuſtis, cócionator Floræus illum publicè hortaretur, vt Deo ſoli vindictam permitteret, dicenti: *Mihi vindictã, & ego retribuam*, nobiles vltionis auidi, eam Dei vocem non auſi repudiare, ſic explicabant, vt contenderẽt, Deum vindictam velle retribuere per brachium Philippi filij, atque ſucceſſoris: qui & ipſe in patris iniuria contumeliam læſionemq; acceperat, & necem patris, cæde interfectoris expiare iure tenebatur: quam Philippus procerum inclinationem ac interpretationẽ, ſuumq; dolorem ſecutus, ſe totum implicuit patri vlciſcendo. Monſtrolium, vbi pater cęſus erat, obſeſſum, ope Anglorum cepit, incẽdio abſtinuit: quòd vacare oppidũ culpa diceret: corpus patris cum thorace ocreiſque terræ iniectum, multis lacrymis omnium aſtantium exhumauit, Diuionemq; ad Carthuſios ſplendidè tranſmiſit. Et quum totus vindicando patri ſtuderet, Carolo ſexto regi ſocero perſuaſit, vt ſecũ fœdus cum Henrico quinto Angliæ Rege iniret, filiamque Catharinam illi ambienti in vxorem daret, & in illos legitimoſq; eorum liberos, Salica legẽ neglecta, ius regni transferret, filio Carolo Delphino, velut ſicario, periuro, & inteſtabili, abdicato: eoq; pacto, ſeſe ab Anglorum infeſtiſſimis armis, & regnum à tantæ perfidiæ infamia eriperet. Sic Carolus Delphinus ad menſam marmoream ter ritè citatus, quum iudicij diem non obiiſſet, paterno regno indignus in Curia Pariſienſi iudicatus eſt: Galliis in deplorabilem mutationem perniciemq; tunc irruentibus: donec Philippus fœdere Anglorum diſſuto, ſedecim annorum vindictam tranſactione finiret: partim commotus

quorun-

quorundam Anglorum arrogantia diffidentiaq́;, & iniuriis Hunfridi Ducis Cloceſtrij, Iacobam Bauaram Hannoniæ Hollandiæq́; principem (cuius proximus hæres Philippus erat) à marito Ioanne Brabantiæ Duce diuertentem, in ſuum thorũ recipientis: partim tot Francię, originis ſuæ, exitiis mitigatus, partim Caroli veniá paternæ cædis aſſiduè obſecrantis precibus fatigatus. Quæ res atque reconciliatio hoc modo geſta eſt. Quum anno trigeſimo quinto, menſe Septembri, poſt milleſimum quadringenteſimum, Angli celeberrimum Atrebati conuentum, in quo ſupra decem equorum milia fuiſſe narrat Monſtreletus, omni ſpe pacis deſtituiſſent, quia poſſeſſione tituloq́; regni Franciæ neutiquam cedere volebant, ad Philippum iam delinitum; cui aderant Arnoldus Geldrię Dux, Naſſauij, Vaudemontij, Niũernij, Stampæ, Sanpauli, Lignij, Falcobergæ Comites; in æde D. Vedaſti acceſſerũt, Carolus Borbonij Dux, Arturus, regni Coneſtabilis, Richemondæ; Ludouicus, magnus magiſter regiæ domus, Vendomij Principes, cum Rhemorum Archiepiſcopo Cancellario, Fayetta Mareſchalco regni, & Adamo Cameraceno, curiæ Pariſienſis primo præſide: Eiuſq́ue ad pedes, in genua palàm procumbentes, nomine Caroli Regis orarunt, vt parentis ſui cædem ei remittat, profitẽti ſeſe id facinus, imperitia adoleſcentiæ, & improborum ſuaſu deſignaſſe, ac dolere iam grauiſſimè, quòd ita accidiſſet, & niſi factum eſſet, ne vnquam fieret, omni ope annixurum. Ad haſce ſupplicationes demiſſioneſq́; Philippus illacrymatus, pronunciauit, ſeſe omnem iniuriam condonare, tum propter venerationem mortis paſſioniſq́; Domini noſtri Ieſu Chriſti: tum quia populi Gallici miſericordia eum caperet; tum etiam vt concilij Baſilienſis & Papæ, & Chriſtianorum principum monitis morem gereret:

qui merebantur, vt hoc ab ſe impetrarent. Pepigitq́; multas conditiones, quibus partim memoriæ honoriq́; patris ſui, per aras piaculares delubraq́;, Crucem in ponte cæde polluto, perpetuò figendam, cunctoſque cædis conſcios capitis damnãdos, aut pace æternùm excludendos, ſatisfecit; partim finium ſuorum, ampliationi immunitatiq́; conſuluit: Comitatibus Matiſconenſi, Auxerrenſi, Sangangone, Baro Sequanico, cunctisq́; eorum appendicibus, Philippo, eiuſq́; hæredibus vtriuſuis ſexus attributis, cũ iuribus omnibus regalibus & emolumentis, Langrorum, Autunorum, Chalonenſium; qui Lingones, Hedui, Cabilonenſes fuiſſe perhibentur: Boloniæ principatus illi poſteriſque eius maſculis conceſſus eſt, cum Perona, Mondiderio, Roya, acceſſoriiſque. Ad hæc Quintinopolis, Corbeia, Ambianum, Abbeuilla, cum toto Comitatu Pontiuenſi, aliiſq́; locis, cis vltraq́; Somonam, Philippo, eiuſq́; ſucceſſoribus ceſſerunt, donec quadringentis aureorum ſcutatorũ milibus luerentur. Vt denique Ducis clientibus, Regi militaturis, gerere vbique liceat crucem Andreanam, & Philippus, quãdiu vixerit, ab omni homagio & reſortitione eximatur. Quæ pacificatio, apud Monſtreletum latiùs enarrata, vt iudicio humano honeſtiùs conficeretur, Philippus per Albergatum, S. Crucis Cardinalem, Comitiorum illorum Præſidem, Romanique Pontificis legatũ, ſolutus eſt omni nexu iuriſiurandi, pacti, fœderiſque, quo Anglis priùs obſtringebatur: quorum nihilominus offenſionem & exprobrationem diutiſſimè ſuſtinuit. Ac quò ſinceritatem pacati animi Gallis aſſereret, per Vilerſum Liladami comarchum, de quo antè dictum eſt, Pariſienſibus partes Burgundicas ad portam Iacobæam perſuadẽtem, ſimulq́; ingreſſum armata manu, ab Anglis ad Carolum, eam vrbẽ tranſtulit. Limites ſuos potentiamq́;
non

non ſolùm illis pactis, verumetiam tum emptionibus,tum maximè ſucceſſionibus tantopere auxit, vt meritò ceu præcipuus Belgici imperij architectus, perhibeatur. Flandriam, Arteſiamq́; & Mechliniam à patre adeptus eſt. Namurci principatum à Ioanne conſanguineo,cui nulla ſoboles erat, ita conueniente,vt quamdiu viueret, ea ditione tituloq́; frueretur, coëmptum, cœpit anno 1428. poſſidere. Caſletum, eiuſque Caſtellaniam octo poſt annos à Renato Andegauenſi, Bari Principe in captiuitatis redemptionem recepit,eiuſq́; Cancellarius Nicolaus Raulinus Aimeriæ luculentam comarchiam,pro tranſactionis hoſtimento. Brabantiæ, Limburgi,annexæq́; regionis Tranſmoſanę,cum S. Imperij Marchionatu,ſucceſſionem, morte Philippi patruelis anno 1430. eſt conſecutus,Ordinum Brabantiæ ſuffragiis:quamuis Margarita eius amita, Guilielmi Bauari Hannoniæ Hollandiæq́; Comitis vidua obniteretur,diceretque ſe,vt gradu,ita iure priorem: ſed Ioannis, patris Philippi,ſtipulationi, cautioniq́; ſuccubuit: qui non aliter Antonio minori fratri, illam materteræ magnæ hæreditatem aſſcribi aſſenſerat,quàm vt ſuam ad ſobolem perueniret, ſi Antonius, eiuſq́; liberi abſque prole decederent. Hannoniam,Hollandiam, Zelandiam, Friſiamq́; ex hæreditate Iacobæ conſobrinæ, anno 1436. adiit. Luxemburgi Ducatum obtinuit, moriente Iſabella, Wencelai,& Sigiſmondi ſtemmatis, dominiiq́; Luxemburgenſis Cæſarum, ex fratre Ioanne Duce in Luſatia, Gorlicenſi nepte: partim tranſactione, qua Wencelaus Cæſar neptem illã Antonio Brabantiæ Duci, Philippi patruo nuptum elocauit, maritumq́; eius, ac huius ex quacumq; vxore hæredes, ea ditione, anno 1409. adauxit pro centum milibus aureorum Rhenenſium Wencelao numeratis, inſuperque ab Antonio remiſſis cétum & viginti flore-

florenorum milibus, promiſſis in dotem Iſabellæ, partim, quòd noua addictæ hæreditatis conuentione & numorum exercituſque ſui auxiliis, Philippus Iſabellam anno 1443. deuinxiſſet, eiectamq; potiſſima ditionis parte in integrum reſtituiſſet, domitis Luxemburgi vrbe, Theodoniſq; villa, turbarum anteſignanis, & Guilielmo Saxoniæ Duci, Sigiſmődi Cæſaris ex filia neptis viro, ſuppetiaſque per Comitem Clitanum mittenti propenſioribus: quam Saxonum in Luxemburgios actionem, Philippus poſtea Dalerorum pluſquam centum milium, velut vnda ipſis affuſa, extinxit. Splendidas in primis opiparaſq; cum Elizabetha vxore tertia, nuptias Brugæ celebrauit: Quæ patrem habuit Ioannem, Petri Portugalliæ regis filium nothum, regno paterno intruſum aduerſa nobilitate, ſed populi (præſertim Lisbonēſis) ardenti cupiditate, reiicientis Beatricem Ferdinandi regis, ex Petro geniti, filiam vnicam Ioanni Caſtellæ, potiſſimæq; Hiſpaniæ regi, per patrem elocatam, Portugalliæ hæreditate in dotem promiſſa, partim procaci odio in Caſtellanos, quibus per hoc matrimoniū ſubdi reſpuebāt: partim quòd aſſererēt Ferdinandi vxorem, ex qua Beatrix nata erat, priorem maritū alium ſuperſtitem habere: mater Eliſabethæ erat Philippa, filia Ioannis Gandēſis, Lancaſtrię Ducis, ex Eduardo tertio Angliæ rege progeniti, cuius poſteritas regnū Angliæ poſſedit. Sub Chriſti natalem anno 1429. Sluuſam appulit; per fratrem ſuum, legatoſq; Philippi Flandros, Roubaiſum, Schoriſſiumque adducta Brugam vſque: vbi ciuium ad portam obuiam prodeuntium congratulatione, & ſexaginta quatuor tubarum argentearum clangore excepta eſt: plateis vtrimque tenſis vario tapetium ſplendore, exteriſq; mercatoribus in eius honorem luxu cōcertantibus. In palatio, quod Principis curia vulgò dicitur, Philippi

lippi, filiiq; eius impendiis aucto ornatoque, leo, ceruus, monoceros eleganter efficti, illi ex anteriore pede Rhenenſe & Belnenſe vinum, hic ex cornu Creticum, Romanæum, & Hypocraticum (ex Hypocratis puta doctrina temperatum, perq; laneum ſaccum diſtillatum) in publicum ſcaturiebant: conuiuia tam ciuibus aduenīſque, quàm nobilitati, per octiduum, illuſtria ſumptuoſaq; parabantur, editis equeſtrium certaminum ſimulacris periucūdis. Ipſo nuptiarum die, Ordinem aurei velleris inſtituit: propter amorem, vt ait, erga nobilem ſtatum dignitatis equeſtris, ad gloriam omnipotentis creatoris & redemptoris, laudemque Virginis eius matris, ſanctique Andreæ Apoſtoli martyriſq;, ad exaltationem fidei, ſanctæq; Eccleſiæ, & virtutum bonorumque morum excitationem, exemplo Gedeonis. Sacræ autem literæ atteſtantur, Gedeonem miraculo velleris ex ipſius optione, aut ſicci aut madidi, fuiſſe animo cōfirmatum, iuſſuq; Dei trecētos elegiſſe, quibus numeroſas Madianitarum copias à ceruicibus Hebræorum profligaret. Aureum verò ſplendorem illi velleri induxit, ex Iaſonis & Argonautarum nobiliſſimæ in Colchidem nauigationis imitatione. In hoc collegium Philippus viros nobiles, vita, nomine, armiſq;, vt loquitur, irreprehenſibiles, in illis nuptiis purpuratos, accenſuit: quorum ipſe atque ſucceſſores coryphęi eſſent: quibus ſingulis togā coccinam laneam (quam filius, Valincenenſibus ordinis comitiis, in holoſericam commutauit) & aureum torquem, inſertis paternis emblematis ignitabuli ſcintillas ex ſilice extundentis, ſpecioſum attribuit, vnde vellus aureum dependet: poſt cuiuſque mortem rediens ad collegium, vt alij bene merito offeratur: quatuor officiariis, Cancellario puta, Theſaurario, Rege armorū, & Scriba, illi collegio ſubminiſtrantibus. In quo huius ordi-

ordinis equitum, ex prælio illicitæ fugæ, ceteraq; crimina, ac ſi quæ inter ipſos ſunt diſſenſiones, diiudicantur abſque prouocatione. Illo rerum bene geſtarum nobili præmio, & gerendarũ incitamẽto ſplenduerunt omnium primi, præter Philippum collegij caput auctoremque, hi proceres, hiſce cognomentis, dynaſtiiſq;, & hac ſerie: Guilielmus *Viennius* Santgeorgianus: Reynerius *Potiɤ*, Rochenſis: Ioannes *Robaiſi* dominus: Rolandus *uvtkercanus*, Hemſrodenſis: Antonius *Vergyus*, S. Martini Comes: David *Brimæus* Lignyenſis: Hugo *Lanoyus*, Santenſis: Ioannes *Cominỹ* dominus: Antonius *Tholongionus*, Tranẽſis: Petrus *Luxenburgius*, Sanpauli Comes: Ioannes *Trimolius* Ionellenſis: Guilbertus *Lanoyus*, Willerualenſis: Ioannes *Luxenburgius* Lignij Comes: Ioannes *Vilerſius* Liladamenſis: Antonius *Croÿ* & *Rentÿ* dominus: Florimondus *Brimæus*: Robertus *Maſſemea* dominus: Iacobus *Brimæus*: Balduinus *Lanoyus* Molenbaiſenſis: Petrus *Beffiombntius* Charnyenſis: Philippus *Teruantÿ* dominus: Ioannes *Croyus*, Tourenſis: Ioannes *Crequÿ* dominus: Ioannes *Neufchaſtellius*, Montaguus. Veriſimile eſt autem Philippum animo regio, decorandæ nobilitatis, & ad maiorem beneuolentiam, fidem, reſq; arduas excitandæ cupidum, hoc inſtituto non ſolum ante oculos habuiſſe Gedeonis atque Iaſonis laudatas expeditiones, veterẽq; morem Imperatorum Romanorum, baltheo militari, aut ſummo patriciatus honore, benemeritos illuſtrantium, verùm etiam Ioannis Galliæ, & Eduardi tertij Angliȩ regum, atque Amadei quinti, Sabaudiæ Comitis, exempla recentiora: illius, ſignũ ſtellæ Santouanȩ, in conſpicuo veſtis loco affixæ: huius, argumentũ periſcelidis fibulata faſciola ſiniſtrum crus vincientis: poſtremi, appẽdentem torqui aureo imaginem Angeli, ſalutem Mariæ virgini annunciantis,
priùs

priùs inſtituentium. Vt poſtea Rex Ludouicus vndecimus, Philippum imitari non eſt dedignatus, quum ad annum 1469. ſanxit ſancti Michaëlis ordinẽ, torquemq́ue conchiliatum. Enimuerò initio Philippus Brugæ illi aurei velleris collegio vigintiquinque inſeruit, ſeſe annumerans: deinde quinto poſt anno, Diuione, triginta & vnum equites. At Carolus poſtea quintus eo nomine Cæſar, ad annum decimumſextum ſupra ter quingenteſimum, Bruxellæ illum numerum vnius & quinquaginta equitum eſſe voluit. Æquè magno animo Philippus & inimicitias mortales eſſe debere teſtatus, Carolũ Aureliani Ducem, Ludouici cæſi filium, & Franciſci primi Gall. Regis patruum magnum, in Anglia 25. annis, ex prælio Azincurtio, captiuum carcere liberauit, quadringentis pro eo florenorum milibus perſolutis: Maria nepte, Cliuiæ Ducis filia, in vxorem ipſi Santomeri, conciliata, aureo vellere, perpetuoq́; fœdere deuincto, ac omnibus ſinceræ beneuolentiæ, honoriſq́; officiis in eum effuſis. Ludouicum Delphinatus Principem, cui poſtmodo regi eius nominis vndecimo nomen fuit, à patre Carolo offenſiſſimo fugientem, recepit, protexit, & circiter ſexennium cum vxore aluit, incredibili reuerentia ac benignitate, neque hoſpitem tradere voluit patri ſæpius repetenti, Æſopique apologum proponenti, de ruſtico anguem gelu enectum cõmiſerato, domumq́; ferente, ſed virus exſibilantem pòſt experto: patriq́; mortuo, & in minorem filium propenſiori ſuccedẽtem, ad ineundam regni tranquillam poſſeſſionem magno apparatu comitatus eſt, cinxitq́; baltheo equeſtri ante inaugurationem, & tãtis beneficiis obſtrinxit, vt ſeſe ope Philippi ad regnum perueniſſe, multa verborum honorificentia magis tunc verè faſſus ſit, quàm poſtea recordatus. Neque parum hoſpitio pecuniaq́; munificus

cus Philippus fuit in Margaritam Henrici ſexti Angliæ regis, Philippo infenſi, vxorem profugam, Renati Andegauenſis, hoſtis quondam ſui filiam. In conuentu Brugenſi, vbi tres epiſcopi, ſexaginta Abbates, plurimiq; nobiles erãt, filium Carolum in gratiam ipſe illacrymans flentem recepit: quem ditione omni paterna ſubitò exire iratus antea iuſſerat, in Arkelẽſi ſua dynaſtia Gorkemi idcirco diuerſantem: quia nimirum Croyos, Comitemq́ue Stampanum agnatum oderat, patriq́ue illos amanti ac defendenti, minùs reuerenter reſponſarat: an quia ſuſpectus eſt dominantibus, quiſquis proximus deſtinatur, & diſplicent regnantibus etiam ciuilia filiorum ingenia? Tam inſuetus horriduſq; ſub eo ad annũ 1449. menſe Aprili terræmotus Flandriam concuſſit, vt quaterentur ædificia, & velut ſubſilirent, Controuerſiis belliſq;, quæ illi cum Gandenſibus Brugenſibuſq́ue interceſſere, vt illorum contumacem à Caliſio obſeſſo ambitionem ſeparatim vlciſceretur, potentiam, auctoritatem, clementiæq́ue famam amplificauit. Et vt Leodienſes, Brabãtiæ Duces vicinos in protectores aſſiduos acciperent, coëgit. Pio ſecundo Papæ duodecim triremes, vt Meyerus ait, quòd in mari noſtro mirum, certè longas magnaſq; actuarias militariter inſtructas, ex portu Sluuſano, per Antonium filium, auxilio in Turcos miſit: fruſtra tamen nauigantem quum mors pontificis, Anconæ interim decedentis, animos & apparatus Chriſtianorum infregiſſet. Mortem obiit Brugæ ad annum ſexageſimum ſeptimum, milleſimum quadringenteſimum, menſe Iulio, ætatis ſeptuageſimo primo, regni quadrageſimo octauo: paucos ante menſes apoplexi ex ira, ob fraudata militum ſtipendia, ad menſam ortæ, elapſus: Priùs tamen Carolo filio, ſtatim vbi patris periculum audiit, Gandauo Brugam accurrenti, in

genua

genua proiecto, largiter flenti, veniam offenſionum, paternamque benedictionem oranti, in lecto, ſupremis appropinquans, aſtruxit beneuolentiam, apertis conniuentibuſque oculis, filij dextra prehenſa, ſuaque manu fortiter preſſa, in ſignum amoris veniæq́;, quum vox eum deſeruiſſet. Fuit Philippus eximia ſtatura & forma, à populo comprimis cultus amatuſque: cunctos enim tum clementia, candore, affabilitate, & liberalitate, otiique dulcedine, tum procurata vbique negociandi libertate pellexerat: apud exteros magnæ erat exiſtimationis, fideique. Eduardus quartus Angliæ regnum armis petiturus, Georgium, Ricardumq́; fratres ſuos impuberes (quorũ ille Clarentij, hic Cloceſtriæ duces fuere) ad fidem cuſtodiamq́; eius, quamuis Lancaſtriis affinitate annexi, tranſmiſit. Thomas Demetriuſq́; Paleologi, Peloponeſo à Turcis pulſi, ad opem eius refugerunt. Dauid Trapezontij Imperator, Perſarum, Armeniæ, & Meſopotamiæ Reges auxilium eius contra Turcos per legatos efflagitarunt, Magnumque Occidentis Ducem vocabant. Fridericus tertius Cæſar ſæpiùs deliberarat regalem coronam imperiique, in prouinciis vltra Rhenum Gallicanis, vicariatum Philippo concedere, ſuiq́; filij Maximiliani coniugium cum Maria illius ex Carolo filio nepte, conciliare: vt ex Pij ſecundi Papæ ad Philippum literis anno 1462. 14. Cal. Februarij datis, manifeſtum eſt. Neque minus erat regiæ magnificentiæ, gemmarum, tabularum, aulæorum, torcumatum aureorum, argenteorumq́;, & luxus in conuiuiis, veſtitu, ſupellectile, ſtudioſus, copioſus, & oſtentator, quàm iracundiæ aut victor, aut diſſimulator, ac ſui augendi, ſuorumq́; prouidus. Dauidem filium nothum, epiſcopatui ditioniq́; Vtriceſiæ, reiecto Brederodio, per arma obtruſit. Ludouico Borbonio ex ſorore nepoti, adoleſcenti imperito,

Leodinum epiſcopalem principatum ambitioſè impetrauit. Reliquit quadringenta paratæ pecuniæ aureorum liliatorum milia argenti non ſignati markas hoc eſt ſemil.bras 72. ſupra ſeptingentas, atq; ſupellectilẽ ad bis decies centena aureorũ liliatorũ millia æſtimatam. Sepultus eſt ad Donatiani Brugæ pro ara maxima, mille & ſexcentis tædis in funere eius ardentibus, capulo per aureum pannum cooperto, cui enſis inauratus incumbebat, incredibili omnium luctu: donec Diuionem ad Carthuſios ſextum poſt annum cum vxoris corpore per filium tranſmoueretur magnis impendiis, & regifici luctus imitamentis. Vbi ipſius & patris, atque aui expreſſæ ex puro candidoq; alabaſtrite, effigies ſuper erecta mauſolæa iacentes, etiamnum conſpiciuntur. Vnicum ſuperſtitem Carolum, Charoloiſi Comitem ex Elizabetha poſtrema vxore, reliquit: quæ anno poſt maritum quarto rebus humanis exempta eſt: quum Michaëlis, de qua diximus, & Bona ab Arteſia, patrui Philippi, Niuernij principis vidua, materq; ex eo duorum filiorum, nullos liberos ipſi peperiſſent. Sed incontinentiæ ſuę veluti teſtes, filios ſpurios octo, filiamq; Annam (ſunt qui plures addant) bis ſteriliter coniugatam, progenuit. Ex illis Dauid & Philippus Vltraiecti præſules: Raphaël D. Bauonis Gãdaui Abbas: Balduinus Gallis hoſtibus interdum pronior quàm decebat, ſtirps Faleſij, Brigdami, & Somerdiki dominorum, & Cornelius Antoniuſque fortiſſimi bellatores erant. Ille quidem cælebs, at laude militari, Beueræ dynaſta, & Luxenburgi præfectura inſignis, in pugna Vazelia à Gandenſibus fugientibus, quum foſſam aperta ob æſtũ galea equo tranſiliret, haſta pedeſtri cæſus: Hic Magnus nothus vocatus, Rochæque Arduennenſis Comes, genus ſuum; Veræ, Vliſſingæq; potens, per connubium filij cum Borſala initum; in noſtra vſque tem-

tempora propagauit: ius legitimi filijfamilias, viuente volenteque Carolo, à Xiſto quarto Papa conſecutus. Porrò ex Philippi vita duo elicimus vtilia documẽta. Vnum, Principes iras iniuriaſque tamdiu premere, & velut altiſſima flumina, minimo ſono labi, donec puniendi opportunitas aduenerit: alterum; quòd imperium temperatum, laudabile eſt atque commendabile. Priori ſuffragatur illud politicum: *Nunquam reget, qui non teget*, & à Philippo diu diſſimulata, tandem ſeorſim, opportuneq; vindicata, Gandenſium Brugenſiumq; à Caliſij obſidione turpis diſceſſio, exemplumque Salomonis in Simeium, ac iſtud Homericum:

Perpetuò Regis metuenda eſt ira minori,
Qui, quamquam malè diſſimulat, bilemq; moleſtam
Concoquit, & pœnam præſens in tempus omittit,
Non tamen imbibitæ ſemel, obliuiſcitur iræ.

Secundò aſtipulantur inſignia illinc parta elogia, & commoda Principum laudatorum: qui non ſemper pœna, ſępius pœnitentia contenti, non minùs turpia eſſe putant Principi multa ſupplicia, quam medico multa funera: *Peragit tranquilla poteſtas,*
Quod violenta nequit.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomẽtis, Philippus *Heurnius*, Iacobus *Steenborgius*, Ludouicus *Bellanus*, Ioannes *Boſchus*, Ludouicus *Brunius*, Walerandus *Marellus*, ob fortitudinem in prælio iuxta Audenardam contra Gandenſes. Colardus *Commeus*, Ioannes *Steenhuſius*, Ioannes *Robaiſius*, Hadrianus *Vilainus*, Guilielmus *Halewinus*, ob equeſt. ord. virtutẽmq; in prælio Vimiacenſi. Ioannes *Roſimboſus*, ob Principis vexillum, eadem in pugna è terra erectum. Ioannes *Flandrius*, ob dominatum Praetæ Woeſtiniæque. Theodericus *Maldegemius*, ob captiuitatem ad S. Dionyſij prope Pariſios.

Ludouicus *Wallius*, Iudocus *Wulſsbergus*, Iacobus *Burſa*, Ægidius *Vlaminčporta*, Iacobus *Breydelus*, Vincentius *Scotelarus*, ob tractum Ooſtburgi defenſum cōtra Anglos. Philippus *Serſander*, Nicolaus *Trieſtus*, Ioannes *Alaertus*, Ioannes *Zickela*, Gerardus *Zadelarus*, ob equeſt. ord. exiliumque à Gandenſibus turbulentè indictum. Ioannes *Ghiſtelanus*, ob dominatum Dudzele, necemq; à Leodienſibus in prælio inflictam. Balduinus *Bauinchouius*, ob conſpirationem Caſſetanam. Iudocus *Heula*, ob equeſt. ord. Lichterueldæ dominatum, fidemq; in Principem tumultu Brugenſi. Petrus *Bladelinus*, ob equeſt. ord, præfecturam Brugenſem, conditumq; oppidum Middelburgi. Balduinus *Voſſus*, ob equeſt. ord. Laernæ dominatum, Gandenſiumque odium. Læuinus *Stelādius*, ob necem in obſeſſo Aloſto perlatā. Iacobus *Drinchamus*, ob Baliuagium Caſtellaniæ Feurnenſis. Reynoldus *Knibba*, ob equeſt. ord. & primatum magiſtratus in Feurnenſi caſtellania. Ægidius *VVoeſtinius*, Engelramus *Hauwelius*, Ioannes *Dammius*, ob exilium centum annorum à Gandenſibus Principi aduerſantibus inflictum. Henricus *Metkerchus*, Ioannes *Lyzenus*, Iacobus *Boudinus*, ob odium Brugenſium, Principi obnitentium. Ludouicus *Pollinchouius*, ob præmium haſtici certaminis equeſtris, in vrbe Brugenſi. Ioannes *Platellus*, ob Principem in littore ambulantem inuaſumque ab hoſtibus, ſuo periculo & captiuitate defenſum. Nicolaus *Vtenhouius*, ob equ. ord. & Baliuagium Brugenſe. Simon *Borluutus*, Balduinus *Rymius*, ob primatum magiſtratus Gandaui. Antonius *VViſſocus*, ob præfecturam Aloſtani præſidij. Ludouicus *Tempſecanus*, ob equeſt. ord. vxoremque Roberti Bethunij Fland. Comitis, ex nepote notho, proneptem. Ioannes *Varſenarus*, ob dominatum in Varſenara, terræque Francæ Scabinatum.

Goſui-

Goſuinus *Wildius*,ob equeſt. ord. & munus præſidis Hollandiæ: Theodericus *Hazebroucanus*, ob prætoriũ ruri propter deſertos in pugna populares, à Gandenſibus incenſum. Ioannes *Wittenus*, Mauricius *Vleeſchouwerus*, ob equeſt. ord. virtutemq; in pugna Sirixæa. Rolandus *uvtkercanus*,ob ord. aurei velleris.

CAROLVS SECVNDVS, BELLICOSVS.

CAROLVS in negociis laborioſus, in periculis fortis, in agendo induſtrius, in conficiendo velox,quem IrenicusGermanus terribiliſſimi Ducis nomen tuliſſe ait, à Carolo Niuernij Comite,patris fratre patruele,ad baptiſmi ſalutares aquas vnà cum Antonio Croyo ſponſore nactus eſt nomen:Diuione ortum, Gandaui educationem, nam bimulus huc traductus eſt, atque Belgici Principatus compagem,à patre ſtructam,ampliauit,Geldria Zutphaniaque à DuceArnoldo,gentis Egmondanæ, anno ſeptuageſimo tertio ſupra milleſimum quadringenteſimum acquiſita: partim precio nonaginta milium aureorum Rhenenſium,certiſque decem annorum reditibus,ac eius teſtamẽto, quo Carolum hæredem ſcripſit, filio abdicato, partim Gerardi Gulichij Principis in eam prouinciam non obſcuro iure,octoginta florenorum Rhenenſium milibus comparato: Friderico tertio Cæſare paulo pòſt Treuiris approbante, & inaugurante, tum cunctis quas ſub imperio tenebat ditionibus, tum Geldriæ inprimis. Quo autem ritu id factum ſit,quanto luxu erga Cæſarem Carolus ſe geſſerit,non videtur omittendum. Cæſar enim eques extra vrbem obuiam prodiens, aduentanti Carolo, ſex Comitum, nobiliumque ſexcentorum,aureas ſericaſque veſtes amictorum ſequela, atque in equo ſalutanti,indutoque

ſuper arma chlamydem ducentis ducatorum milibus æſtimatam,obtulit dexteram benigniſſime:dein in ſublimi ſuggeſto forenſi, ſolioq́; imperiali conſidens,illum ingeniculātem, iuratumque fidelitatem ad crucem capuli enſis Cæſarei,ſubleuauit,Principibus Imperij aſſcripſit,Geldriçque ſignum in manum tradidit, tunc veſtito prolixam togam perſici coloris holoſericam, diffluentem, herminiſque ſuffultam, caputq́; tecto pileo corona circūcincto. Contrà Carolus ad Maximini, citra vrbem, vbi diuerſabatur, Cæſarem & Maximilianum filium, Imperij Electores,ceteroſq́; Principes excepit prādio,ad admirationis faſtigium, ſumptuoſo, & vaſorum aureorum, argenteorum, gemmatorum precio, copiaq́; regifico. Ex quibus vna paropſis in ſecūdis bellariorum menſis ante Cæſarem poſita, ſcribitur valuiſſe aureorum milia ſexaginta. Neque minorem Cæſari ſtuporem ante conuiuium incuſſerat ornatus altaris, vbi ſacra audiit,à Carolo exculti pluſquam ſexaginta tum aureis, argenteis, gemmatiſque ſtatuis atque crucibus, tum lilio aureo, tam ſingularibus margaritis diſtincto, vt Cæſaris oculos vix ſatiaret, ducentaq́; aureorum milia,peritorum æſtimatione,ădæquaret.Porrò cauſa præcipua huius conuentus ac impēdiorum eò tendebat, vt Carolus titulum Regis Burgundiæ,Imperiique,in prouinciis cis Rhenum Gallicanis, vicariatum, à Cæſare, & hic viciſſim à Carolo, coniugij inter ſuum filium & Caroli filiam, pollicitationem conſignatam impetraret. Quæ omnia vana tūc euaſere, per Cæſaris repentinam inconſtantiam, diſceſſumque: quamuis ſe Caroli vota impleturum addixiſſet,omniaq́; creando Regi ſolemnia parata eſſent, ac Georgius Epiſcopus Metenſis delectus,ad ſacrum faciundum,regiamque inunctionem. Phieretç Comitatum Burgundiæ finitimum, in quo Rhinsfeldia
eſt

eſt & Briſſacum, à Sigiſmundo Auſtrio Heluetiis tûc obluctante, inque Flandriam veniente anno 1467. octoginta florenorum Rhenenſium milibus pignori accepit. Et quò omnis de Luxemburgi iuſto dominio côtrouerſia extingueretur, cum Iſabella Auſtriaca, Sigiſmundi Cæſaris nepte hæredeque, Caſimiro Poloniæ Regi nupta, paciſcens, cuncta illius ſtirpis iura, pecuniis eſt emercatus. Sumptuoſiſſimo luxu tertium matrimonium Brugæ iniit, cum Margarita filia Ricardi Ducis Yorki (quod Eboracum Latini vocitant) Eduardi tertij Angliæ Regis, ex Edmondo quarto filio pronepotis, roſam candidam pro teſſera ſatellitibus affigentis, extinctique demum in prælio, quum Angliæ regnũ appeteret, ob matrem Annam Mortimeriam, neptem Philippæ, Leonello Duce Clarentiæ, eiuſdem Eduardi filio natu ſecundo, genitæ: quam Philippam publica regni comitia, Ricardi ſecundi regis, ſi abſque prole moreretur, hæredem declarauerant. Aduerſatus enim eſt, ſed alio in initiis prætextu, Henrico ſexto Angliæ Regi ſuam, patris, atque aui poſſeſſionem regni, ex domo Lancaſtria, oſtentâti, rubeæque roſę ſymbolo vtenti. Quod explicare viſum eſt, propter hanc Caroli, ex Lancaſtriis oriundi, affinitatem cum Eboracenſibus: quorum in regno acquirendo ius atque titulum, Cominæus, rerum ſui temporis maximè diligens perituſq; inueſtigator, ſeſe dicit ignorare. Itaque Margarita ſoror fuit Eduardi quarti, eo, quem diximus titulo, & Neuyllorum procerũ, populiq; Londinenſis fauore, regnum Angliæ conſecuti. Quæ ad Caroli coniugium, anno 1468. ſub Cal. Iulias, Sluuſam appulit, in ædes Baenſtias: per Caroli matrem filiamque ibi oſculis excepta, & per quatuor ſupremos Flandriæ Magiſtratus reuerenter ſalutata. Octauo die, Damum ingreſſa, poſtridie in ædibus Wytzij Bailiui, Carolo in manum

conuenit: ſacris operãte Epiſcopo Sarisburienſi Anglo,ſuis ipſius capillis in tergum defluentibus,neque contortis, neque perplexis, aurea corona cinctis, læta indole, vultu placido, moribus compoſitis. Illinc Brugam eodem die venit ad nuptialia feſta ac conuiuia,in lectica panno aureo conueſtita,per ſex pronubos equites Anglos ad portam Cruciam:inde per totidem paranymphos, aurei velleris equites, ad palatium deducta. Vbi nihil prætermiſſum fuit regij luxus ac ſplendoris. In triclinium, quatuordecim partim argenteis, partim aureis cymbis, dapes menſæ nuptiali inferebantur:quæ à pueris,in Cupidinũ ſpeciem cõpoſitis, odore ſuauiſſimo adolebatur. Sponſæ diſcumbentis latus dextrum ſocrus eius, & priuigna: ſiniſtrum Principis Orengij nurus claudebant. Magiſtratus Brugẽſis, effigiem D. Margaritæ argenteam inauratam,quadraginta markarum ſponſæ pro xenio offerebat: arcus portaſque triumphales,ludos & ſpectacula regionatim exhibebat: exterarum nationum mercatores nihil magnificentiæ ſumptuſq;: nihil equeſtrium concurſuum,quos ludos Troianos quidam vocant,Nobilitas omittebãt. Haſce nuptias ferturCarolus ambiiſſe,tum amoris inductione,tum conſilio vt Gallorum Anglos allectantium aſſiduis inſidiis anteuerteret: quamuis maternam originem ex Lancaſtria ſtirpe,& auunculum magnum,Henricum quartum Angliæ Regem eliceret. Eduardum regem,vxoris fratrem,à Clarentio fratre, & Ricardo Waruici Comite perduellibus,Anglia eiectum,amicè excepit,primò in Hollandiam, ad Teſſelam anno 1471. in Octobri appellentem, & illinc altero pòſt menſe Ardenburgum, ædeſq; Orſcampias Gruthuſij, Hollandiæ præfecti, idem Ariam, ad Caroli matrem, adeuntem: vbi Carolus eum conuenit. Aria, Brugam 13. Ianuarij, anno 1472. ingreſſus in domo

ibidem

ibidem Gruthuſia eſt diuerſatus, magno honore impendiiſq; à ciuitate cultus: donec illinc 14. Februarij Sluuſam, & hinc Ermudam Zelandiæ diſceſſit: vnde Martij die decimo in Angliam traiecit, claſſe viris, armis, pecuniis largiter magis quàm apertè à Carolo tam inſtructus, vt intra viginti dies regnũ receperit: quũ antea Carolus proceres aliquot ſanguinis Lancaſtrij, exules inopeſque ſuſcepiſſet, ac aluiſſet. In quibus Ph. Cominæus à ſe viſum affirmat Ducem quendam, tam egenum abiectumq;, vt nudis tibiis, diſcalceatus, palàm & oſtiatim alimoniam emendicaret, donec agnitus, ſordes inopiamq; exueret, Caroli munificentia. Auxit potentiam tranſactionibus, Conflanſia anno 1465. & Peronenſi anno 1468. cum Ludouico vndec. Gall. rege confectis: quibus Pax Atrebatenſis confirmata. Reddita ei oppida ad Somonam ſita, ducentis ſcutatorum aureorum milibus redimenda: Comitatus Guineſius, in quo Caliſium eſt, illi hæredibuſque perpetuò conceſſus. Totius Flandriæ ad curiam Pariſienſem appellationes ceſſabant: permiſſa Carolo poteſtate de omnibus cauſis per concilium ſuum liberè cognoſcendi atque ſtatuendi: Denique ſeſe ab omni iuramento & clientela liberandi, ſupremumque regis in Burgundiam, Flandriam Arteſiamq; ius excutiendi, quotieſcunq; Rex illis pacificationibus contraueniret. Anno 1471. equites cataphractos (quos ordinarios vocant) inſtituit octingentos, in quinque turmas, quas ſucceſſores Auſtriaci inter quinas auxere, diſtinctos: quibus ſingulis turmis eques aurei velleris præerat, ætate & virtute probatus, eiuſque familiæ nomen turma præferebat. Hic minores præfectos pro arbitrio legebat, Nobileſque eq. inprimis armis coopertos (tribus militaribus equis, præferrata craſſaq; lancea, breui, lato, ancipitiq; gladio, & malleo ferreo inſtructos) alioſq;

T 5 pro-

promiſcui gradus, belli peritos, ſingulari equo militantes. Singuli equi quinos aureos liliatos mẽſtruos, turmæ præfectus octingentos annuos merebãt. Cornuum acies fronteſque præfectis, nobilibuſq; cedebant. Iuridicam curiam nouam, ſummam, vltimæq; cognitionis, & cunctis Belgis appellationi obnoxiis communem, Mechliniæ, ceu in Belgij meditullio erexit, ad Lesbiæ regulæ (non tam ſtrictæ proportionis) imitationem, ex æquo & bono iudicaturã: quod ab eo factum aiunt quadam ſenatus Pariſienſis ęmulatione, ac ne ius ſibi reddi petentibus, neceſſe foret aulam aſſectari, & vt conſiliariis plus otij ad animi tranquillitatem, libroſq; iuriſconſultorum euoluendos, ſuppeteret. Cuius curię ipſemet, ipſiuſque in abſentia, Cancellarius, atq; hoc non præſente, Epiſcopus Tornacenſis, caput erant. Præſides duo, conſiliarij decem (pręter eccleſiaſticos nouem) magiſtri ſupplicum libellorum ſex: quibus, vt purpurati eſſent, & equis ad ſenatum irent, iniunctum fuit, & hæc ordine cognomina: Ioannes *Tarulus*, Ioannes *Bouterus*, præſides: Ioannes *Pomierus*, Simon *Laleinus*, Guydus *Brimeus*, Antonius *Montignyus*, equites: Ioannes *Iauelius*, Folcardus *Merkegemius*, Petrus *Beaufortus*, Guilielmus *Clignyus*, Ioannes *Boiſus*, Philippus *Wielandus*, conſiliarij: Atharus *Longyus*, Ioannes *Iaquelinus*, Bernardus *Poiierus*, Guilielmus *Clignyus* iunior, Guilielmus *Rotſefortus*, Thomas *Playnus*, magiſtri libellorum ſupplicum. Quibus Scribæ, & Aduocati iuriſperiti complures, cum primario accenſorũ, ſuccenturiabantur. Porrò ille ſenatus Mechliniam, in ſuæ functionis, ceu poſſeſſionem anno ſeptuageſimo tertio ſupra milleſimum quadringenteſimum introiuit: quãuis ſtatim à Caroli exceſſu, Maria filia, belli Gallici & ciuilis metuẽs, iuſtitium ibi edixerit: quod Philippus Mariæ ſucceſſor ſuſtulit, Mechliniæque

illum

illum Senatum anno 1493. licet minorem ac imbecilliorem, reſtituit, hactenus ibi permanentem. Neque eo minùs Carolus bis térve ſingulis hebdomadis in palatio ſuo ius reddebat proceribus, nobilibuſque domus ſuæ aſſidentibus. Ingenti Brugæ apparatu atque pompa in atrio palatino Ioannem Croyum, Kiureinæ dynaſtam, anno 1472. Chimai Hannonici Comitem creauit, inueſtiuitq́; ſpectaculo in Flãdria nunquam viſo: ob quam gentem, patris, vt rebatur, nimis potentem, antea à patre diſceſſerat, indignabundus, quòd ille & ſibi inuito obtruderet ex ea familia, cubiculi præfectum, & à Croyis, vt ſuſpicabatur, perſuaſus; hypothecam cis vltraque Somonam oppidorum lui, Arteſiæq́; praſcindi permiſerat. per Ludouicum vndec. Galliæ Regem nondum ſatisfacientem aliquot pacis Atrebatenſis conditionibus. Ipſe in ſublimi ſuggeſto, eoſque ad ritus conſtructo, vndique aureis holocericiſque pannis cooperto, ſolio ornatiſſimo inſidebat, ante quod enſis pretioſè exculcus oſtentabatur: Pileo aureo, margaritis micante ſplendebat, tunicam holoſericam nomine & colore perſicum pomum referentem, aſtrictus: ex qua chlamys ſumptuoſis ſuffulta pellibus, defluebat. Lateri eius Hugonetus Cancellarius proximè aſſiſtebat, aptamque loco ac tempori orationem habuit: hinc inde aſtantibus Marlæ, Rochæ, Granpreæ, Buchaniæ, ac Megæ Comitibus, ex domibus Luxemburgia, Burgundica, Borſala, & Brimæa. Poſt Cancellarij concionem, Croyus ingeniculatus, per oratorem ſuũ ad Principem verba fecit, de ſe modeſtè, de Principe honorificè: Inde cum duobus caduceatoribus, & Rochæ, Megæque Comitibus ſeceſſit in proximũ conclaue: ex quo, hac pompa in publicum rediere: caduceatores chlamydẽ Comitibus ſolemnem, Rochanus enſem, Meganus Coronale præferentes

rentes: Dein Croyus, tunc indutus togam longam aſtrictam Perſici coloris holoſericam, eoq; apparatu ad Ducem appropinquantes, in genua omnes ſubciderunt: quumq; Ducis nutu ſe erexiſſent, Rochanus Croyo gladium accinxit, impoſitum cincturę, ab humero dextro in latus ſiniſtrum dependenti: amboq; illi Comites chlamydem à caduceatoribus ſubminiſtratam, Croyo induunt. Poſtremò coronale Meganus Duci in manus detulit: quo hic Croyum propiùs accedere iuſſum, ac ingeniculantem, hilariter coronauit: eoq; inſigni ac argumento Comitem creauit. Cuius ex filio nepos Carolus à Croya anno 1486. Aquiſgrani, in Principem Chimai ſacriq́ue Imperij euectus fuit, per Maximilianum Cæſarem: qui in diplomate inueſtituræ dicit illum ex vera legitimaq́ue regum Hungariæ ſtirpe deſcendiſſe. Eius filia hæreſq́ue Anna (quam ex Aloiſia Alebreta regis Nauarræ ſorore natu maiore, Auenarum, Landrechij, Lilerſi, S. Venantij, aliarumq́ue dynaſtiarum domina ſuſceperat) Philippo Croyo primo Arſchotæ Duci nupta, gentis illius opes immenſum auxit. Quum maximi aſſiduorum bellorum ſumptus, ad graues numorum exactiones, ſæpiùs Carolum impellerent, à claſſe Belgij eccleſiaſtica, haud ſatis procliui, fructus biennales domorum, & triennales omnium bonorum immobilium intra annos quadraginta proximos acquiſitorum impetrauit; quo facto, fuere ea bona (vt aulæ praxis loquitur) amortiſata, hoc eſt, quieuerunt in eccleſiæ mancupio inalienabili; ſed à cunctorũ Belgicæ Ordinum (inter quos Geldriæ, Picardiæ, Boloniæq́ue delegati comparuere) comitiis Gandaui anno 1475. per eum indictis, & conuenientibus, ſextæ omnium facultatũ poſtulatæ repulſam tulit: quamuis enim nec quies ferocium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt,

ſunt, tamen cauendum eſt ne Principis fiſco, ceu liene augeſcente, populus tabeſcat. Verùm ex Caroli fama & proſperitate non parum deterſit exitus Ludouici Luxemburgij, Franciç coneſtabilis, Sanpauli, Marlæ, Briennæ, aliorumq; comitatuum reguli, magnarumq; in Flandria facultatum: Dunkerca enim, Greuelinga, Burburgus, Waeſtena, Ghiſtela, Englemonſtra, magnumq; Brugę telonium ſub illius erant ditione, quæ Caroli ſupremum imperium, non ſecus atque Sanpaulinus comitatus agnoſcebant: fratremque habuit Theobaldum Fiennarum, Ermenteriæ, & Zottinghemi dynaſtam, Lamoralli Egmondæ Gaueræq; Principis, proauum maternum. Quē Sanpaulinum Coneſtabilem, Carolus, Notho Borbonio Halmyrallo, Regis Ludouici vndecimi legato, ad pœnam capitalem anno 1475. exhiberi Peronæ iuſſit: ſic enim inter eos conuenerat; quamuis ille, vbi reſciuit ſe vtriuſque Principis pacto, præiudicioque eſſe damnatum, quod ſe tamen ignorare ſimulabat, Montium Hannoniæ ad Rollinum, Aymeryum, Hannoniæ præfectum, amicorum intimum in poteſtatem Caroli, tunc abſentis, confugiſſet: ratus antiquam beneuolentiā, recentibus offenſis validiorem, ſolitoque eius candori, atque (vt Cominæus, ſecus quam Molinetus aſſerit) datæ fidei confiſus: quod mirum eſt: Etenim Carolus, quàm fidei, vnici ſocietatis humanę vinculi, tenax eſſet vel erga infidos, documentum ſtatuit in Rege Ludouico vndecimo: cui ad ſe Peronam venienti, fronte amico, at clàm Leodienſium atrocitatem in Caroli præſidia comparāti, fidem ſeruauit, emiſitq; ſoſpitem. Sed forſitan à conſiliariis iracundis, & quærentibus latebram periurio; quod argutarentur, nullam eſſe fidem quæ infideli data ſit; exacerbatus fuit in Luxenburgium, vt virum nobiliſſimum, propinquum, olim bene meritum, &

in

in ſumma anxietate ſua ad ipſius aſylum ſponte confugientem, ſupplicemque, in famoſam necem eius opum & Quintinopolis mangonio traderet, ſibi arrepta, iuxta Gallicum ſarcaſmū, vulpis pelle vtibili, Regi oblata eiuſdem carne inutili, ſed tetrum odorem afflante talium negociatorū exiſtimationi. Accedebant eò Ludouici Regis artes: qui Carolū Nanceio Lotharingiæ aſſidentem, victoriæq; incertum, ſe inducias fracturum, Lotharingo opitulaturum, ni Sanpaulinus traderetur, comminatus; perpulit cunctabundum, vt ex pacto dederet, vtriuſque clientem, partium ambiguum, & mutui odij belliq; fomitem. Itaque in manus Regis trāſiit, Hymbercurto & Hugoneto Cancellario, quos ille Caroli legatos, Royæ antea offenderat, mentirique immodeſtè dixerat (id autem conuiciū nobilitati grauius eſt omni vulnere) perquàm auidè tradentibus ex Caroli mādato; ſed legem à Gratiano, Valentiniano, & Theodoſio Auguſtis latam, parum obſeruantibus, qua Principum talia iuſſa, ante diem à mandato trigeſimum, feſtinari prohibentur: quæ acceleratio, & eo indignior fuit, quia tres poſt horas (Nancio iam capto) aliis literis, ne eum dederent, iubebantur, & ex odio in Sanpaulinum orta, certè aucta, in ipſorum caput poſtea vertit. Neque Carolus minùs fuit aſper in Adulphum Geldriæ Ducatui per ſubditos inauguratum, amitinæ ſuæ filium, ordinis aurei velleris equitem, virumque Borboniæ, vxoris ſuæ ſororis: patri quidem nefandè acerbum, ſed non obnoxium Caroli tribunali, vtpote ſacri Imperij Principem. Illum etenim in aulam ſuam amicè euocatum, & rogante Carolo, Arnoldum patrem ſuum, ex arce Burenſi, contra matris populiq; voluntates eximentem, in carcerem Curtracum miſit, ſuſpicabundus, iratuſq; quòd ille clàm receſſerat, Geldriam verſus, emitq; à ſe capti perpetuæ q;

tuæq; cuſtodiæ à collegio aurei velleris addicti, hæreditatem ac poſſeſſionem à patre in filium contumacem inflammato, atque armis occupauit. Poſtremò, ambitio & pertinax ſui confidentia, aut æterna illa mens (quæ cuiuſcunque mutare fortunam cõſtituit, conſilia corrumpit) eum peſſum dedere: quum Heluetiis ac Lotharingis infenſus, & duabus ſtragibus debilitatus, vt fortuna vitrea eſt, & tũc quum ſplendet, frangitur: Nancyum iterum obſideret, amicis tribuniſq; diſſuadẽtibus, acerbiſſima hyeme, copiiſque tam infirmis, vt ex iis vix ter mille, vti ex centurionum diſquiſitione, Comes Chimayus ad eum retulit, indignãbundum, aut mille ducenti (teſte Cominæo) pugnæ apti eſſent, & deſereretur à Nicolao Montfortio, Campobaſſi in Iapigia Apulię Comite, quem à Rege Ferdinando Neapolitano profugum, ſenem, inopemq; ditauerat, quadringentis cataphractis Italis, totique exercitui præfecerat, ſed infidiſſimum benefactoris ac imperatoris ſui proditorem, & ante pugnam, cum parte equitatus ſui, deſertorem, apertumq; hoſtem, ac inflictum iampridẽ pugnum, vti refert Cominæus, à Carolo, qui id ſibi in domeſticum & ſtipendiarium ex occaſione licere putabat, nefarie diſſimulantem; atque dolorem (ob ereptas, propter exilitatem equitum alas) aliiſq; validioribus pro ſupplemento admixtas, iuxta Molinetum, velut vomicam tanti flagitij ſcalpro, aperientem: & in vno capite tot milia perditum euntem, ac demum quum videret aliis prodeſſe rem proditionis, ſed reum vbiq; deſpui, ad Venetorum ſtipendia cum filio Angelo, confugientem: cuius tamen perfidiam Carolus manifeſtam habuiſſet, ſi aut Ludouico Regi illius proditionem laudabili exemplo, aperienti fidendũ putaſſet; aut Sifronium nobilem hoſtis clientẽ, captum proditioniſq; Campobaſſi conſciũ, internunciumq;,
ſuſpen-

ſuſpendio non præcipitaſſet, inauditum, & ſæpè fruſtraq; orantem, quum ad ſupplicium duceretur, quia obſeſſam vrbem ingredi tentauerat, vt Carolū ipſum conuenire permitteretur, rem maximi pōderis patefacturus. Vnde factum eſt, vt ad Iaruillam, prædium ruſticum, audaciſſimè pugnans, ab Heluetiis, aliiſque Germanis, Renato Lotharingiæ Duci aſſociatis; ac inprimis à Baumontio Lotharingo ad torrentē congelatum, per femur vtrūque atque nates, haſtis trāsfigeretur, ignoratus; & à vertice cerebroque ad dentes vſque halabardica ſecuri diſſecaretur, occideretur, inq; foſſam proiiceretur, ad annum ſeptuageſimum ſeptimum, quadringētesimum milleſimum, in præcidaneis feriis Chriſti Epiphaniæ ante meridiem, incidentibus in quintum Ianuarij diem, regalia, hilariaque Chriſtianorum. Vbi vix die à pugna tertio, inter cadauera inuentus eſt, nudus, facieq; ad glaciem foſſæ affixa: cognitus à Baptiſta Columna Romano, puero domeſtico, & Lopezo Portugallo medico, aliiſque familiaribus: per vngues manuū longiores: per vulnus in colli dextra parte, prælio Montlherico acceptum: per dentes ſuperiores, iuueni dum equo excideret excuſſos: per cicatricē humeri, ex anthrace exciſo, ſuperſtitem, fiſtulamque infimi ventris dextrorſum. Renati victoris humanitate, præſentiaque, honorificè Nancæi, in templo primario, ante altare Georgianum ſepultus eſt; donec Brugam ad Mariæ, anno 1553. cura impenſiſque Caroli Cæſaris pronepotis, in ſumptuoſiſſimum Mauſolæum, ante aram maximam transferretur. Plebe tamen magnis tunc ſponſionibus contendente, illū euaſiſſe incolumem, ad Bruſſellam Sueuiæ oppidum: Ibi in proxima ſilua degere, atque inimicorum malo rediturum. Sic ille bellator pugnando periit, & dum ranā piſcatur, murenam amiſit, dumq; ad culmen venire contendit,

vnà cum ipſis ramis, quos comprehenderat, decidit; anno imperij nono, menſe ſeptimo, ętatis quadrageſimo tertiò: exitium eius præeunte cometa, ſubnigreſcente ceruleo pallore. Rex Ludouicus eius cæde tam effusè gauiſus eſt, vt centum quinquaginta pondo argenti in abacum facti núcio, qui procerum domeſticorum vnus erat, dederit; teſtatus eò iucundiorem ſe nunquam accepiſſe, neque vllum magis hominem, quàm Carolum metuiſſe. Erat Carolus militarium incommoditatum ſupra fidem patiens: caſtrorum & metatorum, vigilumq; apprime ſollicitus, natura ſeuerus, grauis, cerebroſus, ſui admirator: ſubditis audiendis expoſitus: erga Regum Principumq; legatos magnificus, ſumptuoſus: in veſtibus pompoſus: tantaque aulicæ ſupellectilis abundantia & precio, vt tres ditiſſimas regias antecederet: hoſtibus, & domeſticis etiam (ſi verus eſt Cominæus) formidabilis: ſententiæque ſuæ in conſilijs pertinacior: linguarum externarum, præſertim Latinæ, Hiſpanicæ, Anglicæq;, ac muſicæ peritus: hiſtoriarum, maximè de Alexandro Magno, & Iulio Cæſare ſcriptarum, ſtudioſus: vini cibiq; abſtinentior, quàm delatorum: Tam raræ caſtimoniæ, vt nulli, præterquam vxori, miſceretur: ſtupraque in milite non minùs quàm deſertionem, furtaque ſeuerè prohiberet, ac puniret: nam aliquot in oppidis, licet vi expugnatis, omnes milites in patibulum dedit, qui feminas illic contra edictum violauerant: conſulemque Zelandũ quendam, qui puellam illubentem viciarat, eamq; ducere iuſſus, abnuerat, capitis damnauit: militem denique in furcam egit, qui aniculæ mulieri gallinam ſubtraxerat: at faciles & largitores duces, hoſtibus ſunt quàm ſuis vtiliores. Statura fuit, vt ſcribit Thomas Baſinus, Lexouiorum Epiſcopus, coëtaneus familiariſque, mediocri; patre breuior, corpore vegeto, &

ſucculento, colore capillorum & oculorum nigro, naſo, mentoque oblongo, facie virili ſuffuſca, cineritia, ad ſimilitudinem maternæ originis Luſitanicæ. Hæredem inſolidũ habuit Mariam, filiam vnicam, quam Iſabella ſecunda vxor, amitina, Caroli Borbonij Ducis filia, Antuerpiæ ad Michaëlis ſepulta, ipſi peperit: prima & poſtrema coniugibus infœcundis, quarum illa Ludouici vndecimi Regis Galliæ, hæc Eduardi quarti Angliæ Regis ſoror erat, rarum erga priuignam, magni amoris fideique exemplar atque diſciplinæ, & in pauperes literatos honeſtoſq; prouidæ munificentiæ. Mechliniæ ad Franciſcanos ſepulta: quum ex aſſignato per maritum, Caſleti, Aldenardæ, Teneramondæ, Mechliniæ, Queſnoyæ, Binſiiq; vſufructu ſeſe 26. annis modeſtè aluiſſet. Aſt velim aliunde quàm ex Carolo multis ceteroquin, magniſque virtutibus eximio erudiremur. Primò tum faſtoſam confidentiam, tum temeritatem velut peſtem Regibus eſſe fugiendam: deinde peregrinis, exteriſque hominibus Principem non facilè fidere debere: nam vbi præit arrogantia, qui affectus ſuperiores non fert, æquales contemnit, inferiores deprimit; ſequitur cum detrimento ignominia: vt ſæpè in ore habebat Ludouicus vndec. in moribus perpetuus Caroli antagoniſta: Temeritas autem vbi primũ impetum effudit, ſicut quædã animalia, amiſſo aculeo torpet, ac, vt dicebat Fabius Maximus, præterquam quòd ſtulta ſit, infelix eſt. Ceterùm peregrini, qui ad alium Principem emigrant, ſoli (vt prudenter ait Cominæus) neceſſitati, tempori, ſpei vtilitatis ſeruientes, ampliorem ab alio conditionem oblatam facilè præponunt fidei, quàm illi, à quo primùm excepti ſunt, obſtrinxerunt. Sic Alexander Epiri Rex, à Lucano exule, quem circa ſe pro fido habebat, veruto tranſfixus eſt. Et Martinus Bellaius clariſſimus eques in com-

commentariis ſcribit, Erardum Marchianum Epiſcopum Leodienſem: Philibertum Chalonium, Orengiæ Principem: Hieronymum Moronum Mediolanenſem: Andream Doriam genuenſem, Franciſco primo Gall. Regi (quia ipſi peregrini ab eo ad hoſtẽ deſciuerunt) plus nocuiſſe, quàm vllam aliam vim, aut occaſionem. Vt enim in quam domum veſpillones veniunt (ait politicus ille Iuſtus) ſignum eſt funeris, ſic reipub. labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini.

Sub eo commemorâtur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis: Henricus *Dixmudanus*, Guilielmus *Grachtius*, Nicolaus *Zuckela*, Guilielmus *Wallius*, Ioannes *San Nicolaus*, Guilielmus *Drinchamius*, ob equeſt. ord. virtutemque ante Nuuſam. Ludouicus *Gruthuſius*, ob Hollandiæ præfecturam, & Winceſtriꝫ in Anglia comitatum, donatũ à Rege Eduardo quarto, propter officia Regi exuli præſtita. Balduinus *Voſſius*, ob equeſt. ord. dominatumque Zomergemi ac Louendegemi. Nicolaus *Trieſtus*, ob equeſt. ord. magnumq; baliuagiũ Gandenſe. Guilielmus *Bieſus*, ob præfecturam œconomiæ Principis. Petrus *Metteneyus*, ob Brugenſium militarem Ducatum in bello Leodienſi. Balduinus *Noyella*, ob ordinem aurei velleris. Philippus *Cominaus*, ob Ruſchurij dominatum transfugiumq; à Principe ad Ludouicũ vndecimum Gall. Regem. Philippus *Ongnyeſius*, Balduinus *Halewinus*, ob mortẽ in prælio Montlherico. Guilielmus *Stauelanus*, ob captiuitatem in eadem pugna, Feurnæque Burggrauiatum. Ludouicus *Ghiſtelanus*, Florentius *Slaenſlachtius*, ob virtutẽ in pugna ad S. Trudonis contra Leodienſes, partumque illic ordinem equeſtrem. Anſelmus *Adornius*, ob Genuenſem originem, Brugæ natiuitatem ciuitatemque, & equeſt. ordinem.

V 2 MARIA

MARIA VALESIA MAXIMILIANO AVSTRIÆ ARCHIDVCI NVPTA.

MARIAE, cui Gandauum à teneris educationem, Bruxella natalem locum præbuit, Rex Ludouicus vndecimus, qui illam ad ſacrum fontem, matris ſuæ nomine donauerat, pernicioſus inprimis hoſtis fuit: quamuis circiter annum ante Caroli interitum, pactas inducias nouennales cum Carolo, eiuſq; hærede, ditionibusq;, ſuper ſancta Euangelia, ſuper ſtipitem veræ crucis Chriſti, per fidem Deo debitam, per ſanctam legem Chriſti in baptiſmo acceptam (ſic recitant annales) iuramento ſanxiſſet ad annum 1475. menſe Septembri. Neque enim Ducatum Burgundiæ tantummodo, ſed quæcunque patri auoq; per Atrebatenſem & Confluentinam pacificationes acceſſerant, Mariæ, poſteriſq; ſubitò eripuit. Ad has inuaſiones vſus inprimis literis fraudulentis, ad Ordines regionum quas vſurpauit, prætexentibuſq; ſpeciem cognatæ, & orbæ, quam filij nuptiis deſtinabat, protegendæ, eiuſq; ditionum: defectionibus Orengij Principis (gentis Chaloniæ) & Philippi Creuecurij, ſuccenturiantibus cupiditati Regis, Flandros etiam in tantam ſeditionem, turbaſque incitantis, vt ipſamet Maria, veſte vultuq; lugubri atque flebili, cum nouerca ipſi fidiſſima, à Gandenſibus tam in curia ſcabinorum, quàm in foro reiiceretur, precabunda, ne Guydi Brimæi Hymbercurtij, Megæ Comitis, & Guilielmi Hugoneti, Cancellarij, cui Carolus Middelburgum Bladelinum antea donarat, ſupplicium præcipitarent, ſed idoneis illos iudicibus concederent. Quorum pœna capitalis, quia memorabilis eſt, tum ob inſignem contemptum legitimæ Principis, virginis, æquiſſimum orantis,

tis, tum ob caſus hominum dexteritate, prudentia, facundia, auctoritate præcellentium, latiùs in hunc ſenſum Gallicè enarratur per Ioannem Molinetum Synchronum, hiſtoriographum, nondū quòd ſciam, non magis quàm Georgium Caſtellanum, qui vitam Philippi Boni ſcripſit, typis euulgatum. Quum illi à legatione Peronenſi Gandauum rediiſſent, vbi Princeps erat, Ordineſq; Belgij, & poſtulata Regis Ludouici, quibus Maria in tutelam regiam, nuptiaſq; regij filij ſepténis, ipſa vigeſimum ætatis annum ingreſſa, efflagitabatur, vrgerét, Mariæ triſtitiam, lacrymaſq; vt quidam affirmant, exciuerunt: neque non Ioannis Cliuiæ Ducis, eiuſque fratris Adulphi Raueſteinæ reguli ſimultatem, præſentium, & Marię coniugium filio Cliuenſis ambientium. Quorum indignationi acceſſerūt artes Regis Ludouici, diſſidiis interſerendis (teſte Cominæo) aptiſſimi: neque non Ludouici Borbonij, Epiſcopi Leodienſis, cui Arenbergius aderat, Comitiſq; Sanpaulini Petri aduerſus vtrumque iracundia: illius propter Leodienſem prouinciam ab Himbercurtio adminiſtratam, offenſi: huius propter patrem Coneſtabilem tam auidè propereque Gallis Peronæ ad ſupplicium ab illis traditum, iratiſſimi. Hinc Gandenſis per illorū inimicos excitati, & eximiæ vtriuſque apud Carolum, Mariamq; potentiæ infeſti, ambos comprehenderunt, Ordinum aſſenſu: Cancellarium quidem domi ſecurum: Himbercurtium, vbi de illo audiuit, vitabundum, & ad Carthuſios, vrbi proximos, ſe proripientem, atque latentem: quāuis vterque per amicos fuiſſent tempeſtiuè præmoniti impendentis calamitatis: Sed quæ fato manent, quāuis ſignificata, non vitantur. Soli verò Gandenſes illos exāminandi, torquendi, atque iudicandi auctoritatem vſurpantes, intra ſex dierum ſpaciū (ne ampliati prolixiùs, per gratiam amicorum elaberentur)

tur) demum per ora vulgi ad tribunal ſuum productos,lecta publicè ſententia,capitis damnarunt, treſque poſt horas ſupplicio affecerũt: licet interponendæ moræ, ad curiam Pariſienſem prouocaſſent. Poſtulati ſunt priuilegiorum vrbis Gandenſis infractorum, & iudicij (quod pro Gandenſibus nuper tulerant) pecunia remunerati: Sanpaulini ad ſupplicium præcipitati: Caroli Principis ante Nanceium, numis ſtipendiariis aut ſuppreſſis, aut ſerò miſſis, deſtituti: traditæq; Gallo, per Creuecurium Eſquerdium, ipſis auctoribus, Atrebati ciuitatis, hoc eſt, alterius Atrebati vrbis, vbi Epiſcopi ſedes, dynaſtiaq;. Sed nullius criminis obiecti ritè peragebantur, præterquam fortè poſtremi: quod tamen Gandenſes vrbis ſuæ priuatis rationibus, motibuſq; velut nube circumdati, oſcitanter reis opprobrabant: hoc innocentiæ ſuę teſtimonium conſecutis, quòd ipſa princeps (ad quam iudicium pertinebat) interceſſerit, eoſq; ſeruare, maximopere niteretur. Et prior quidem Cancellarius, eodem iudicij die, qui erat poſtridie Kal. Aprilis, anno 1477., laneam, ſplendidam, pellibuſque Scyticarum muſtelarum (quas Martes vocant) ſuffultam indutus togam, firmo gradu (quamuis ſæua priùs quæſtione excruciatus) venit in forum, cui à die Veneris nomen eſt, ac in ſuggeſtu contabulato, atriſque pannis cooperto, ceruicem gladio ſubdidit, in genua ſubſidẽs, manuſq; iungens, atque taciturnus, ob linguæ Flandricæ, vt credibile eſt, ignorantiam; erat enim natione Burgundus: ſed Doctore Theologo Carmelitico, eius nomine declarante, quem intuerentur iampridem Cancellariũ obteſtari, vt ignoſceretur, ſi quemquam mortalium, præſertim heras ſuas Burgundicas offendiſſet. Cœtus Carmeliticus decapitati corpus, cum ardentibus quinquaginta cereis facibus iuxtim operiebatur, ſuum ad templum deduxit atque ſepeliuit:

liuit: Succeſſit Carondeletus in eius munus atque dignitatem. Eadem hora Meganus Comes ad ſupplicij eundem ſublimem locũ, ſed rubro panno, ob equeſtrem aurei velleris ſplendorem, obtectum, carruca vectus eſt: quòd propter torturæ aſperitatem pedibus incedere nequiret, veſtem nigram holoſericam amictus, fartam pellibus atris agninis. Binis autem ſatellitibus Gandenſibus innixus, longa oratione ciuibus indicauit, quàm temerè iniuſteque in inſontem aurei velleris equitem, & ex ſacro loco, velut è ſinu matris vi extractum, iudicium exercerent. Tripodi dehinc ob eam, quam dixi imbecillitatem, impoſitus, necem à carnificis gladio excepit: quum morienti ſacellanus familiaris, duoque doctores Dominicani aſtitiſſent: huius cœnobij ſodalitio cum domeſticis pullatis, centumq́; tedis truncatum corpus ad ſepulturam, in Poſternæ ſacellum proſequẽtibus. Verùm haſce tragœdias, Mariæ cum Maximiliano Archiduce Auſtriæ, Friderici tertij Cęſaris ac Leonorę Eduardo Portugalliæ Rege, Mariæ auunculo magno genitæ, filio vnico, nuptiæ exceperunt, Treuiris tractatæ, & ad Nuſiam patris ſigillo promiſſę, literis annuloq́; adamante Indico inſignito (ceu ſponſaliorum addictorum arrabone) à Maria ad Maximilianum, patris iuſſu tranſmiſſis, &, Carolo mortuo, à Mariæ concilio, vrbiumq́; delegatis Brugæ ratihabitæ, legatiſq́ue Cæſareis, Archiepiſcopo Treuirenſi, Metẽſi Epiſcopo, oratori, Bauariæq́; Duci addictæ: Maria etiam in Ludouici Bauari, legati primarij, & Maximiliani mandatarij, manuum conueniente, ac ſolemni principum more in eodem thoro, illi dexteram tibiam armato, accumbente. Gandauum pòſt Maximilianus venit regifico Saxoniæ, Brandeburgi, Badenæ, Heſſiæq́; Principum comitatu, ad annum ſeptuageſimum ſeptimum, milleſimum quadringẽteſimum,

decimo octauo Auguſti die: quo in noctem vergente, ſponſam adiit, & ad primũ ſponſi appropinquantis aſpectum, in genua ſubſidentem, inſolitoq; pallore notabilem, ipſe in genua proruens, amplexu, oſculoque ſalutauit: Poſtridie, qui Martis erat, fuit illud matrimonium confectum, Epiſcopo Tornacenſi dextras vniente: ſponſa vigeſimum annum agente, ſponſumq; annis duobus antecedente, ſuiſmet capillis in ſcapulas demiſſis, corona aurea ambitis, veſtem auream candentem aſtricta, ex qua ampliſſima toga ſimilis, harmelinis ſuffulta, in terram defluebat: Chimai & Gruthuſæ regulis pronubis, eam deducentibus. Sponſum aurea toga longa, vnionibus prætexta, pelliumq; zobellinarum (quas Latinè ictides hominant) precio ſumptuoſa exornabat: vtrumq; formæ ætatiſq; vigor ſpectantibus commendabat: quarum nuptiarum præcipua & antè præfixa, comitia conuiuiaq; Brugę, decimo pòſt die apparata, exſplẽduerũt. Porrò *Ooſtrykum*, hoc eſt, regnum Orientale (quam Latinè Auſtriam vocitant) Pannonia ſuperior antiquitus dicebatur, eiuſq; primus Marchio Leopoldus fuit, vir ſororis Henrici primi Cæſaris: ſub Friderico primo Imperatore Ducatus titulum nacta, demum ad Albertum peruenit, filium Rudolphi ex Comite Habsburgenſi in Cæſarem electi, eamque regionem legitimo Principe orbam, auctoritate prærogatiuæ imperialis, aſſenſuq; Imperij Principum, filio, ad annum 1282. concedentis. In qua ſtirpe hactenus permanſit, Friderico tertio Cæſare, Maximiliani patre, Archiducem ſeſe primum inſcribente: quod tamen quidam Germani Rudolpho tribuunt, Cæſaris Rudolphi pronepoti, quum Tyrolenſem Comitatum Auſtriæ adiecisſet. Gentis verò Habsburgenſis originem, quidam à Petris Leonibus Romanis, Iuſtiniani Auguſti, Totilæq; regis tempeſtate, in monte Auentino

tino

cino illuſtribus validiſq́;, alij à veterum Auſtraſiæ regum ſanguine repetunt: Sed eruditi noſtro æuo Germani ſcriptores volunt, vt ea ſtirps haud dubiè nobiliſſima, à Guntranno Aldenburgenſi Comite, qui circiter annum nongenteſimum & quinquageſimum floruit, deducatur: cuius nepos Rapotus arcem Habſburgenſem ad lacum Lucernatem primus extruxit: tritauus Alberti, cuius filius Rudolphus Cæſar fuit. Ceterum quum Maria corporis ingeniique ſummo vigore & alacritate eſſet, annumq́; vitæ vigeſimumquintum, Principatus quintum, menſes tres recenſeret, aſturcone ceſpitate, eiuſq́; ephippio malè cincto, eſt delapſa, & impacta arboris trunco ſubiacenti, quum aucupio animum oculóſque intendiſſet, non procul à marito venante, vterum gerens (vt quidam ſcripſere) & quum partes corporis internas eſſe læſas aut ignoraret, aut ne marito inœſtitiæ foret, diſſimularet (apoſtemate letali intus oborto, atque febre) è viuorum conſortio, poſt tres ſeptimanas, Brugæ deceſſit anno 1482. menſe Martio, iuſto, infinitoq́; omnium dolore, ad Virginis matris ibi regifico monumento ſepulta: cui inſignem amorem erga maritum, honeſtatem, ac liberalitatem eximiam, hiſtoriæ tribuunt. Genuit, ſuperſtiteſq́; habuit Philippum quadriennem, atque Margaritam: Franciſco, Georgioq́; in infantia extinctis: quorum Philippus natus anno 1478. Iunij die 22. à meridie, coniugio felix atq; fœcundus: Soror ſine liberis fuit, & infortunata: quod Caroli octaui Gall. Regis, in cuius aulam trimula deducta, deſponſaq́; Amboſæ, octo circiter annos egerat, Annam Britanniæ dominam præferentis, repudio indignabũda, ex Ioannis Hiſpaniæ Principis, primo nuptiarum anno, lapſu equi ſublati, coniugio, præter puerum breuiſſimi æui, nihil peperiſſet: ac ex Philiberto, Sabaudiæ Duce, immaturè mortuo, nullam

Iam prolem ſuſcepiſſet: Mechliniæ anno 1530. mortua, Brugæ vrbi natali, in cœnobio Annunciatarum, quod condiderat, ſepulta: quũ ætatis 51. annos egrederetur, Belgiumq́; pro Carolo nepote, viginti tribus annis, moderatè adminiſtraſſet, pacemque Cameracenſem cõfeciſſet. At Maximilianus, ab vxoris morte, vix elapſo quinquennio; Romanorum Rex electus, quum tutelam filij, quam anno 1485. Gandaui ſolemniter iuratus ſuſceperat, filio mox Mechliniam traducto, more Germanico, prodigæque iuuentæ, liberiùs & ſumptuoſiùs gereret; neque expenſi ratio conſtaret, & conſiliariis populiuoris nimium tribueret: quod in moneta, quam in Flandria excudebat, & pro lubito interdum intendebat, inſignia noménve filij ſæpiùs prætermitteret: quod eius milites Alemani, agricolis iamdudum oneroſi paſſim moleſtiq́; eſſent: quodque cohorti eius prætoriæ Germanicæ (quæ Brugenſibus grauis & minabunda erat) illic in Burgo, ex more militię in orbem decurrenti, Comes Sorrius Germanus inclamaſſet, vt haſtas militariter prætentarent, quæ vociferatio ſpectaculumq́; ciuibus inſuetis, & ſuſpicacibus metum bilemq́; in naſum conciit, in tantam Gandenſium, Brugenſiumq́; inprimis, quorum portis eius milites inſidioſè imminebant, alienationem, immodeſtiamque incidit, vt Brugæ, Gandauiq́;, intimorum aulicorum ac officiariorum ſuorùm publicos carceres, cædeſque ferret: præſertim Iacobi à Ghiſtela, Dudzelæ, & Petri Lãchalſi Palatini œconomi Oſſenæ, toparcharum, equitumque; quorum hic Schulthetus aſper, ille Burgimagiſter profuſus pridem habiti Brugæ fuerãt. Vtrique ſanè actio repetundarum, & exactiones in plebem inuentæ, & Maximiliano ſuggeſtæ (quæ præcipua odij cauſa) obiiciebantur, tam atrociter, vt publicè eos quæſtioni Brugenſes ſubiecerint, & capite plexerint;

xerint; neque eandem actionem, pœnamq; Rolandus Feuerus, Flandriæ quæſtor, aliiq; pecuniæ publicæ coactores, niſi dextro effugio euitarunt: Neque Ghiſtelani in ſuggeſtum ad necem adducti vxor, ex domo Stauela nobiliſſima, pro mariti vita, plebi ſupplicans cum duobus liberis quicquam obtinuit. Polhainus & Naſſauius Comites Germani, Carondeletus Cancellarius, Abbas Bertinicus, Mingouallius, Wilernoulus, Areſſiuſque Belgæ, Maximiliano non magis accepti quàm plebi ſuſpecti, à Bruganis, Gandenſibus efflagitantibus traditi, Gandenſi carcere, vitæ ambigui detinebantur, Comite Sorrio, aſtu ſeruato: nam in mulieris, ſiniſtra ſportulam, capite onus porraceum geſtantis habitum diſſimulatus, Brugam exierat. Verùm ipſe Rex Maximilianus ciuiliter accerſitus in Brugenſe forum, ab armatis ciuibus occupatum, coram Gandaui Brugæque delegatis, quinquaginta duos decanos opificum, arma vexillaque oſtentantium, capite aperto, pileumq; manu gerens ſingulatim, blandeq; alloquebatur: parebatq; rogantibus modeſtè, vt in ædes Craneburgias (ſignũ trium gruum ex Burgo eminentium adhuc præferentes) aromaticam tunc tabernam, ad angulũ plateæ Santamandi, foro adhærentes, diuertere, & ſe ibi iuxta ciues obſeruari non dedignaretur, donec non ipſum (pro quo viuere moriq; ſe paratiſſimos clamabant) ſed quoſdam eius familiares, vrbi, Flandriæq; noxios caſtigaſſent. Vnde poſt octodecim dies, exornato equo tranſductus eſt in abſentis reguli Raueſteini diuerſorium, vtpote ædes laxiores & ſplendidiores, magiſq; à tumultuante foro ſemotas, ad pontem aſinarium, quæ erât Ioannis Degroſſi, ordini aurei velleris à theſauris. Brugenſibus regi per totam vrbem incedendi copiam conceſſuris, niſi ab inſana ebriaq; plebe (quę Principis penu diripuerat, cohortem prætoriam

toriam

toriam, inermem illuſamq; eiecerat) eius incolumitati metuiſſent: certè illi iterum in forum armatum reuerenter euocato, nudoq; vertice ſtipulanti, fideliter promittentibus: Se neque Gandenſibus, qui detentionis eius primi pręcipuiq; auctores erant, neque Francis eum tradituros (quod expauebat) neque in corpus eius, aut ſupellectilem, manus iniecturos. Quum autem in ea detentione ab vndecimo Februarij die, anno 1488. fuiſſet, Maij ſubſequentis decimo ſexto liberatus fuit, Brugamque ſub meridiem egreſſus: conſiliariis Philippi filij & Germaniæ Principibus, Belgicę prouinciis, atque Innocentio octauo Papa, minabundè intercedentibus, quum antea ad aram in foro, theatroq; eminentem; in qua Euchariſtia, aureaq; crux, cum feretro Donatiani, qui antiquitus Flandriæ pacificator dicebatur, venerabundè ſpectabantur, iuramento ſanxiſſet tranſactionem: qua & delicta mutuò cōdonata ſunt, amneſtia Brugenſibus ſupplicibus promiſſa, & captiui dimiſſi, vadeſq; pactorum dediſſet, Hanonnum ac Volkeſteinum regulos Germanos, & Philippum, ex Cliuiæ Ducibus,Raueſteynum. Filij verò tutela in reliquis Belgis, præterquam Flandris, patri manſit: acceſſitq; quatenus Flandriæ intererat, maternis pupilli cognatis, atque neceſſariis, Adulpho à Cliuia Raueſteino, & Philippo, Antonij Magni nothi filio, Beueræ, Veræq; dynaſtæ. Verumtamen Maximilianus, tum patris Cæſaris auxilia Germanica circiter Pentecoſtem in Brabantiam pòſt adducentis, Brugæque, vnde quos dixi prædes, callidis promiſſis, eduxerat, Gādauoq; (fruſtra tamen) comminātis auctoritatē: tum detentionis indignitate cōuulſus, memoriam depoſuit iuramento firmatæ pacificationis: neque præſidia ſua Hulſto, Aloſto, ceteraque Flandria, ex pacto amouit, &, prætexens officium, patri, & Imperatori

ſuo,

ſuo, vetera imperij iura in Flandria vendicanti debitum, bello Brugenſes Gandenſesq́; ſtatim impetiit: qui ſe Gallicis fœderibus, ſubſidiiſque munierunt. Vnde magna Belgij pars diſſidiis popularibus inundauit, donec pace Turonenſi ad annum 1489. inita, tutelam filij, qui interim Mechliniæ educabatur, etiam in Flandria reciperet: quã tamen Imperij Germaniæq́; negociis poſthabuit, & Margaritæ Yorkæ, Caroli ſoceri viduæ, Adulpho Raueſteinæ regulo, Franciſcoq́; Buſleydio Archiepiſcopo poſtea Veſontino, & Ioanni Carondeleto, Cancellario Chanuanſij, Sorræq́; domino, filij curam commiſit. Erat Maximilianus ore probo, & pace belloq́; venerabili: ſobrius, diligens, clemens, linguarum iuxtà peritus atq́; parcus, rei bellicæ peritiſſimus, felicior in oblatis, quàm arreptis maximis occaſionibus: cõſiliis ab aliorum iudicio diſcrepantibus: largitionũ immodicus, & hinc ſæpè votorũ inualidus. Viris matheſeos, medicinæ, hiſtoriarumq́; gnaris, familiaris. Quas diſciplinas exemplo hortatuq́; ſuo in Germania excitauit, & illuſtrauit: atque refloreſcentium in gymnaſio Viennenſi literarum celebritate, Imperij Electores Fridericum & Ioachimum, illum Saxoniæ Ducem, hunc Brandeburgi Marchionem permouit, vt Wittenbergæ ad Albim, Francofurti ad Viadrum, academias inſtituerent: ex idæa ſcolæ Tubingenſis ab Erhardo Comite Wirtenbergio, ac Lipſienſis abs Friderico Strenuo, Saxoniæ Duce, erectarum, emanantiumq́; ex Banonienſi, Pariſio, ac Pragenſi gymnaſiis. Modeſtiæ, mortalitatiſq́; vſque adeò meminerat, vt aliquot ante mortem diebus, ſolummodo Maximilianus appellari voluerit: & quernum capulum ciſtæ incluſum, triennio ſecum ferri inter pretioſa iuſſerit; caueritq́; teſtamento, vt exangue corpus ſuum, rudi xylino inuolutum, abſque vlla exenteratione, illi impone-

poneretur, naribus, ore, auribusq; viua calce oppletis. Velſæ in Auſtria febre, & accedente, ex virium reſolutione, alui profluuio, anno decimo nono ſupra ter quingenteſimum, mortuo, & Nieuſtati oppido natali, condito, tota Germania, publico luctu, epicediis, encomiiſq; parentauit: quum ætatis annū quinquageſimum nonum, menſem nonum, Imperij triginta duos (ſi annos ſeptem quibus cū patre regnauit connumeres) menſem vndecimum ageret, nepotibuſq; ex filio ad rerum faſtigia ſtrauiſſet iter, exemplo ſuo, atque commendatione. Illegitimus pater Georgij, Leodienſis Epiſcopi, quatuorq; filiarum, Rocheforti, Eſpinoyę, Embdæ, Hilli Comitibus enuptarum. Porrò Maria omnes admonet fragilitatis vitæ humanæ, cuius nimia in proſperis rebus obliuio eſt: deinde reginas decere, vt paterno publicoq; conſilio maritos accipiant. Æquius enim eſt, vt vni puellæ pater & populus maritum, quàm vt vna puella vniuerſis Regem eligat. Brugenſis verò Maximiliani detentio argumento eſt, prodigam largitionem eſſe Principi euitandam. Licet enim magis regium eſt ditare, quàm diteſcere, & Reges armis, quàm munificentia vinci, minùs flagitioſum; tamen circumſpiciendum eſt, ne inconſulta largitione, pœnitentiam publicamq; iacturam incurramus, & liberalitas pereat liberalitate. Philippus Alexandri Magni pater, Veſpaſianus, Rudolphus Primus, Fridericus tertius Cæſares, & Ferdinandus, cognomento Catholicus, Rex Hiſpaniarum, ex quibus Carolus Quintus Auguſtus, originem duxit exemplumq;, laudabiliter vſi ſunt beneficentia parcipromа.

Sub iis commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Ludouicus *Bruganus*, ſiue *Gruthuſius*, ob ordinem aurei velleris, diligenſq; in Principē obſequiū. Antonius *Vichtius*, Ludouicus *Baenſtius*,

ſtius, Iacobus *Voochtius*, Ioannes *Nieuwēhouius*, Georgius *Ghiſelenus*, Cornelius *Boōhemus*, Antonius *Dauchyus*, ob equeſt. ord. virtute partum in prælio Guinegatæ. Galterus *Crachtius*, Philippus *Schoorus*, ob equeſt. ord. renouatumque Brugæ magiſtratum, ex mandato Maximiliani Principis. Iacobus *Doncha*, ob commiſſam curam, cuſtodiamq; aſſiduam Principis innuptæ, Flandriæque Watergrauiam. Ioannes *Dadiſelius*, ob equeſt. ord. fidē erga Principem, magnumq; Gandaui Baliuagium. Carolus *uvikercanus*, ob equeſt. ord. & Burgimagiſterium Brugæ. Hadrianus *Haueskercanus*, ob præfecturam militarem Vrilatorum, Iabbecæ & Zillegemi. Petrus *Metteneyus*, ob vexilliferatum vrbis, militiæq; Brugenſis. Iacobus *Halewinus*, ob Baliuagium Brugenſe. Iacobus *Ghiſtelanus*, Petrus *Lanchalſius*, Generalis Flandriæ quæſtor ob equeſt. ord. fauorē in Maximilianum Principem, eaq; de cauſa vltimum ſupplicium. Georgius *Waterulietus*, ob fidem in Principem Maximilianū. Ioannes *VVittus*, ob Schultheti Brugenſis munus. Ioannes *Stauelanus*, Iſeghemenſis: Arnulphus *Gauerus*, Schoriſſius: Ioannes *Claerboutus*, Pitthemenſis: Iudocus *Porta*, Morſledenſis: Cornelius *Barra*, Moſcronius: Andreas *VVoeſtinius*, Becelarenſis: Hadrianus *Vilainus*, Reſſeghemenſis: Ludouicus *Flandrius*, Praetenſis, ob tabulas pacificationis inter Regē Maximilianum & Brugenſes initæ, ſubſignatas, dynaſtiaſq; aſſcriptas. Ioannes *Lichteruelдius*, Rolandus *VVedergratus*, Ludouicus *Crana*, Iuſtus *Courtewillus*, Ioannes *Nieuwenhouius*, ob equeſt. ord. & deſtinatam per vices præfecturam cubiculi Maximiliani: Ioannes *Bernagius*, Iuſtus *Denterghemus*, Stephanus *Lidekercus*, ob deſtinatam per vices œconomicam palatij præfecturam.

PHI-

PHILIPPVS AVSTRIVS, PVLCHER.

PHILIPPVS Brugæ natus, proauiq; materni nomẽ adeptus, ad Donatiani (teſtibus ſponſoribuſque baptiſmi, Adulpho Raueſteinæ, Petro Sanpauli regulis, cũ Margarita matris nouerca) adoleſcentiæ curatores habuit tam prudentes, vt pœnitenda non ſuaderent, tã ſanctos, vt populi Principiſque ſalutem ſuis commodis anteponerent; tam graues, vt adulari nollent; Principem denique cunctis acceptum redderent: Cancellarij eius, Ioannis Sauuagij virtutem, Deſ. Eraſmo in Epiſtolis ſæpiùs commendante, & ipſum Philippum panegyrico collaudante. Cuius nomine tunc primùm in Flandria edicta promulgata ſunt, quum annũ ętatis decimum ſeptimum ageret. Comitatui Flandriæ anno 1494. in Octobri Gandaui inauguratus fuit per procuratores præter morem. Eius tamen ſolemnitatem & inueteratum ius nactam conſuetudinem, ipſemet poſt triennium Gandaui impleuit. Irrepſerũt ſub eo primùm in Flandriam, ex promiſcuo comitatu Hiſpanico virorum fœminarumq; claſſis, Philippi ſponſam adducentis, puſtulæ (quas vulgus Hiſpanicas vocabat) morbi venerei, ſerpentis cõtagio, & per immenſos iuncturarum cruciatus, fœdiſſimis vlceribus corpora libidinoſa inficientis. Eadem ferè tempeſtate inualuit in hæc vſque tempora; conſuetudo, bailiuorum munia elocandi Principis lucro: antè per Principem conſultis, generalibus Flandriæ quæſtoribus, ac Lilano ratiociniorum conclaui, culpæ non rarò affinibus, ſi illuc euadunt homines, nihil penſi habentes, quàm iuſtè penſiones Principi debitas, cupiditateſq; ſuas impleant. Videntur autem Philippi conſiliarij audaciùs eò deſcẽdiſſe (vt ærario eius con-

ſule-

ſulerent) exemplo Galliæ: vbi officiorũ iudicialium mangones, & numeroſi ſunt, ac (ſi verus eſt Cominæus) à Pariſienſi curia tolerantur, contra Alexandri Seueri inſtitutum: Non patiar, dicentis, mercatores poteſtatum, quos ſi patiar, damnare nõ poſſum: erubeſco enim punire hominem, qui emit, & vendit. Porrò tanta formæ dignitas in Philippo fuit, vt tranſeuntis maximo applauſu per Galliam in Hiſpaniam pulcritudinem, Celticæ matronæ puellæque obſtupeſcerent, & omnia bona omnes dicerent. Cui venuſtati, dotes ingenij, clementia, comitaſq; æquabãtur. Vxorem Lieræ Brabantiæ priùs duxit Ioannam ſecundo loco genitam ex Iſabella Caſtellæ, hoc eſt, totius vlterioris præter Portugalliam Hiſpaniæ, & Ferdinando citerioris, ſiue Terraconenſis, aliarumq; ditionum regibus præſtantiſſimis. At quum Ioannes Hiſpaniæ Princeps, cui ſoror eius nupſerat, illiuſque germana, maior natu, Emanueli Portugalliæ Regi iuncta, abſque prole deceſſiſſent, poſt mortem ſocrus Hiſpaniæ vlterioris hæreditatem per vxorem acquiſiuit ad annum quintum ſupra ter quingenteſimum: poſt factas ſumptuoſiſſimè ſocrui Bruxellę exequias, caduceatore Palatino ſtatim in eo ipſo conuentu, temploq;, præconio exclamante, *Viuat Philippus & Ioanna Reges Caſtellæ, Legionis, Granatæ*; ipſique Philippo enſem regium porrigente, titulis, & inſignibus Philippi amplificatis. Socero vt regnorum dotalium regia adminiſtratione decederet, quam ex maſcula regum Caſtellæ ſtirpe vnde prodiit, vxoriſque teſtamento vendicabat, placato tranſactione qua ſoceri vitæ conceſſit ſuprema D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ magiſteria, ſemiſſemque omnium ex Indiis redituum, annuaq; ex Caſtellanis viginti quinque milia ducatorum: quum omnes ferè Hiſpani proceres, Philippũ aſſiduè euocaſſent, ad eumq; appellentem,

velut ad orientem ſolē, accurriſſent. Aſt ille paucos poſt menſes, quum eſſet firmiſſimo corpore, ſummaq; felicitate & expectatione, luſuq; pilæ à prandio excalfactus, frigidam auidè bibiſſet, febri ſeptē dierum calidiſſima, quam medici cauſonem vocant, Burgis, vrbe Caſtellę veteris primaria, anno ſexto ſupra quingenteſimum & milleſimū, menſe Septembri è viuis migrauit: ad Miraflores Carthuſios, ibi propinquos, ſepultus in ſumptuoſo Regis Ioannis ex alabaſtrite monumento: corde Brugam in conditorium maternum tranſmiſſo: patre & vxore ſuperſtitibus, atque ſocero: qui ad Hiſpaniæ moderationem reuocatus, modeſtè rediit; eamque totam, excepta Portugallia (nam regnum Granatæ anno 1491. & Nauarræ, anno 1513. armis acquiſierat, Caſtellæque regno, in perpetuum coniunxerat) belli gloria auctam, Carolo nepoti tutam conſeruauit: atque mortuus, vnà cum Siciliæ, Neapolis, Sardiniæ, Balearium Indiarumq; Occidentalium inuentarum regnis, reliquit poſſidendam, ac adminiſtrandam. Fuit Philippus Leonoræ, Caroli, Iſabellæ, Ferdinandi, Mariæ, & Catharinę poſthumę, ordine pater. Leonora Emanuelis Portugalliæ (vnde filiam peperit) & Franciſci primi Gall. Regum vxor fuit. Carolus & Ferdinandus Cæſares Auguſti, Regeſq; ampliſſimi fuerunt: & hic quidem veterum tranſactionum, Annæq; vxoris iure, Hungariam, Bohemiamq; ſibi adiunxit: Maria ſterilis cum Ludouico, Annæ fratre, Hungariæ Bohemiæq; Rege nupſit: quo extincto, in Belgicæ procurationē, Margaritæ amitæ ſucceſſit: Iſabella cum Chriſtierno ſecundo Danię, Catharina cum Ioanne tertio Portugalliæ Rege, fœcundè nuptias contraxerunt. Fatum eius portendit ardens cometes circiter Idus Septembris in Septemtrionem prope plauſtrū, tetra luridaq; ſpecie, cauda ſplendida, denſaq; (vnde

pauo-

pauonis cauda vocabatur) in eorum porrecta: de quo vulgi opinio eſt, tanquam mutationem Regis portendat. Coniux autem illius, cuius prudentiam melancholia in morte viri intempeſtiua patefacta imminutam, modeſtia & in patrem reuerentia longè ſuperauit, anno ætatis ſeptuageſimo, cælibatus quadrageſimo nono, in Hiſpania, Tordeſillis ad annum milleſimum quingenteſimum & quinquageſimum quintum, cum morte vitam commutauit. At iucundum in Philippo eſt intueri, quantum momenti ſit in recta à teneris Principum inſtitutione, vt Achilles in tantum virum euaſit, proba Chironis educatione: quantoque *Gratior eſt, & pulchro veniens è corpore virtus Adiuuet*: quemadmodum hiſtoriæ atteſtantur, Achillis, Alcibiadis, Demetrij, Africani, Auguſti, Eduardi tertij & quarti Angliæ, Philippi quarti, ac Franciſci primi Franciæ Regũ, & Maximiliani Cæſaris res geſtas, formę alliciis fuiſſe commendatas.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Balduinus *Lilanus*, Ioannes *Sauuagius*, Ludouicus *Baenſtius*, cum Badenæ, Naſſauij, Sorræque Principibus, ob Flandriam ſolemniter Gandaui in fidem receptam, Principis nomine, mandatoque. Ioannes *Claerhoutus*, Iudocus *Wulſsbergus*, Iacobus *Deſparſus*, ob Brugæ conſulatum: Adrianus *Raueſchotus*, Ioannes *Kethullus*, ob equeſt. ord. & pacificandi, Principique reconciliandi Gandaui ſtudium. Adrianus *Vilainus*, Reſſeghemenſis, ob equeſt. ord. deſertamque Gandenſium cauſam, & idcirco necem, inſidiis Philippi à Cliuia, allatam.

CAROLVS MAXIMVS, IMPERATOR AVGVSTVS.

CAROLVM MAXIMVM, quod illi agnomentum Paulus tertius Pontifex ex familia Farneſia Romanus, ad annum quadrageſimum ſeptimum ſupra ter quingenteſimum, Cardinalium Senatuſconſulto, attribuit; orbis Chriſtiani, & peculiare Flandriæ ornamentum, anno M. D. biſſextili, Februarij die lunæ Mathiæ ſacro, Gandauum in lucem protulit: Carolo Croyio Chimai Principe, iuſſu aulæ, nomen imponente, quum ad Ioannis Baptiſtæ ſacris vndis tingebatur. Hunc Belgica anno M. D. decimoquinto Principatui inaugurauit: Hiſpania altero pôſt anno, Germania anno M. D. decimonono, Regem atque Cæſarem agnouerunt: quamuis Hiſpaniæ regnis non fuit inauguratus, ante annum M. D. decimum octauum: quod incredibili ſplendore factum fuit, Validoleti, in templo Paulino: vbi Ferdinandus frater, ſuis manibus in manus Guilielmi Croyij, Cieurij ritè complicatis, fidelitatem hominij iuratus, ad latus Regis in ſolio ſedentis, & hoc iubentis, nudato vertice ſtetit, procerumq́; Hiſpaniæ, ſe homagio deuincientium iuramenta Regis vice recepit. Conuenerat autem anno 1509. inter vtrumque eius auum, Maximilianum atque Ferdinandum, vt Carolus, matre viuente, donec ipſe vigeſimumquintum ætatis annum attingeret, regia appellatione abſtineret, ac adminiſtratione: & hanc Ferdinando auo materno interea concederet, maſculam prolē ex ſecundis nuptiis non ſuſcipienti, & quotannis ex Hiſpania in Carolum quadringentas auri libras cōferenti. Sed Ferdinandi mors, mentiſq́; in matre impotentia, regnum Hiſpaniarum ipſi accelerauit. Pueritiam Caroli, nam ſexennis patrem amiſit, & adoleſcentiam,

ad

ad probitatis normam direxerunt Margarita amita, Archiepiſcopus Veſontinus, ex progenie Vergya, Guilielmus Croyus Arſchotæ Cieuræq; Regulus, & Hadrianus Florentius Vltraiectinus, Theologiæ Louanij Doctor, Academiæq; Cancellarius, qui poſtea ad Papatum, ſub nomine Hadriani ſexti, ſola virtute, doctrinaq; Romæ cognitus, peruenit. Et in tantam gloriam Carolum extulerunt, non Ludouici vndec. Galliæ Regis, ab hiſtoria Cominæi æmulatio, vt Bodinus aſſerit, quo Regem illum probiſſimi Cæſaris comparatione incruſtet, illuſtretq;, ſed cum inculpata educatione coniuncta, exempla aui, tam paterni, quàm materni, qui ceteros in Europa eius ſeculi Reges, virtute, auctoritate, atque laude anteceſſerunt. Turnacum, eiuſq; arcem atque agrum anno 1521. Gallis eripuit, ſibique ſubdidit. Chriſtiernum ſecundum, Daniæ Regem, ſororis virum, tribus regnis per ſubditos vicinoſq; exutum, cum vxore liberiſq; recepit anno 1523. eiuſq; reſtitutionem non vehementer liberos valde iuuit, aluit, nuptumq; dedit. Fratribus, equitibuſq; S. Ioannis Hieroſolymitani Xenodochij Rhodo anno 1523. per Turcos eiectis, donauit Melitem inſulã, iuratis eo nomine clientelæ fidelitatem. Capto ad Papiam anno 1525. Franciſco primo Gall. Rege, Flandriam Arteſiamq; omni ſupremo Franciæ imperio, & qualicũque obſequio emancipauit: cunctaque Andegauẽſium in Neapolim & Aurelianenſium, in Mediolanum, Genuamq; iura à Francis abdicata, in ſe tranſtulit. Roma ab eius exercitu anno 1527. ſexto Maij die ad ſuburbium; quà mons, quaq; S. Spiritus templum; ſuperata fuit, atque ſpoliata. Vltraiectina, & Tranſiſelana ditio, Henrici Bauari Palatini Epiſcopi, Ordinumque regionis ceſſione, à Clemente ſeptimo Papa, Imperioq; approbata anno 1578. in illum tranſiit: quum duodecim ante annos

Friſia illi acceſſiſſet à Georgio Saxoniæ Duce, centum florenorum milibus tranſigente: cuius patri Alberto, Belgij præfecto, in compenſationem pecuniæ mutuæ, operæque ſtrenuæ & ſumptuoſæ, per Caroli patrem conceſſa fuerat. A Clemente ſeptimo Pontifice in Imperatorem Auguſtum die natalitio, anno 1530. Bononiæ conſecratus eſt: quũ, anno 1520. menſe Octobri fuiſſet Aquiſgrani in Cæſarem inauguratus. Soleymanum Turcum potentiſſimum, toti Germaniæ inhiantem anno 1532. domum fugauit. Regna Cuſcana, Mexicana, Peruya, in Indiis Occidentalibus, auſpiciis aui eius Ferdinandi; per Chriſtophorum Colonem, Americumq; Veſpuſium, Italos, primùm compertis, opera Corteſij, & Pizarri Hiſpanorum, Chriſto ſibiq; ſubiugauit. Vrbem ampliſſimam in Africa, quam Polybius Tunes vocat, quindecimq; paſſ. mil. diſtare ſcribit à Carthagine, atque annexũ illi regnum latiſſimum, Hairadino Ænobarbo anno 1535. eripuit, ac Muleio Hazanio legitimo Regi reſtituit, leuiſſimo, binorum puta falconum, totidemque pernicum equorum, tributo impoſito; & arce Goletta retenta, firmataq; præſidio Chriſtiano. Quo tempore, Franciſco Sforcia ſecundo è vita ſine liberis decedente, Mediolani Principatũ iure Cæſarum prærogatiuo, tam ſuo, quàm Friderici tertij proaui acquiſiuit. Vnde illum plus emolumentorum quotannis hauſiſſe, quàm Regem Franciſcum primum, ſub idem tempus ex Galliá; & ex Belgio plus annuorum fructuum percepiſſe, quàm Regem Henricum octauum, eadem tempeſtate ex Anglia, Bodinus polyhiſtor in ſuis de repub. libris commentatus eſt. Magno eximiæ fiduciæ integritatiſque argumento, anno 1538. ad aquas mortuas, quas foſſas Marianas dicunt fuiſſe, & altero poſt anno peragratis Galliis ſe permiſit hoſpitio, fideique Regis Franciſci, nemini

Regum

Regum tunc cedentis ſinceritate, ac honorificentia hoſpitalitatis. Geldriam cum Zutphania, per Carolum proauum coëmptam, poſſeſſamq́; ſed ereptam à Carolo Egmondano ad annum 1543. recuperauit abtraxitque Guilielmo Cliuiæ Duci, nouo poſſeſſori, quum ante annum ad Argieram Africæ, non victoriæ, ob incredibiles aëris, mariſque tempeſtates, ſed rariſſimæ conſtantię laudem promeruiſſet. Ioannem Fridericum, Saxoniæ Ducem, Electorem, & Philippum Heſſiæ Lanſgrauium, illum forti ad Albim pręlio, hunc tranſactione controuerſa, nominiſque ſui metu, neque non maximam Germaniæ diſiunctæ partem anno 1547. arbitrio ſuo cuſtodiæq́ue faciliùs ſubdidit, quàm retinuit: Cameraco, vetuſta Imperij vrbe, paucos ante annos, contra Gallos aſſerto, arce impoſita, veluti freno atque vadimonio. Mediomatricum Metim, à Gallis interceptam anno 1552. fruſtrà obſedit, propter hyemis rigidæ niuoſæq́; aſperitatem, & præſidij nobiliſſimi pertinaciã. Teruanam Morinorum, antiquam nobilemq́; vrbem, Gallis fidam, perpetuamq́ue Flandriæ Occiduæ noxam, anno 1553. oppugnatione cepit, funditusq́; deleuit, cũm Heſdino, nouumq́ue Heſdini oppidum ſtruxit loco aptiori. Belgij proceribus, vrbiumq́ue legatis præſentibus, ditionum adminiſtrationi, Gandaui renunciauit, filij præſentis & ſuccedentis virtuti confiſus, ad annum quinquageſimũ ſextum, ſupra ter quingenteſimum, menſe Auguſto: tum rerum humanarum, regnandiq́ue tædio, & cæleſtiũ deſiderio: tum áſthmatis anguſtiis debilitatus. Fuit Carolus pecuniæ verborumq́; circũſpectus, cultu modicus, caſtimoniæ in coniugio imitandæ, iuramẽti abhorrens, præterquam neceſſarij: gnarus linguarum, motuumq́ue ſidereorũ: ingenio graui, perſpicaci, tẽperato, edito, in feruore ætatis, ſummæq́ue victoriæ, modeſtiſſimi

 ani-

animi teſtimonio: Nuncio enim Madrilij accepto, Franciſcum Gall. Regem Papienſi prælio captũ eſſe, ſtatim ad templũ iuit, Deo exercituum gratias acturus: poſtridie ſacroſanctam Euchariſtiam frequentiſſimo in cœtu ſumpſit: campanarum ſonitu, ignibus, aliiſque modis lætitiæ ſigna edi prohibuit: & palàm dixit triumphum ex ſolis noſtræ religionis hoſtibus ducendum: & ſummæ ſapientiæ probitatiſque verbis apud legatos, magnoſque viros vtebatur: quotidie bis ante lectum, ſubuculæ ſuperiniecta veſte talari, paulò minùs hora proiectus, Deum precabatur. Statura erat mediocri, valido neruorum nexu, peramplis manibus, cruribus venuſtiſſimè extantibus thoris, directis. Vultu, vt eum depingit Iouius, & eum vidimus ſeneſcentem, argenteo dilucidoque, naſo è medio clementer aſſurgente, oculis ceruleis, ac ſuauibus: mento, ad exiguam venuſtioris injuriã, paulò eminentiore, criſpa flauentiq; barba conueſtito: tam peritus equitandi cum dignitate, incitandi, inq; gyrum reflectendi equum, vt omnium applauſum excitaret. Ex Zelandiæ Rameca anno 1556. Septembri menſe ſoluit, & cum Leonora, Mariaque ſororibus viduis, ad Laredum, Hiſpaniæ portum, applicuit: inſignem illi vltimamque tranſuectionis operam feliciter nauante claſſis præfecto, equite Flandro, Wackenij comarcho. Inde ad Hieronymianum ſodalitium D. Iuſti, ſeptem à Placentia miliaribus diœceſis Toletanæ, locum perpetuo vere ſalutiferũ, lectica vectus eſt, ibique cum duodecim tantummodo intra domeſticos parietes, familiaribus (in quibus Malinæus Brugenſis hiſtoricus erat) ſanctè vixit, iniungẽs vt ſolùmodo Carolus appellaretur. Illic Romanum imperium ſponte abdicauit, breuique mortalitatem expleuit ad annum quinquageſimum octauum, ſupra quingenteſimum ac milleſimum, vndec. Kal.
Octo-

Octobris; ætatis anno quinquageſimo octauo, menſe ſexto, die 27, Principatus paterni 52: regnorũ maternorum 43. S. Imperij quadrageſimo. Sepultus eſt Eſcuriali: vbi filius Philippus ſumptuoſiſſimum templum, ædeſque, cœnobio Laurentiano, inſtituti Hieronymiani, ædificat. Ex Iſabella Emanuelis Portugalliæ Regis filia, quæ anno 1539. menſe Maio, Toleti deceſſit, reliquit Philippum virilis ſtirpis vnicum, ſucceſſorem, Mariam & Ioannam: Illam Maximiliano ſecundo Cæſari: hanc Ioanni Portugalliç Principi coniugatas. Nothos habuit non ignotos, Ioannem, nobiliſſimo ad Naupactum cõtra Turcos prælio celebrem: atque Margaritam, Alexandro Mediceo Florentinæ ditionis, dein Octauio Farneſio, Parmæ Placentiçque Ducibus, nuptũ à patre elocatam. Omnium autem à Carolo Magno Cæſarum virtutem, gloriam, potentiam, vel æquauit, vel ſuperauit; meritoq; obſtupeſcimus, Primò, tot regna hæreditate, tot victorias felicitate, tot virtutes natura & inſtitutione, in vnum hominem noſtris temporibus confluxiſſe: Deinde potentiſſimum hunc Imperatorem, tantas opes & dignitates vltrò abdicatas, vitæ priuatç conſtanter poſthabuiſſe, nullo exemplo, prçterquam Diocletiani Auguſti, non vt (quemadmodum ille) in patria hortiſq; ſecurè viueret, verùm vt religioni totum ſeſe impenderet.

Sub eo commemorantur viri nobiles hiſce gentilitiis cognomentis, Ludouicus *Flandrius*, ob ordinem aurei velleris, præfecturam ærarij Financiarum, & Pratæ, Woeſtinæque Baroniam. Adolphus *Burgundius*, ob equeſt. ord. Wackenæ dominatum, Vicehamyrali celebrem functionem, magnumq; Gandaui Baliuagium. Hieronymus *Laurinus*, ob equeſt. ord. & Waterulieti maritimi dominatum: Cornelius *Scepperus*, ob equeſt. ord. Ekæ ad Scaldim dominatũ,

 lega-

legationeſque ad Solymanum Turcum. Nicolaus *Vtenhouius*, ob equeſt. ord. Markegemi dominatum, munuſque Præſidis in cōcilio prouinciali Flandriæ. Guilielmus Walus, ob equeſt. ord. Hansbecæ, Axpoelæque dominatum, & renouatum confectumq́; Teneramondæ, Flandriæ cenſum generalem, ſiue tranſportum, ex Principis, & Quatuor membrorum mandato. Ioannes *Kethullus*, Volckeghemenſis: Iacobus *Halewinus*, Maldeghemenſis. Petrus *Houta*, Houtenſis, ob eundem cenſum renouatum, adiunctaſque dynaſtias. Antonius *Delnus*, Lęuinus *Pottelſbergus*, Iacobus *Stelandius*, Matthæus *Bauinchouius*, Hadrianus *Rokegemus*, ob renouationem eiuſdem cenſus vniuerſalis. Balduinus *Borluutus*, ob prœmium in haſtiludio equeſtri Gandaui coram Principe, eiuſque auo, Maximiliano Cæſare.

PHILIPPVS CAROLI MAX. F.

REGVM POTENTISS.

PHILIPPVS, Belgij Principum primus, in Hiſpania, Valle Olitana, vrbę Vaccæorum, anno vigeſimo ſeptimo, ſupra ſexquimilleſimum, menſe Maio, in lucem prodiit: quo tempore patri Roma ſubiugabatur: non leui eius amplitudinis augurio, qua illum dilatari ceteri Reges obſtupeſcunt, terrarum Turcicæ potentiæ dimenſionem, decies antecedentem: ſi Ioannis Bodini Galli polyhiſtoris de repub. commentariis aſtipulemur, atq; hinc, in Europa, octodecim regnorum, olim diſtinctorum, & tot Ducatuum, Comitatuum, aliarumq́; ingentium ditionum accumulatam poſſeſſionem: illinc, Indiarum, nouiq́ue orbis monarchiam perpendamus. Mariam patris conſobrinam, Angliæ Reginam, per Lamorallum Egmondanum

num,Gauerę Principem,procuratorem ſuum,antea ſibi deſponſam, anno 1554. Wintoniæ in vxorem accepit: regno Neapolis,& Ducatu Mediolanéſi,propter nuptias à patre donatus. Inſignes contra Gallos pugnas victoriaſque ad Quintinopolim ac Greuelingam, illuſtriori ad annum 1559. menſe Aprili, pace exornauit: qua ſibi ingens nomen amplificauit,& Emanuelem Philibertum,Sabaudia, Pedemontioq; ad annum 1535. cum patre eiectum,auitis ditionibus reſtituit, magna in amicitia conſtantiæ, & in potétia efficaciæ commendatione. Præclariſſimæ oleæ annexuit lauream immortalem, tum Auguſto Muſarum templo Duaci dedicato: tum ſacroſanctis Bibliis,Græca,Hebraica,Chaldaica,tripliciq́ue Latina lingua correctiſſimis ornatiſſimiſq́ue, ex academia Complutenſi orbi vniuerſo communicatis.Ex Flandria,ceteroq; Belgio pace tutis, ac opulétia copioſis, ſub finem anni quinquageſimi noni ſupra ter quingenteſimum in Hiſpaniam enauigauit. Poſt cuius diſceſſum, quam non tantùm in Flandria, ſed & in totoBelgio miſerè &infeliciter,peccatis noſtris apud Deum ita promerentibus,omnia ſucceſſerint,notiſſimum eſt: noſtriq; non eſt propoſiti, nec præſentis inſtituti de iis agere. Precemur itaq; Deũ Opt. Max. cum omnimoda emendatione vitæ noſtræ, ac morum noſtrorum correctione, vt omniũ noſtrûm miſereatur,& tandem donet nobis tranquillitatem, ac ſinceram & durabilem pacem.

IACO-

IACOBI MARCHANTII FLANDRIÆ DESCRIPTÆ

LIBER QVARTVS.

De bellis Flandrorum domi foriſque geſtis, illorum cauſis, atque exitu.

ET PRIMVM DE BELLIS CIVILIBVS.

PRODVCIMVS nunc Flandriæ Principes alio quàm antea habitu: togam prætextamq; nimirum ſago & paludamento permutantes, atque vel in Principem populúmve alienum, vel in ſubditos, belligerantes. Illa, bella externa; hæc ciuilia nominamus: Illa tot caſtris, quot diuerſorũ hoſtium frontibus, nominibusque diſparamus: hæc autem in vnum veluti campum Martium incingimus; & prius quàm externa, ſpectanda proponimus; non abſque gemitu atq; horrore. Quamuis enim omne bellum feras magis deceat quàm homines, ad mutuam ſocietatem opemq; natos, ratione inſtructos, vſu edoctos: tamen ciuilia bella, dum nec Principibus imperij, nec plebeis libertatis eſt modus, fuere, erũtq; potentibus populis magis exitio, quàm bella externa, quàm fames, morbive, quæque alia publica mala in cæleſtium iras vertunt: vbi, *Videre parentes*
Frontibus aduerſis, fraternaq; cominus arma,
Cognataſq; acies: - Vbi parati vtrimque ſunt corruptores fidei ac diſciplinæ militaris: ducibus obnoxiis, & flagitia prohibere non auſis, accédendo bello

acri-

acribus, temperando imparibus: at in victoria ferocioribus, vel natura, vel, vt adiutoribus morã gerant, neceſſitate. Adeò vt verè exclamarit facundiſſimus oratorum: *Quem bellũ ciuile delectat, eum ex hominum numero eiiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum eſſe.* Hæc interna, domeſtica, ac deploranda arma trecentis iam Flandria annis ignorabat, donec Balduinus Sextus Montanus, tranquillitatis publicæ ſtudioſiſſimus, Arnulphum atque Balduinum filios ex Richilde Hãnoniæ Principe reliquit, & Arnulphi curatelam Roberto Friſio fratri anno 1070. teſtamento commendauit, Flandriæq; adminiſtrationem. Quas Roberto depoſcenti, Richildis cedere denegauit, ac pro ſe hæc adferebat: Si proximus gradus ſanguinis ſpectetur, neminẽ matre propinquiorem; ſin pupillorum incolumitas, nullũ fideliorem, Ex eorum morte aliis aliam ſpem eſſe: Sibi nihil præter luctum ac orbitatem, neque nouũ, ſi mulier alienum Principatum (ſi aliena à filio mater exiſtimanda eſt) procuret, quum maximis etiam regnis feminæ cum laude imperauerint: neque dominij mei, inquit, Hannoniam tædet: neque Flandros curatelæ meæ pœnitebit. An verò illa tutò committenda ſit, viro bellicoſo, magnarum rerum appetenti, compertoq; ambitionis, prudentibus relinquo perpendendum. Ad hæc Robertus: Ipſa natura, ait, hoc eſt, primaria Dei lex, animis noſtris inciſa, viros à feminis, animi corporiſq; viribus diſcreuit: & ſua cuique munia attribuit, ac mortem Deus minatur viro muliebrem, aut mulieri virilem veſtem induenti: neq; minùs decorum ſit viro lanam, colum, telam tractare, quàm feminis (præſertim in alieno imperio) ius dicere, delectum habere, exercitum ducere, ſignũ pugnæ proponere. Vt verò hîc ſiſtam, illiq́ue ſexui, ac Richildi parcam, à noſtris moribus, inſtitutis, lingua abhor-

abhorrenti, ſolum cauſæ cardinem vrgebo. Frater meus vir optimus & prudentiſſimus, me abſentē ad filij ſui, Flandriæque tutelam præ cunctis delegit, vltima teſtamenti ſui ritè facti voluntate: cui vt ſatiſfiat, & ius poſcit, & ipſius meiq; honoris intereſt, & præſens pupilli, reique publicæ ſtatus, ac populi vota expoſtulant. Verùm interea Richildis, natura ferocior, à Couchyo Mallyoq; conſiliariis, Gallicis proceribus, Flandriæ infeſtis, tranſuerſum agebatur, diſſidioque creſcente, & Roberto inimicitiam denunciante, Aloſtanos cum inſulis Zelandicis, quæ illius erant, fiſco addixit: Flandriſque auarè & crudeliter (occiſis aliquot ciuitatū legatis & magnatibus) imperauit. Cuius aſperitatem pertinaciamque, cum grauium indictionū onere coniunctam, exoſi Flandri, linguę ad Germanicam accedentis (nam Hannones, Bolonienſes, Sanpaulini, Gallicique idiomatis Flandri, præter Lilanos, illi adhærebant) Robertū armauerunt, cū vxore, priuignis, liberiſque profugum ex Hollandia (contra Guilielmū Pontanum Epiſcopum Vltraiectinum, ac Gotifredum Gibberum Lotharingū, fortiter, ſed infeliciter defenſa) & Gandaui agentem, atque conſternatum. Qui eam populi erga ſe propenſionem in commodum ſuum vertens, ſeipſum, & Flandrorum animos confirmauit, magno numero atque robore illi accurrentium, ſedem belli Caſletū deligenti: Nam Euſtachius Boloniæ Geſſoriacæ Comes, pater Gotifredi Solymorū Regis, Flandriæ Principibus clientela deuinctus, magnanimitatem, & incrementum Roberti metuens, eiuſq; frater Pariſiorum Epiſcopus, Galliæ Cancellarius, pecunia precibuſque Richildis delinitus, Philippo primo regi perſuaſerant, vt Richildis cauſam protegeret. Itaque quum Rex ingentes copias Audomaropolim, quam vocant Santomerum, & hinc Bauinchouam

non procul monte Caſletano adduxiſſet, Robertus ſtatim illinc, ardore ac ordine militari, ſuos in hoſtem imparatũ impellit, Hannonienſes, qui primam aciem tuebantur, profligat, Richildim capit, Caſletumq; mittit, Franci diſſipantur, Rex incolumi curſu Monſtrolium peruenit. At Robertum nimis auidè incauteque cum paucis fuſos hoſtes perſequentem, Euſtathius Bolonienſis intercepit, & Santomeri Rabello vrbis primario tradidit cuſtodiendum; qui Hannonienſibus illũ ſubitò coactus ceſſit, illius permutatione, Richildim dominam ſuam ex captiuitate redimentibus. Quod ſe inſcio factum, Gall. Rex tam egrè tulit, vt Santomerum noctu inopinatò ceperit, diripuerit, & cum cœnobio Bertinico flammis fœdauerit. Verùm Hannones cum recepta Richilde nouos animos, & melioris ſortis auſpicium capiẽtes, recurrentibus ad eos Francis, prælium priori ardentius, magiſque cruentum reſtaurarunt; adeò vt torrentes in radicibus montis Caſletani ſanguine fluxerint. Sed victoria penes Robertũ fuit: Richildis cum Balduino filio in Hannoniam fugit, alter filius Arnulphus (Flandriæ verus legitimuſq; Princeps) fortiſſimè cum vitrico Osbernyo Normano, Couchioque oppetiit: Euſtatius Boloniæ Comes, verſa vice, in Roberti poteſtatem venit: & circiter viginti duo hominum milia occubuere. Neque poſtea hoſtes quicquam ex animi ſententia effectum dederũt: prçſertim vbi Robertus cum Gotifredo, regni Cancellario, Euſtatij captiui fratre, clandeſtinè ſic conueniſſet, vt Bolonienſem, ſine precio damnoque cuſtodia emitteret, Cancellarius Siluam Betloam ſibi hæredibuſque haberet, ac Regis animum copiaſq; à Flandriæ bellis auerteret: & Rex Balduino, Richildis altero filio, quem baltheo equeſtri cinxerat, Comitemq; Flandriæ appellarat, deſtituto; Robertum in fidem, nomi-

nomine Flādriæ ſuſciperet. Sic Robertus populi voluntate, illuſtri victoria, hoſtiumq́; defenſore conciliato, ad annum 1072. Flandriam occupauit.

Ceterùm quum illius ex filia Adela nepos, Carolus Danus Piuſque ad ſuperos tranſiiſſet, Gulielmus Normanus, volente Ludouico Craſſo Gall. Rege, propinquioribus antelatus Flandrię imperium accepit, populo inuiſus, quòd hæres proximus non eſſet: quam indignationem tantopere expilationibus accendit, vt Flandri Theodericum, ex Lanſgrauio Alſatiæ, & Gertrude altera filia Roberti Friſij procreatum, ad Principatum inuitauerint. Hunc ex conflictu Axpoelano, vbi paucitas multitudini ceſſit, declinantem, Normanus militibus exteris ſtipendiatis, quos Vegetius & Caſſiodorus Solidatos nuncupant, ardentiſſimè ad Aloſti vſque portas inſecutus eſt, obſeditque. Verùm ſagitta ex oppido vibrata, interfectus anno 1128. populo pœnas dedit, Alſatio Flandrię poſſeſſionem, patruo regni Anglici, Normaniæque ſecuritatem reliquit. Poſt illud tempus in Flandriæ tractu occiduo, Furnenſi in primis, vehemens partium factio ad annum 1201. ſæuiebat: quarum vna Blauoetina; erat illa familia tributorū indictionibus aduerſa; altera Iſangrina dicebatur, mutuis ſæpè vulneribus atque cædibus infecta: illi Honſcotana & Wuluerghema; huic Pratiis, Faiſque nobilibus familiis præeuntibus. Quum in Iſangrinam (quam alij Nigherkinam, ab aulica ingeniculatione vocant) Mathildis Flandriæ, illiuſque in primis regionis vſufructuaria propenderet, Blauoetinos quidem ſex hominū milibus Bergam obſidentes, per Chriſtianum Pratanum Bailiuum illic ſuum, Gerardumq́; Fayum equites, in fugam vertit, trecentis trucidatis eo die, qui ex eo, ruber Lunæ dies, ab effuſo ſanguine vocitatur; ſed poſteà copias foſſis atq; ſtagnis interſeptas, amiſit,

amiſit, fugata; vix ad Comitem Guinenſem ſe recepit, incenſarum Feurnæ ædium ſuarum, atque alia damna priuatim fecit, publicè nocuit. Quotieſcunque enim Principes non exſtirpare in ſemine ſubditorum factiones; ſed alterutram fouere maluerunt, in magnas ſe ſuoſque difficultates coniecere. Venetis & Genuēſibus (vt ad tempora nobis propiora veniamus) in Palæſtina & Cypro ambitioſè diſſidentibus, quum reges vel Solymi vel Cypri, alteri partium adhæſere, ingentibus ſeſe anguſtiis, ac demum exitio implicuerunt. Et Margarita Anjouina, Henrici ſexti Angliæ regis mariti potens, quia in aulicis æmulationibus ad Richardi Waruicenſis aduerſarios inclinabat, eam flammam excitauit qua regnum, & vir, filiuſque vnicus deflagrarunt. Cæterùm illis Feurnenſis agri acerbis tumultibus ſatietas & laſſitudo potiùs quàm humana prudentia auctoritaſque finē impoſuere. Quibus autem figmentorum dolis, oris corporiſque ſimilitudo populos fefellerit atque turbauerit, ex vetuſtis Græcorum & Latinorum hiſtoriis, Angliæ Hollandiæque Chronicis notum eſt, & eius rei exemplum noſtri annales, ac P. Æmilius, de Bernardo Rainſo adducunt. Hic ex Campania Galliæ oriundus, ſiluæq; Glauconæ, iuxta Valincenas, Heremita, Balduinum octauum, Flandriæ Hannoniæq; Principem, qui Imperium Orientis poſſedit, & à Bulgaris cęſus fuit, lineamentis formaque corporis adeò referebat, vt à quibuſdam Hannoniæ nobilibus ſubornatus, illum eundem ſe eſſe aſſereret: viginti annis captiuum; cùm ad Adrianopolim prælio ſuccubuiſſet, in Bulgaria fuiſſe: inde, per cuſtodum incuriam, elapſum, in alios Barbaros incidiſſe, & quibus manibus ſceptra geſſerat, raſtra pertuliſſe: at à mercatoribus Germanis illac, vbi terram fodiebat, prætereuntibus, quibus ſe aperuerat, redemptum eſſe, remiſ-

Y ſumq;

ſumque domum. Quum hæc narrat rara oris, barbęque promiſſæ; vnde vulgò peregrinus Longobarbus dicebatur; grauitate, fiduciæq; oſtentatione (nomina etiam commemorans, ac egregia facinora maiorum & familiarum ſtémata) plurimos animi dubios reddidit, magnos fauores acquiſiuit, fidemq; maieſtatis fecit, tanto progreſſu, vt Ioanna, quæ Balduino patri ſucceſſerat, rerum ſuarum anxia, profligata, & Queſnoyæ ferè intercepta, Ludouici octaui Galliæ Regis patrocinium opemq; efflagitaret. A quo Bernardus, die dicta, fideque data, Peronam vocatus, magna hominum nobilium caterua intrepidè acceſſit, veſtem longam purpuream indutus, albamque dextera virgam gerens. Interrogatus à Rege quo loco, tempore, teſte, ritu, ſeſe Philippo Conquirenti Gall. Regi fidelitatis ſacramento deuinxiſſet, quis illum baltheo equeſtri donaſſet, quo conciliante, quibus auſpiciis, quo loco, qua celebritate vxorem duxiſſet, reſponſi ambiguus, ſpacium deliberandi petiit. Hinc pro impoſtore habitus, contemptim à Rege dimittebatur: & demũ in Burgundia captus, ab equite gentis Chaſtenayæ, Ioannæ, quam filiam nominabat, oblatus, proditusq; fuit, ac laqueo vitã Lilæ finiit anno 1225. falſi conuictus, fraudemq; faſſus: quæ tamen crudelem ſuſpicionem vulgo non eripuere, adhuc Lilę fabulanti, patrẽ à Ioanna Principe fuiſſe ſtrangulatum.

Primùm verò armatæ plebis tumultum aduerſus Principem anno 1281. Bruga conciuit, eiecto ſenatu: quum Guydo Dampierro, Ioannæ (quam diximus) nepoti ſuccenſeret: quod priuilegia fortuitò exuſta, non renouaret, vrbiſq; politiam mutare ex ſuo arbitrio niteretur. Verùm metu eius copiarum domita, ſe permiſit eius poteſtati: qui licet quinque tantùm turbarum auctores capitis damnaſſet, ceteris pecunia mulctatis, ciuitatis tamen beneuolentiam à ſe diutiſſimè

ciſſimè remouit. Euenit multo pòſt, vt Ludouicus Creſſius, eius pronepos, peſſime ab ea vrbe haberetur, hac præcipue de cauſa, quòd patruo magno, Ioanni Namurci Comiti, Sluuſæq; domino, præfecturam aquæ (Baliuagium vocant) Damenſi Bailiuo ademptam, mercesque cuiuſque, & quanticumque ponderis aduerſus Brugenſium priuilegia, venum Sluuſæ exponendi facultatem conceſſiſſet, quædamque alia, Sluuſanis quidem commodo, Brugenſibus autem ingenti futura detrimẽto: Hi verò, quòd emporium à ſe tranſlatum, iri Sluuſam pertimeſcerent, quia Ludouicus donationem patruo factam, confirmarat, Sluuſam vi cepere, diripuere, ignemq; captæ iniecerunt ad annum 1323. Namurceo in publicum carcerem, qui Petra dicitur, Brugæ mancipato: nam à furioſa plebe trucidandum, vrgentiſſimæ Ludouici preces ſeruauerant. Ad Brugenſes Vrilati acceſſerũt: tum ſtudio rerum nouarum, tum quòd nobiles quidam homines inconſulti, vindictam plebi minarentur. Verùm Namurceo, per foricam carcerariã, ædeſque contiguas viri nobilis ex cuſtodia elapſo, & Galliæ Regis indignatione irritata, Brugenſes terræfacti, ſeſe ære puniendos præbuerunt. At citò, præfectis Ludouici abſentis plus mulctæ, quàm eſſet publicè conceſſum, exigentibus; neque accepti expenſique rationem reddentibus, rebellarunt: quumq; ille infenſus, è Niuernio Curtracum accurriſſet, manuſq; iniici in Brugenſium ſex legatos inauditos illic imperaſſet, collecto milite tumultuario, ad quinque ciuium millia, Curtracum feſtinarunt, ad legatos ſuos, quos ad pacificandum miſſos dicebant, Comiti vel inuito extundendos. Ibi Princeps ſuburbium, ne illis ex vſu eſſet, incendi iuſſit: quæ flamma, ventorum impulſu, oppidum ipſum ingreſſa, & peruagata, turbas ciuium excitauit, nobilitati incendium fortuna-

rum ſuarum imputantium:ipſis etiam feminis, contempto igni ædibuſq;, terribili cum clamore ad claſſicum campanæ,aduerſus nobiles ſæuientibus. Quo in furore, viginti quatuor equeſtris dignitatis proceres, interq; eos Ioannes Dendermondæ Neellæque Gallicæ dominus, Guydi Flandriæ Principis ex filio Guilielmo nepos,atque Ioannes Neuelæ Baro,cecidere miſerabiliter. In hiſce anguſtiis quum fruſtra effugium Comes circunſpiceret, à ciuibus detentus fuit,Brugenſibusq; in vrbē admiſſis, in manus traditus: qui eo præſente, & cum lacrymis fruſtra deprecante,aliquot nobiles viros cum ipſo captos trucidarunt: quod antea ſuaſiſſe Principi diceretur,vt quoſdam ex Vrilatis clàm noctuq; ex lectis raptos, decollari imperauerit. Illinc Ludouicus paruulo equo tranſuectus, in hallis herbaceis (antiquum hoc eſt, cui Reya ſubfluit,amplum & ſpectabile in foro,pannis ad nundinas proſtituendis publicum ædificium) ad annum 1329. cuſtodibus aſſignabatur. Namurceo vulnerato, & vix Curtraco per Lilanam portam eſfugiente. Hanc ob atrocitatem Gandenſes bellum mouerunt, vt Principem regionis, crudelitati cuſtodiæq; perduellium extorquerent: illis Namurcæum Comitis aſſentientis vicarium, Brugenſibus Robertum Caſletanum illius patruum, rectorem Flandriæ nuncupantibus: plebe interim nobilitatis inuiſæ infeſtæq; (quam imperioſam rapacemque vocabant) arces, aut loca firmiora & amœniora, velut libertati populari inſidioſa, paſſim diruente. Quum vario vtrimque pugnaretur euentu, Gandenſibus priùs, duce Winemaro plebeio immanis ſtaturæ cæſo, infortunatè; dein præfecto Hectore Vilaino equite, proſperè pugnātibus, ac ipſo Gandauo,& Audenarda per Brugenſes, eorumque auxiliares, aſperrima hyeme fruſtrà obſeſſis,Ludouicus ante Dominicum nata-

natalem libertati fuit reſtitutus: quum vigintiquatuor hebdomadis in cuſtodia fuiſſet, Brugenſibus ſponte ſupplicibus data venia, & ratihabitis eorum fortunis atque priuilegiis: Rege etiam Gallorum Arkis apud Santomerum conciliato, & interdictione ſacrorum, quam ille in Flandros immitti iuſſerat, amota per hanc tranſactionem: vt ducenta milia numûm Turonenſium Regi, centum milia Ludouico ſuo Principi, ſex & ſexaginta milia Namurcæo, Brugenſes ſociiq́ perſoluerent: legibus in exilium acti emanerent: per tumultum eiecti redirent: tribuni, centurionesq́;, & alij à plebeis munia publica conſecuti, ſubmouerentur, nouos Ludouicus magiſtratus crearet. Quam conuentioné trium Flandriæ membrorũ conſenſu & iureiurando ſtabilitam, quorumdam ex humili loco ad reipub. clauum euectorum, timentiumq́; ad priuatam inopemq́ue vitam redigi, ambitio & pertinacia diſrupit, nouiſq́ue turbis Flandriam impleuit, ſæuientium in ſubmiſſos, à Rege & Comite pecuniæ coactores: Iacobo Peyto Bergenſis agri tribuno militari, tam immani, vt quietiſſimum quemq; comprehenderet, & mori coacto lictorem non alium quàm ſanguine, aut affinitate proximum mitteret: Sic fratrem frater, ſocerum gener aut interficere, aut ipſe percuſſori ceruicem tendere iubebatur: quòd illos diceret nobilitati potiùsquàm multitudini fauere. Cuius tã inhumani carnificis à Feurnenſibus agricolis iuxta Honſchotam cæſi necem, Brugenſes nouis turbis impliciti, atrociter vindicarunt. Hoſce furores Philippus Valeſius Gall. Rex ingenti exercitu vix coërcuit, certè ſummo vitæ ſuæ periculo: Feurnenſis, Bergenſis, & Caſletani agri colonis, Caſletum occupantibus, duce Nicolao Zannekino, Lamprenessio, quẽ P. Æmilius Annecinum corruptè vocat, plebeo omnium audaciſſimo: qui

antea eiecto ſenatu præcipuiſq; ciuibus Ypram obtinuerat. At Rex contagium defectionis in Gallijs metuens, ad ducenta circiter ſigna militaria coëgit, & inter Blareghemum pontemq; Haſekum trans nouam foſſam Flandriam ingreſſus, & circa paludem Clarimareſci, ſiluamq; Ruholtiam, caſtra metatus, inſtruxit decem acies, illuſtriſſimis proceribus præfulgentes: aderant enim illi frater Alençonius, Philippus Rex Nauarræ, Borbonij, Britannij, Burgundiæ, Lotharingię Duces: Delphinus Viennenſis, cum Eburonicum, Bari, Hannoniæ, Hollandiæque & Arteſiæ Comitibus: Auriflammæ ſigno ex penetralibus cœnobij Dionyſiaci educto, & Miloni Noyerio per Regem attributo. Quarto pòſt die Rex caſtra promouit ad Peenam torrentem, paruulo miliari à Caſleto: vbi Zannekinus cum Winnoco Fiero Bergenſi conſidebat, & Nieuportanos atque Feurnenſes, Bergenſes, Caſletanos, Poperinganos tam oppidanos, quàm agricolas, ad Conſtantiam audaciamque animabat. Nam Brugenſes cum Vrilatis, Iprenſes cum Curtracenſibus, Tornacenſium, Lilenſium & Gandenſium, qui Ludouico Galliſq; adhærebant, incurſionibus obnitebãtur. Tantula & plebea Caſleti manus, nihil attonita, conuicijs etiam contumeliiſq; in Regem tam potentem non abſtinuit: Laneam enim galli gallinacei effigiem formauere, ſublimem erexere, eiq; hoc ſenſu carmen ſubſcripſerunt: Tunc repertum regem Caſleto potiturum, quum alites lanei canerent: quòd Philippum, neque regis filium, neque fratrem, ad regnum caſu perueniſſe cauillarentur. Sed quum Rex agris Caſletano, Bergenſique per incendia rapinaſque fœdatis, hoſtes ex monte eliçere nequiiſſet, & hinc contemptus, nimia ſecuritas, & vigiliarum negligentia, caſtra eius intraſſet, tandem Flandri ſub horam à meridie tertiam tribus aciebus rapi-

rapidiſſime de monte effuſi, priùs in regiis caſtris viſi ſunt quàm clamor ſtrepituſq; exauditus, tantumque pauorem inopinantibus inuexere, vt omnia itinera turpi fuga complerentur, & Flandri in regis tabernaculum rectà abſque vllo ferè obſtaculo irruperint, illum proculdubio capturi, à cuſtodibus, & ſtipatoribus deſtitutum, niſi fortuna Franciæ (ait P. Æmilius magis Romanè quàm Chriſtianè) Regẽ eo die texiſſet, aut, vt alij veriùs ſcribunt, niſi Robertus Caſſetanus, ipſi tunc vnà cum Gandenſibus militans, qui à diripiendis agris redeuntes, nondum exarmati erant, accurriſſent; incredibilemq; illum impetum tantiſper ſuſtinuiſſent, donec Hannoniæ Comes cum ſuis appelleret, & equitatus Gallicus vndique feſtinabundus, regi periculum, Flandris victoriam eripuiſſet: præſertim quum Zannekinus acerrimè pugnans, cecidiſſet, reliquiſq; ancipitia ſigna ſtatuentibus, in globum adunatis, multoſq; equites nobileſque ſternentibus, Galli ordines laxaſſent, vt fugæ viam Flandris deſperabundis aperirent: quod victoriam Gallis peperit. Nam quum Flandri, nullo hoſte ſeſe opponente, liberum diſceſſum nacti, verſus montem ſparſim ſe proriperent, omnes ferè (ad ſex milia) ab equitatu concidebantur, Caſſetum direptum à Gallis, incenſumq; eſt: neque eam calamitatem Feurna, Berga, Nieuportus, aliaque vicina oppida dedita, euaſiſſent, niſi Nicolaus Abbas Dunenſis, laudabili & efficaci interceſſione, regem mitigaſſet. Neque ſolidam lætitiam illa victoria regi attulit: quod extremi diſcriminis ſui meminiſſet, magnum peditatum, multos nobiles amiſiſſet, Dux Burgundiæ, Bari, ac Boloniæ Comites grauia vulnera accepiſſent, Sabaudiæ Princeps manu, Mommorancyus Lignyuſque pede læſi eſſent, Campanus alterum oculum perdidiſſet, ac Gulielmus Hannoniæ Hollandiæq; Comes, equo

deiectus, ſummum vitæ periculum adiiſſet. Hanc cladem Flandri pridie feriarum Bartholomæi, anno 1328. accepere: & plebea factione, quæ ſæpiùs tentat, quàm tuetur libertatem, vbique profligata, Iprenſes ſe ſuaq; Regi dediderũt, & quoſdã rebellionis auctores, quos ille ſtatim ſtrangulari iuſſit. Duo Gallorum armatorum millia, cum Sabaudiæ Comite, & Gall. Coneſtabile in vrbem recepere: omnia arma in forum iuſſi attulere. Brugenſes quoque ſe Regi omnino permiſere: qui circiter quingentos morte, aut vltra Somonam triennali exilio, aut graui ære cõdemnauit. Multos obſides vtraque vrbs regi dedit. At omnia loca coniurationis affinia, grauibus annuiſque mulctis pecuniariis puniebantur à Principe Ludouico, cui magis vi paruere, quàm beneuolẽtia aut conſtãtia: nam aliquot poſt annos explicatis in foro Brugenſi vexillis, in fullones ſtrenue dimicans, vt Brugenſes à fœdere Gandenſium ab ipſo tunc diſſidentium, auerteret; ſuccubuit, fugitq; ad prætoriũ ſuum Malanũ: & breui multo maior procella exorta fuit. Nam Eduardus tertius Angliæ rex, Philippi Pulchri Galliæ regis, ex Iſabella, prole vnica, quæ etiam Caroli Pulcri nouiſſimi regis germana erat, ſuperſtite nepos, veriùs Galliam ſibi deberi, quàm Philippo Valeſij Comiti, qui Philippi Pulchri ex fratre Carolo Valeſio mortuo nepos erat, exiſtimabat, diuinumq; ius, & hęc ex ſacris numeris verba recitabat, *Hominis abſque filio mortui hæreditas, ad filiam eius tranſibit.* Itaque legem Saliquam feminas excludentem, ferro reſciſſurus, per Iacobum Artueldam (Eertueldæ in quatuor ambactis ortum) plebeum ſummè popularem, Gandauum, ceteroſq; Flandros ſibi adiunxit: non tamen ſine difficultate. Antea enim ſic conuenerant (ſi verus eſt P. Æmilius) ne vnquam aduerſus Franciæ Regem arma ferrent, alioquin interdicto ſacrorum

crorum obnoxios fore, decieſq; centum milium aureorum pœnæ perſoluendæ: quapropter Anglum, vt ipſemet liliata vexilla, parmas, inſignia, titulumq; regni aſſumeret, auctore Artuelda hortabantur. In ea nimirum ambiguitate, & diſceptatione duorum, inſignia titulumq; regni Franciæ ſibi aſſcribentium, liberos ſe poſſe fieri ab omni mulctæ, periuriiq; onore atque infamia, ſi Eduardo, Franciæ Angliæq; Regem ſe ſcribenti, eſſent obſequentes. Sic inter eos fœdus Gandaui anno 1335. eſt confirmatũ, & deinceps Angliæ Reges, inſignia, titulumque regni Franciæ retinuerunt. Flandros autem illuc maximè adducebat, tum odium aduerſus Gallos, libertati opibuſq; eorum ſemper infeſtos, inſidianteſq;, & Galloflandriam reſtituere denegantes: tum lanificium, in quo vulgi quæſtus conſiſtebat: iis namque temporibus lana vix aliunde quàm ex Anglia aduehebatur: quæ mollicie copiaq; Flandricam anteuertit. Contrà, Ludouicus, ne fidelitatem, & Niuernium Rheteliumque amitteret, in Galli ſeſe patrocinium, vt antea ſemper, dedit: tam à ſuis ea de cauſa contemptus, vt Flandria, ab Arteuelda, ceu in triarchiam deduceretur: tota inferiore occiduaq; Flandria cum ripa Lizæ, ad Ipréſes: Vrilatis omnibus ad Brugenſes: Curtraco, Audenarda, Aloſtoq;, cum vicinis ad Gandenſes reſpicientibus: Anglo interim ad Blancobergam, Sluuſamque quadringentarum nauium claſſe Francos exuente, cæſis hoſtium multis milibus. Cui petẽti ſupremum in Flandriam imperium, tanquã Franciæ Regi, Comitiſq; Ludouici abdicationem, ſi Eduardum Philippo non anteferret, Arteuelda aſſenſus eſt: ſed hoc Gandẽſibus perſuadere conatus tam diſplicuit, ſuccenſentibus etiam quòd magnam reipub. pecuniam Eduardo Regi commodaſſet, vt, Gerardo Dionyſio, textorum decano, qui alio poſtea ciuili tumultu op-

Y 5 petiit,

petiit,incitãte, Arteueldam ſecuricula mactauerint, in abditis ædium ſuarum perquiſitum: quum ex feneſtra priùs concionabundus, beneficia in populum ſua, & labores,rationemq́; adminiſtrationis redditurum ſeſe facundè commemoraſſet, mortemq́; eſſet deprecatus. Eduardus Rex, eius cædem, ſui, vt aiebat, chariſſimi compatris; quem puta, Ioanni filio Gandaui nato, ſacriſq́ue vndis tincto, Lancaſtriæ poſtea Duci teſtem ſponſoremq́ue adhibuerat; tam adiratè accepit, vt vlturus fuerit, niſi Flandrorum ſubmiſſimis precibus fuiſſet emollitus, reliqua ipſi permittentium, præter Comitis ſui exhæredationem: quod nihil ipſis antiquius chariuſq́; eſſet Principum ſuorum ſtẽmate vetuſtiſſimo, atque nobiliſſimo. Hunc exitum habuit Iacobus Arteuelda, à Gandenſibus poſtea ſæpè planctus & deſideratus, quũ ſeptem annos illorũ, ceteræq́; Flandriæ animos validiùs quàm vllus Principum, quo voluit, flexiſſet, ſexaginta pluribuſq́; armatis ſatellitibus, quum prodiret, ſemper ſtipatus: quos vel nutu, alióve ſigno, ad necem aduerſariorum, præſertim nobiliũ, poterat concitare: homo nullo genere, nullis ante præfecturam opibus, niſi vxoris, quam Gandaui viduam duxerat, numoſæ ex lucro hydromellis promercalis; ſed erat ingenio dextro, & ſubacto, linguæq́; vernaculæ & Gallicæ facundia, vel apud proceres efficaci, libertatis quæſtuſq́ue popularis appetens, prouiduſq́;, ac eam ob cauſam Gallis hoſtis, propterq́; eos, ſuo Principi, & Anglis addictus, quod ab iſtis minùs periculum libertati plus commercij plebi ac vtilitatis eſſet. Ad vltimum, Ludouicus Gallis ſemper propenſior quàm Flandrię commodis, ad ſiluam Creſſiam, non procul Abbeuilla, in funeſtiſſimo illo prælio, quo Eduardus tertius Philippũ Valeſium vicit, anno 1346. menſe Auguſto, fortiter occubuit. *Filio eius Malano*, qui ex ea

pugna

pugna vulneratus euaſerat, à ſubditis ſuadebatur, vt neglectis Gallorũ partibus,& noxiis,& infortunatis, Anglo ſe in clientelã daret, filiamq; eius oblatã vxorem duceret:quũ verò ab vtraque petitione clàm abhorreret,quamuis aliud fronte & ore ſimularet,&ex oculis, qui illum Gandaui obſeruabant, ad Gallum ſe proripuiſſet,Flandri Anglis adhæſere,donec tranſactione inter Gallos & Anglos induciiſque initis, in poteſtatem legitimi Principis redierunt. Sed Malanum textores, turbarum faces, multis poſtea motibus implicuere,& quodam in tumultu conflictuque forenſi,Gandaui exſtinxiſſent, quòd à ceteris habitu non internoſceretur, niſi alterius interuentu, periculoq; euaſiſſet. At in atrox & perniciabile in Gandenſes bellum incidit, per hanc occaſionem, quòd nimirum Brugenſibus permiſiſſet, vt Reyam in Lizam circa Deinzam foſſionibus deriuarent,vnde ingens ſibi damnũ imminere Gandenſes putabant; & quòd illic potiùs quàmGandaui(ſecus quam promiſerat)aulam figeret,nouaq; vectigalia mercibus,quę Gandauũ nauibus deuehebantur, imponeret, Gandenſiumq; iura ac mores per officiarios ſuos infringi ſineret. Hinc efflagitatæ pecuniæ repulſam ab illis tulit,dicẽtibus ſe nolle facultates ſuas in illius luxus, qui abſque modo erant, conſumi. Et gliſcẽte vtrimque indignatione, paruulis albiſque cucullis (quos Caperones vocabãt) capillos tecti & inſigniti ad annum 1379. apertè repugnarũt, auctore & duce Ioanne Hyonſo (quem Galli perperam Io. Leonem vocant) Hunc enim Comes antea charum, nautarum præfectura, in Mathianos, profuſioni ſuæ fouendæ paratiores tranſlata,temerè priuauerat. Itaq; facundo & Comitem exoſo ductore,candidorumq;cucullorum veluti teſſera,ferociam, & vindicias ſecũdùm libertatem, publicantes, totam ferè Flandriam ſibi conci-

conciliarunt: &, licet Hyonſum Dami (non abſque ſuſpicione medicati à feminis poculi) extinctũ amiſiſſent, quem ceu principem obuij excepere, ampliſſimeque ad Nicolai funerarunt; tamen odij peruicaces, Comitem ipſum Dendermondæ, quamuis fruſtra, oppugnarunt, eumq; ad Gandaui obſidiũ ſexaginta hominum milia adducentem, vſqueadeò deſpexerunt, vt interim ad aſſiliendũ Aloſtum & Dendermondam validas manus emitterent, annonã per tres portas liberas, Brabantiam verſus, procurarent, & occiſo Galterò Enghiennæ regulo, Malani amitino chariſſimo, eiuſq; corpore Enghianis ad ſepulturam mille florenis vendito, obſidione liberati ſint. Sanè Froiſſartus Gandauũ dicit inter fortiſſima orbis oppida recenſendum, neque vndique circumſideri poſſe, niſi ducentis hominũ milibus ambiatur. Hæ diſſenſiones ſubinde mollitæ tranſactionibus, ſæuiſſimè tandem recruduerunt: quum, renato bello, non aliter Comes paciſci vellet, quàm conceſſa ſibi fortunarum, vitæ, neciſq; plena poteſtate. At illi, bonis, exilio, carcere, Principis iræ permiſſis, quũ potiùs in armis emori, quàm vitã ipſi fidere ſtatuiſſent, odiis creſcentibus, Bailiuũ vrbis Outriuium, virum nobilem, pugna forenſi occiderunt; comitis vexillum ab eo prælatum diſcerpſere, pedibuſq; triuerũt; & reliquam Flandriam, præter Audenardam, Dendermondam, Aloſtumq;, ab illo diſiunxere, turbiſq; repleuerunt. Poſtremò à Flandris, Hollandis, Zelandis, ceteriſq;, præterquã Leodienſibus (à quibus ſexcentos currus frumento farináve onuſtos acceperãt) deſerti, fameq; moribundi; triginta enim hominum milia intra quindecim dies panem non guſtarant, calamitatem ſuam lamentabantur. Quos in foro mœſtos ac conglobatos animaduertens Philippus Arteuelda, Iacobi filius, vrbis veluti dictator, cui à Philippa,

lippa, Eduardi tertij Angliæ Regis vxore, ad ſacrum fontem Gandaui nomen adepto, coniux erat ex domo Halewina, in concionem progreſſus, Veſtrum, ait, Ciues, ſtudium, priuilegia, vetereſq; conſuetudines protegendi, me recreat; anguſtiæ, & extrema annonæ penuria vehementer excruciant; eo duriùs, quòd exitum non proſpicimus. Nam huc calamitatis peruentum eſt, vt aut templis incluſi, ſacriſq; operati, atrophia extabeſcamus: aut illaqueati domino implacabili nos permittamus: aut armis fortunam experturi, æmulam Brugam atque Comitem petamus animosè. Ad hæc, cùm ſucclamatum fremitu eſſet, Ipſe quod vellet eligeret, ceteros obſecuturos: Eligo, inquit (quod virorum eſt) vt ferro vincamus, aũt cadamus, neque cauſæ diffidamus: Mutuæ ſunt inter Principes & ſubditos iuramenti ſtipulationes, leges, ac obligationes: tam ſuperiorũ æquitate, quàm inferiorum obſequiis retinentur imperia: neque Comitis potentiã timueritis: Altæ arbores diu creſcunt, momento corruũt: Leo quoque pabulum fit auium minimarum; ſed illum flecti, quàm plecti malimus: neque Dei fauorem deſperetis. Illi inuiſa omnis ſuperbia eſt, ille nos Principi ſupplices ſæpè vidit: ille reiectos, humaniſque auxiliis deſtitutos ſubleuabit.

Selectis igitur quinque milibus hominum deſperatorum (quorum manicis hæc verba, *Deus iuuet*, aſſuta erant) Brugam verſus, vbi Comes erat, proceſſere; caſtraq; ducentis carrucis, in quibus machinæ bellicæ, & pauxillũ annonæ erat, obſepta, in campo Beuerhouto, duobus circiter à Bruga miliaribus poſuere, delictis fatendis operantes, & à Franciſcanis concionatoribus animati, exæquatiq; Hebræis ſub Pharaone oppreſſis, atque liberatis. Deinde à triginta milibus, Brugenſium inprimis, equitibuſq; octingentis, quæ fera nobilitas erat, ſine ordine, ſine ſobrietate

laceſſiti,ac oppugnati,hoſtium aciem,aduerſo etiam ſole laborantium,denſatis cuneis diſiecere,atque ſex milibus cæſis victores in vrbem, ipſis Maialibus,anno 1382. amburbalibus, in criſtallo circumferendo Chriſti ſanguini dedicatis, bacchabundam irrupere, depulſis quas Comes poſuerat, portæ cuſtodiis,eamque ſui omnino arbitrij fecere:nobilibus,vulgi dedecus non reſarcientibus,ſed ita diſperſis,vt Comes retrouertens, vix cum quadraginta oppidum intrauerit. Ea nocte mille ducenti gladio intra vrbem periere; & poſtero die (qui Dominicus erat) non promiſcuè,ſed ex libello in Nobiles, in Senatores, alioſque publicorum munerum miniſtros ſęuitum eſt,neque non in lanios, piſcarios, proxenetas, & pelliones, Comiti fidos, proximæque pugnæ faces, quibus fabri ferrarij, textores, fulloneſque eiuſdem ciuitatis, Gandenſibus aſſociati, crudeliter imminebant. Ab externis mercatorum nationibus temperari Arteuelda iuſſit:ne illarum gentium odia vindictamq; Gandauum incurreret. Illis calamitatibus acceſſit exterorum famulorum, qui in tanto emporio vndique copioſi erant,infidelitas immanitaſq;,heros ſuos noctu ſpoliantium,iugulantium,matronas filiaſq; ſubinde violantium: ſic vt iis tempeſtatibus nihil miſerius fuerit tam ornatę celebriſq; vrbis facie:quæ contemptu hoſtis,temeritate & vociferatione incõdita, Principẽ à ſano victoriæq; certo, extrahendæ pugnæ conſilio deiecerat. Nihil enim ambigitur,quin Gandenſes diſceſſuri ac perituri fuerint, ſi Brugenſes vel triduum ſe mœnibus continuiſſent. Ab ea victoria, omnia ferè Gandenſium opificum collegia cum ſuis vexillis militaribus, forũ Brugenſe occuparunt, prædamq; incredibilem nauibus per Liuiam,terra plauſtris euexere, obſideſque ex primariis ciuibus quingentos:tres portas, quæ Gandauum verſus emittunt,
mu-

muroſq; interpoſitos, foſſis repletis complanarunt, totamq; Flandriam, præter Audenardam & Teneramondam ſibi adiunxere, villis, ædibuſque ruri nobilium, vel infeſtorum, vel turbas fugientium, inflammatis. Videtur ſanè eo ſeculo Nobilibus ſuperfuiſſe otium, luxus, contemptor animus & ſuperbia, commune nobilitatis malū: atqui defuiſſe doctrina, præſertim hiſtoriarum, quæ politicarū artium magiſtræ ſunt; vnde illis neque in Principum conſilio prudentia, neque in ciuilibus motibus demulcendis dexteritas ſuppetebant. Arteuelda, Principis gaza, aulicoq; apparatu potitus eſt, & à Gandenſibus tantùm non adoratus: Flandriæ rectorem ſe inſcribebat, treſque pileos argenteos in atra planicie, pro familiæ ſuæ inſignibus gerebat, ſiue caſu, ſiue eruditi alicuius, cauſæ popularis ſtudioſi, ſuaſione, Schytarum olim fortiſſimos, pileorum geſtamine ſuperbiiſſe, & Romæ ſeruos ad pileum, hoc eſt, libertatem vocari ſolitos, argutantis. Inſtar Principis ſe veſtiebat, ſumptuoſaq; conuiuia agitabat, vmbramque ſuam (quod dici ſueuit) tranſiliebat: Singulis per Flandriā focis quatuor groſſulorum tributum, ſingulas in hebdomadas indixit, immenſamque illinc pecuniam bello alendo coaceruauit. Contrà Ludouicus vitæ incertus; quod in foro Brugenſi, ſummo ſuo periculo pugnā renouaſſet, anxieq; in ſeruilem habitum diſſimulatus, vagaretur in vrbe ad mediam vſque noctem, à ſacello D. Amandi per plateam argenteam, templiq; Saluatoris cœmiterium, ad Prati vſque vicum accurrit: vbi in mulierculæ, ante palatium eius mendicare, aliique ſolitæ ædiculis, & ſtratis, aliquamdiu latuit, hoſteſq; veſtigantes, vilemque lectulum, ſub quo in ſtramine iacebat, intuentes, & tantùm non remouentes, illius mendacio fefellit: iiſq; diſcedētibus, aquas Brugenſis ad mœnia foſſæ (quas amoris vocant) limbo fortè reper-

reperto tranſmiſit,ſolus, inſolens, trepiduſque,& ad proximum,Michaëli ſacrum,vicum curſitabundus: hinc (vti Froiſſartus narrat) Roberto Marchantio, affini,quē diſiectaPrincipis cohorte,refugium etiam quærentem, iuxta viam fortè repererat, comitatus, adiutuſq;, moleſtiſſimo itinere atque cælo, nunc pedes,nunc equa abſque ſella vectus,per Rouſſelaram, peruenit Lilam;& ad extrema redactus,quum Arteuelda Audenardam etiam, vbi plurima nobilitas in præſidio erat,ſtrictiſſimè circūſideret, à Carolo ſexto Gall. Rege, vix per Philippum Audacem generum ſuppetias impetrauit. Quarum apparatu diuulgato, Arteuelda à viris circumſpectis exoratus, ad Regem illum adoleſcentem literas ſupplices miſit, vt pro ſupremi imperij auctoritate, ſolidam inter Comitem Ludouicum,Flandroſq; pacem ſanciret. Aſt vbi audiuit literas eſſe irriſas, tabellariumq; Siluanecti, vbi Rex erat,carceri incluſum,ad Richardum ſecūdum, Angliæ Regem, duodecim viros primarios legauit, auxiliiq; & fœderis contra Gallos pollicitationē impetrauit:quæ res Gallos adeò perculit,vt nunciū Arteueldæ, cuſtodia ciuiliter emiſerint, & tres Epiſcopos cum aliis proceribus Turnacum miſerint, paci cum Flandris omnino componendæ: quod licet diligenter facerent, tamen Arteuelda, fiducia Anglici fœderis tumidus,ſtrophiſque Gallicis diffiſus, tabellarium Gallicum literas amicitiæ plenas ferentem, in carcerem coniecit,prætexto, quod ex Tornacenſibus eſſet,quibus antea in caſtra Flandrica aditus interdictus erat,cunctiſq; Gallicè loquentibus: & omnem pacis actionē abrupit,maximo ſuo, Flandriæq; malo. Nam Rex,qui Peronæ pacificādi cupidus propter Anglorum cum Flandris fœdus ſubſtiterat, his intellectis adiratus,& vt Anglis præueniret,contagiique telam præcideret(nam in Gallia,Angliaq; plebs

Gan-

Gandenſes laudare ac imitari cœperat) ingétem exercitum per Comimo, Virouiaco, Waeſtenæ & Menenæ alluentem Lizam, Flandriæ introduxit, tranſitu per Flandrorum, ex oppoſito ſtantiũ, vecordiam, parto. A quo demum Flandri, pugnæ nimis auidi, & loricis, pileis, chyrothecisq́; ferreis, ac longis gladiis accincti, frameisq́; & bipennibus, ſub ſuæ quiſque ciuitatis ſigno tumidi, ſpeciemq́; nemoris præbentes, ſuperati ſunt, tumultu ſuo, ardore, & anguſtia loci interturbati, oppreſſique; quum priùs aciem regis adeò ferociter concuſſiſſent, vt Rex ipſe auriflammam vibrantem, in extremis tantùm periculis explicari ſolitam, oſtentari, inferrique iuſſerit. Ceciderunt cum maiori Flandricorum auxiliorum; nam Angli domi manſerant, numero, nouem ciuium Gandenſiũ millia, atque ipſe Arteuelda, ad annum 1382. menſe Iulio. Cuius cadauer Galli furcæ datum, noſtrates nuſquam cognitũ fuiſſe memorant. Addunt Galli, cùm illi inter cæſorum cadauera inuento, grauiterq́; ſaucio, ſed ſpiranti; vulnera iuſſu Regis ad curationem colligarentur, recuſaſſe, atque dixiſſe: Nolle ſe tot ciuibus pro libertate occiſis ſupereſſe. Datur illi vitio, tum quòd ante Audenardam obſeſſam (vnde non facilè depelli poterat) tum ad Roſebecæ, tractus Iprenſis, collem, nomine aureum, circa quem pugnatũ eſt, munitiones ſuas deſeruiſſet; tantaq́; eius ante prœliũ fertur fuiſſe vel fiducia, vel inſania, vti exercitum pro more contra equitatum à tergo lateribuſq́;, foſſa ducta, ſudibus fixis, carris connexis non obſepierit, atque imperarit, nemini Gallorũ parci, præterquam Regi, propter adoleſcẽtiam, quem duci Gandauum voluit, vt Flandricè loqui addiſceret. Vir ille fuit ante præfecturam ingenio modeſto: nam paterno caſu ſapienti, & priuata vita, honeſtiſq́; facultatibus contento, à Gandenſibus, confuſione tribunorum mili-

tarium, labaſcentibus, dictatura velut ingeſta fuit, propter gratiſſimam patris memoriam, & ipſius famam inculpatam: quam dignitatem aliquandiu fortiter geſſit, atque fortunate. Sed mores eius, proſperitas, aduerſus quam incauta mortalitas eſt, immutauit, perdiditque. Tenuitate enim manſueſcimus, mediocritatem toleramus, felicitate corrumpimur. Gandenſes illa clade, quæ ceteros regi ſubdidit, vehementer quidem conſternati ſunt, adeò vt portis vrbis neque clauſtra, neque cuſtodias triduum adhiberent, donec à Petro Boſcho tribuno militari confirmarentur, ſed ne Ludouico aut Gallis parerent, animum obdurarunt. Ac Franciſco Ackermano (ea vox agricolam ſonat) quē P. Æmilius corruptè Atremum vocat, in locum Arteueldæ cooptato, Audenardam, abſente Lewergemo præfecto, vigilibuſque alea ludentibus, & inſidias indicatas irridentibus, incuſtoditam, noctu interceperūt per Agricolam, Bramumq́;, & milites quadringentos, ſigillatim ſcalam adferentes. ad vallem virgineā, foſſæ vrbis, aquis per piſcatores inquilinos dimiſſis, vadoſæ opportunitate vſos: quam tamen intra annū perdidere, induciarum fiducia, incurioſi, & Agricola ad nuptias nepotis Gādauū reuerſo. Arnulphus enim Schoriſſię Baro, bonis per Gandenſes direptis ambuſtiſq́; ſpoliatus, quū prædixiſſet, ſe neque vitæ, neque vllis induciis vltionem poſthabiturū, mulieres pueroſq́; annona onuſtos, quatuorque currus, qui ſub fœno armatos contegebant, ad portam præmiſit. Ibi cuſtodes recipiendo ab illato commeatu vectigali intenti, ab aurigis & militibus è curribus deſilientibus, improuiſo oppreſſi ſunt; ſignoq́; fiſtula dato, Schoriſſius ex latebris ſubito cum quadringentis accurrens, vrbe potitus eſt. At Gandenſes adirati, Angliſq́; qui Arteueldam fruſtrati erant, coniuncti, Flandriam occiduam magnis cladi-

cladibus vaſtauerunt, & poſt Ludouici Malani exitum, contra *Philippum Audacem*, generum, eius imperij, belliq́ue ſucceſſorem, animi ferociam retinuerunt; quamuis à ceteris perterrefactis, & Brugenſibus eorum anguſtia gauiſis, deſtituti: donec Tornaci in cœnobio Martiniano anno 1385. pax à Principe expetita, conficeretur. Per quam fuerunt cuncta delicta condonata: ciuem Gandenſium, eorum nomine, re aut verbis violanti bona adempta: leges, conſuetudines, iura & priuilegia omnia comprobata: omnes exules & fugitiui reducti: captiui vtrimque redditi abſque precio redemptionis, niſi antè pacto: arces munitioneſq́ue Principi reſtitutæ: fœdus Anglicũ à Gandenſibus reſciſſum: perpetua fides Principibus iureiurando promiſſa. Verùm eo in conuentu narrat Philippus Wielandus, tantam fuiſſe Gandenſium legatorum peruicaciam, ciuibusq; ſuis diſplicendi metum, vt procumbere ſuis Principibus ante pedes, veniamq; orare detrectauerint, quod id in mandatis ſe non habere dicerent. At Ioanna Brabantiæ ſenex & venerabilis Princeps, ipſaq; Margarita Flandriæ domina, Audacis vxor, à latere viri ſurgens, cum nuru ſua nobiliſſima, Duci Philippo ad genua proiectæ, nomine Gandenſium ſupplicarunt, pacemq; illis, & ſeptenni bello finem impetrauere. In quo ducenta hominum milia, multa oppida, & infinitos pagos cæde, direptione, flammiſq; periiſſe per annales recitatur; laudaturq́ue Franciſci Ackermani (cuius meminimus) vrbe Dami potiti, eiuſq́ue militum rara continentia; qui ſeptem equitum illuſtrium coniuges cum nobilibus pediſſequis; quæ domini Ghiſtelani vxorem, partui propinquam, in oppido Damenſi, marito præfecto abſente, inuiſebant; illic interceptas, eximia comitate, conuiuioq; excepit, ac honorificè conſolatus: Eſtote ſecuræ, inquit,

Vir ſum, cum viris bella gero: In feminas neque mihi odium, neque bellum, in vos etiam reuerentia eſt: Cupio teſtes vos eſſe noſtræ in licentia militari continentiæ; in victoria moderationis, & Gandẽſes nullum ſcelus, ſed neceſſitatem, cauſam belli habuiſſe: Ego vos, veſtrumque gynecæum, non ſecus ac filias meas tuebor. Neque minùs præſtitit quàm promiſit: quod eò præclarius fuit, quia aduerſarij Gandenſium feminas vbiuis repertas, turpiſſimè contaminabant. Fuit vir ille, vel ob hoc facinus dignus fato æquiore: nam biennio poſt pacificationem, quum ad D. Petri, & ſacra iret, gladio cæſus eſt, reſpectans ad vocẽ Gallodini, à tergo inſequentis, & vt ſe defenderet, increpantis, ſimulq; ferientis. Etenim Gallodinus filius nothus domini Herzelenſis, à furente plebe in medio foro interfecti (quia Principi potiùs quàm Anglis textoribuſque cupere putabatur) patris necem in prioribus turbis imputabat Ackermani factioni. Sic ille cruentè ac inopinatò periit, quum Gandaui, cui ſæpè militare decus, & demum luculentam pacẽ attulerat, tranquillè ageret: neglecta aula in quam inuitabatur, ſpretoque Petri Boſchi conſilio, ſæpè illum ſic admonentis: Tu quidem, Franciſce, vitam tuam iſti pacificationi fidis; ſed vide ne credulitatis te pœniteat, & ne iſta *Pardona* (ſic enim Principis veniam vocatis) tibi, patriæq; funeſta *Pandora* ſit. Ore iniurias remittũt, tabellis abolent, at in pectore odiis æſtuant, paratis ad fallendam, ſpecie recti fidem, prætextibus inſtructiſſimi. Et quamuis Duci Philippo fides conſtet, bellorum tamen ciuilium (vt ex prudentibus ſubinde audiui) hi ſemper exitus, vt non ea ſolùm fiant quæ velit victor, verumetiam ij, quibus adiutoribus parta eſt victoria: Ac vt demus illos temperandis affectibus pares eſſe, certè priuatis ciuium noſtrorum, quos offendimus, coram quibus indies verſan-

verſandum eſt, ſimultatibus ac vltioni ſuccũbemus? Itaque in Angliam nobis beneuolam mecum ſecede: interim hîc odia deferueſcẽt, & ibi tuta opulentia decuſque non deerunt viris fortibus,& amicè expetitis. Verùm Boſchus, licet fruſtrà ſuaſerit, quòd Agricola diceret, rem peſſimi exempli eſſe, tum patriam ignauo mortis metu deſerere, tum Principum fidei ſemper diffidere, ciuiumque miſerorum erga ſuperiores amorem extinguere; tamen conſilij diſceſſuſq; ſui hunc fructum tulit, quod in Anglia magnos honores, amplas opes, exitu feliciore terminauerit. Sed ad Gandenſes reuertamur. Hi *Philippo Bono*, Audacis nepote, gerente principatum, poſt ſolutam ipſorum in caſtris ſeditione Caliſij obſidionem anno 1436. cum Brugenſibus, quietem reipublicæ interpellarunt: Illi quidem, quòd ægrè tolerarent, nouam veſtem, à militia redeuntibus, dari ſolitam, ſibi à Caliſio reuertentibus denegari, reſtemq; potiùs à magiſtratu irato offerri: Hi verò, vt Sluuſanos, qui portas ipſis, oram ibi maritimam contra Anglos defenſuris, occluſerant, gentemque factioſam appellarant, vlciſcerentur; & ne Vrilati quartum Flandriæ membrum, vti Philippus iubebat, conſtituerent, ſed ipſorũ municipes,& ſubſidiarij permanerent. Quod poſtremum Principis voluntati, Gandenſium ſuaſu conceſſiſſent, niſi plebem, quæ inſtar lacus per ſe quieti, immobilis eſt, Iacobus Meſſemakerus concitaſſet, atque diuertiſſet: Qui, miror, ait, ciues Brugenſes, vos Gandenſium conſiliis, ac Principis imperio tantum tribuere, vt agrum ab vrbe, colonos à dominis, clientes à patronis, corpus denique à corde abſtrahatis. An neſcitis hoc pacto duas ciuitates ex vna, pro vicinis hoſtes, pro amicis æmulos, pro quiete turbas vos habituros? Itaque, ſi ſapitis, nec quæ natura ab initio coniunxit, vſus ſanxit; neque arborem

à cortice, neque matrem à liberis auellatis. Sic ille vulgo obſiſtendi peruicaciam auxit, eò gratior, quia facundus,& culpę vel gloriæ ſocius apertè in cauſam deſcenderat. At Gandenſes quidem Philippus, vt maiores turbas,duarumq́; potentium vrbium ſocietatem præcideret, Caleſiæ obſidionis deſertæ innoxios pronunciauit, poſtquam ab eo flagitio ſe quaſi expiaſſent, Ghiſebrechto Pateito ſupremo Decano ſoluendæ obſidionis anteſignano per tumultum Gandaui trucidato. Sed Brugenſes difficillimè mitigari potuere: auctoque diuerſis temporibus furore, Taſſardum Brixium Schulthetum,& poſtea Mauritium Varſenarium Conſulem primarium,eiuſq́; fratrem Iacobum,nobiles proboſque viros in foro mactauerunt. Brixium, quòd turbas ſedare conaretur imperiosè,ob ſordes duritiemq́; inuiſus:alterum,deteſtabili Gertrudis,mulieris factioſæ ambitione,Ludouico Wallio alteri conſuli nuptæ, & ſororis Vincentij Scotelarij vrbis præfecti,qualem Cæſares Gręci (ait Pontanus) in Apulia Calabriaq́; Catapanum vocabant, nos, tranſmota mutataque litera, Capitanum: quæ viri fratriſq́; exaltandi ſollicita, indigneq́; ferens, Varſenarium in muniis publicis, marito præire, impulit virum ſuum, filium,fratremque, vt quibuſdam inquietiſſimis ciuibus tumultum, arma, fori occupationem perſuaderent, atque Varſenarij cædem, conficta criminis cauſa, quòd ſubinde ad Principem, qui Atrebati erat, iniuſſu multitudinis,commearet;cuius tamen ille apud Philippum ſincerè ſtudioſus aduocatuſq́; erat:quum Wallius contrà,ad plebem ſubiugandam, ſuum Principi conatũ clàm addixiſſet Sed vulgus in inſaniam,cędeſq́; incitare procliuius fuit, quàm compeſcere & ſanare: cui nimirum omne ferè in turbido conſilium,& facilior conſenſus eſt in ſeditione ad periculum,quàm in pace ad ſecu-

ſecuritatem. Nam quinque per ſeptimanas in foro armati perſtiterunt, duaſq; feminas nobiles, Wtkercani vxorem, Hoorniiq; viduam, è carpento Iſabellæ Principis Carolum filium in ſinu geſtantis, & ad virũ, qui Dami erat, ſe proripientis, violenter in carcerem publicum, maritorum odio abripuerunt; Iſabella reclamante, Caroloq; deplorante. At Philippus vt tantam ſeditionẽ & immodeſtiam caſtigaret, minarũ abſtinens, ac ſimulata per Brugam verſus Sluuſam Hollandiamq;, in qua ipſi bellum, profectione; mille & centum milites ex tribus milibus vrbi imminentibus, ſecus quàm promiſerat, Brugæ introduxit, ſagittãtes hoſtiliter, circiterq; vndecim cines inopinatò perimentes; vrbemq;, quum ceteros ſubſequi putarent, eſſe captam vociferantes, & aciem in foro boario explicantes. Ciues autem ſubitò armati, ceteras Philippi cohortes ſubſequentes portis excluſere, penſilibus cataractis, reiecta Philippi cuſtodia, demiſſis: aduerſarioſq;, & in his Ioannem Villerſum, Liladami dominum, fortiſſimũ aurei velleris equitem, qui bis Lutetiam Pariſiorum, Philippi eiuſque patris auſpiciis ceperat, ingreſſumque hunc Principi diſſuaſerat, ad Iuliani ſacellum trucidarunt, Principe tantùm non intercepto, qui ſemper gladiũ nudum vibrans, duos ſenes, à quibus honorificè ſalutabatur, irę properus occiderat, & magna difficultate vix euaſit per portam Bouueriam, Iacobi Hordoi ope, quem Brugenſes idcirco mox capite plexerunt, fabrilibus patefactam. Militum multi in platea Bouuerica oppetierunt, non pauci ex muris ſe deiicientes, in foſſis ſubmerſi, aut captiui fuere. Hoc Principis honori datum, quòd capti, qui ex eius vxoriſq; familia ſacellani, cantoreſq; erant, ſtatim citra noxam dimittebantur: aliorum quidam ſtatim decollati, quidam ſub pacificationem incolumes emiſſi ſunt. Verùm Bru-

genſes, portus Sluuſani, magnis inter Sluuſam Damumq; ſublicis confibulatis, perq; fiſtucas impactis nauigatione, commerciiſque interclusis, perturbati ſunt. Et arte aulica, literiſque Iſabellę Principis, à fœdere cum Gandenſibus ineundo auerſi; quo tutiſſimo conſilio, multitudinis conſenſus atque vis extenuatur; obſequium cum ſecuritate, quàm pertinaciam cum pernicie maluerunt: ac ſeſe anno 1437. dediderunt hiſce conditionibus: vt in Sluuſanos ius omne perderent, Aureorum Riderorum ſiue equitum (erant illi numi hodiernis Gallorum ſcutis coronatis, auri purioris & ſolidioris) ducenta milia Principi, decem Francicorū coronatorū milia Liladami occiſo filio, dependerent: quadraginta duo turbarum auctores, pace veniaq; excluderentur: vt vnde orta culpa erat, ibi pœna conſiſteret. Inter quos Meſſemakerus (quæ vox cultrificem ſignat) ille declamator, aliiq; ex acrioribus, carnificis gladio ceruicem ſubdidere: & Gertrudis, fax ſeditionis, damnata, vt cum marito palàm capite plecteretur, in foro ſepeliretur, lapideque orbiculato tegeretur, qui inſcriptionem mulieris, Principi atque patriæ tam exitioſæ oſtentaret, precibus nobilium matronarū impetrauit, vt, cum viro, perpetuo carceri Winendalæ includeretur: vbi vterque miſeriam morte finierunt: Filio eius atque Vincentio fratri, in foro capita amputata ſunt: denique decretum fuit, vt terra Franca tribus aliis membris quartum accederet, à Brugenſibus perpetuò ſeparatum. Et Philippo cum Aureliani Duce Carolo, magnaq; nobilitate aduentanti, ciues mille quadringenti ex primariis, diſcalceati, diſcinctiq; ad pedes ſe proiecere, & claues vrbis illi porrexere, manibus vocibuſq; extenſis, veniā precabundi. Brugenſium tumultu conſopito, poſt aliquot annos Gandenſes nouas turbas excitarūt: quod iniquè ferrent,

rent,nouem ſtuferorum in ſingulos ſalis ſaccos inſolitum Flandris, Gallicumq; vectigal exigi, & quòd Philippus ſupremum ibi decanum opificum, alibi quàm proximè primum ſcabinum contra morem, collocari vellet;tantaq;eſſet concilij Flandriæ auctoritas illic conſtituti. Tandem peruicaciam exuerunt, poſt quadriennem ſimultatem,atque bellum:in quo occluſis fluuiorum ſeptis, intra primum ferè ab vrbe lapidem in circuitu, omnia decliuiora loca inundarunt ſtagnaruntq;, ac poſt ſæuitiam tam atrocem, vt neutrobi captiuorum vitæ parceretur, claris viris patria boniſque interdiceretur, in Waſia quatuor Ambactis, agroque Gandenſis Audenburgi, plus quàm duodecim millia villarum cum Hulſto,Axela,Ecloa, Tiletoq; oppidis,incendio haurirentur. Nam ad poſtremum,quum à legatis Caroli ſeptimi Gall. Regis, oblatas,aſſentiēte Philippo,pacis leges repudiaſſent, conflictu ad Gaueram arcem, Scaldi aſſidentem, ſuperati ſunt, & in præcipitem attonitamque coniecti fugam, tum decepti proditiq; ab Arnoldo Speeckio Cementario,Gaueræ præfecto, tum ab Anglis auxiliariis,præſertim Ioanne Oſtio, tum per occaſionem Mathæi Kerchouij magiſtri bellicarū machinarum, quum ignis in ſaccum pulueris tōrmentarij fortuitò incidiſſet,exclamātis; vt fugerent, ne videlicet flamma læderentur:quæ vociferatio cauſæ ignaros ſtatim ad ordines deſerendos impulit, eamq; perturbationem Princeps in commodum ſuum vertens, victoriam adeptus eſt, ingemiſcens hiſce ad gratulantes verbis, *Quiſquis lucretur, ego perdo, Sunt enim omnes mei*:ſcripſitq; Gandenſibus in hanc ferè ſententiam, quamuis primo illorum impulſu,equus eius quatuor locis, filius Carolus in planta dextri pedis vulnerati fuiſſent:Iam tandem videtis,vnde ius ſtabat,ſuperos victoriam dediſſe: qua vt vtar,& ratio belli,& amici

Z 5 ſua-

ſuadent: ſed capiti neque triumphus ex mēbris ſuis dilaceratis expetibilis eſt, neq; manubiæ ex illorum damnis, iucundæ. Malo bonos medicos imitari, qui mitibus ſæpiùs medicamentis ægros curant, quàm vſturis & ſectionibus. Dabo conſenſui bonorum, dabo aliorum pœnitentiæ locum. Offero vobis pacem, iiſdem, quibus ante pugnam, conditionibus: quam, ſi ſapitis, obuiis vlnis amplectemini, victoribus tantùm pulcram, vobis vtilem ac neceſſariam. Hiſce literis, ſuiſq; detrimētis emolliti, inſtar gubernatorum, vbi naufragium timent, iactura quicquid ſeruari poteſt redimentium; quam peritiam Gandenſibus Cominæus attribuit, certis legibus anno 1453. tranſegerūt: quibus pręcipuè cauebatur, Vt in forum cum vexillis ampliùs non prodeant, illaque omnia Principi tradant: Omni ſubiectione & poteſtate vſurpata, Audenardam, Curtracum, Aloſtum, Teneramondā, Biervlietum, Waſiamq;, cum quatuor ambactis, exempta eſſe tolerent: Ne Scabini in literarum vertice, ſe dominos Gandenſes inſcribant: Vt trecenta aureorum Riderorum milia pro mulcta, impenſiſque Principi ſoluant. Quem aliquanto pòſt in vrbem lubentes, & iucundum illi aduentum ſermone Flandrico cōgratulantes, receperunt; magiſtratibus lineo in amictu, pedibus verticibuſque nudis, ante eum proſtratis. Sic libertas ipſis libertate periit, &, vt Plato dicebat, fumum ſeruitutis fugientes, in ignem ſeruuum inciderunt. Eo in bello Gandenſes rationem aliquam religionis habuere: quoſdam enim templi ſpoliatores publicè punierunt; quòd dicerent, ſeſe contra durum immitemq; Principem, non aduerſus Deum placabilem arma ferre. Neque mirū eos ſuccubuiſſe; diffiſi enim ſuis nobilibus, rei bellicæ gnaris, clauum reipub. plebeis imperitis & inconſultis committebant. A Philippi morte, in *Carolum eius filium* veſanè
inci-

incitati, maturè citraq; ſanguinem deſtiterunt. Etenim illum ſolemniter anno 1467. menſe Iunio, magniſque gaudiis inauguratum, poſtridie offenderũt, primò Leuiniani feretri ad Bauonis cuſtoditi, baiuli (populi fex) Holthemo, ex ritu annuo redeuntes; qui domunculam forenſem, vbi ex granis promercalibus vectigal pendebatur, impulſu proſtrauerunt: deinde, raptis vexillis, in forum Veneris irruẽtes, & plebem claſſico templi Iacobæi campanæ adunantes. Vnde, licet à Principe verberarentur ſcipione, patienterque ſe ferre dicerent, modò alius nemo feriret; diſcedere noluere, niſi poſtulatis impetratis. At Caroli ſubito, & minabundo abitu territi, extortas illas immunitatum tabulas, vexillaque ſua Bruxellæ ipſi reddidere, veſtibus pullatis induti: ac pro tribunali proſtrati, pacem exorarunt, illius concione tum Latina, tum Teutonica, in hunc ſenſum admoniti, atque caſtigati: Nimia felicitate, & proteruia inſaniuiſtis, palàm turbidi, in publicũ exitioſi. Quantumuis in vos antea durior fuiſſem, veſtrum erat meliorem votis expetere, qualemcumque tolerare: Principibus ſummum rerum iudicium Superi dedere: ſubditis obedientiæ gloria relicta eſt: obſequiis mitigantur imperia: at iam vos ſemper patre viuẽte expetiſtis me auidiſſimè (qui veſter mos eſt) & ſummo poſtea applauſu inauguraſtis: neque vllam vobis offenſionis cauſam dedi. Quid ergo in alumnum veſtrum obliuioſi, in beneficum ingrati, in Principem immodeſti, tam furibundè diſcurriſtis, ac me ſpreuiſtis, præſentem, admonentem, corrigentem? Et certè merebamini, vt vnà maiores meos, quos ſæpe contempſiſtis, iniuriaſq; meas grauiter vindicarem. Verum quia non omnes culpæ affines ſunt, & lugentes ſuppliceſque vos video, ignoſco, & malo vos clementia mea in integrum reſtitui, quàm ſeueritate puniri atq; diffamari.

famari. Surgite itaque domumque redite, tam parati ſemper ad obſequium ac quietem, quàm ego ad prę-teritorum obliuionem. Sic illi in gratiam recepti, Carolum poſtea Gandauum redeuntem, ſplendidiſſimo apparatu, viarumq́; ornatu iucundiſſimo, & nouem milibus tędarum cerearũ, ardentium ſeriatim, honorarunt. Sed *Maria filia eius*, adeunte principatum, turbas renouarunt: & Himbercurtium Meganum, Brimeæ gentis regulum, ac Hugonettum Burgundum, Cancellarium, publicè & damnarunt capitis, & truncarunt, cõtra Principis puellæ obteſtabundæ voluntatem: Brugenſibus Vrilatiſque exemplum imitantibus. Ferociam tamen omnes depoſuerunt, quum Maria Gandenſium aliquot immunitates & conſuetudines, quas pater auuſq́; aboleuerant, approbaſſet, aſſentiens, vt pacificatio inter abauum ipſius Philippum Audacem, & Gandenſes Turnaci conciliata, in vſum reduceretur, & ſimulac ſubſcripſiſſet Brugenſium precibus, atque ipſis coniunctorũ Vrilatorum à ſuo magiſtratu diſcrepantium, efflagitationibus: quibus prærogatiua quarti membri, perpetuuſque magiſtratus terræ Francæ adimebatur. At Maximilianum poſt vxoris mortem Romanorũ Regem electũ, Brugenſes, à Gandenſibus aliiſq́; incitati ac confirmati, detinuerunt: quod Philippi filij pupilliique ſui facultates prodigere argueretur. Verùm ad Brugenſes potiſſima calamitatis pars redundauit, quum exteri mercatores, tam frequentes noxiaſque turbas exoſi, fortunas ſuas ſenſim Antuerpiam tranſmitterent: & Maximilianus trimeſtri cuſtodia, per tranſactionem, liberatus; nouo bello & prætextu eos impeteret, quòd monetæ precium prioribus tempeſtatibus anarchiiſq́; nimis auctum, ab illo velut vno impetu, ac niſi ad dimidiatum decrementum minui recuſarent, & per hoc inſimularentur, paci contraueniſſe

niſſe. Sed à reliquis præterquam Sluuſanis, eorumq́; præfecto Philippo à Cliuia Raueſteyno deſtituti, ac ad auenaceum, hordeaceumque panem redacti, captoq́; ab hoſtibus Georgio Picaueto, vrbis præfecto militari, conſternati; per præſidium Damenſe, Comitemq́; Naſſauium Engelbertum, eò anguſtiarum peruenerunt, vt octoginta librarum Flandricarum milibus (ſi veri ſunt noſtri Teutonicè ſcripti annales) quæ ſumma immenſa eſt, & vix credibilis, aut, iuxta Molinetum, centum & quinquaginta aureorũ Andreanorum milibus, viriſq́; quinquaginta, Maximiliani indignationi permiſſis, pacem anno 1489. redemerint: quæ priuatim Nicolaum Delftiũ vrbis conſulatu exornauit: quum priùs à tumultuante plebe, vnà cum ſocero Lanchalſio, capitis damnatus, excipiendæq́; à carnifice neci, in tabulatum forenſe productus, vitam ibi ſuppliciter exoraſſet. Quo bello inteſtino, illinc Hulſtum, Teneramonda, Aldenarda, Aloſtum; hinc Nieuportus, Feurna, Dixmuda, Greuelinga, Maximiliano ſtudentes, tripoli Flandrię obluctabantur, deploranda agricolarum calamitate. Neque Gandenſes antea, quum Philippum Principem ſuum apud ſe educatum, patri expoſcenti reſtituere abnuerent, bello domiti euitarunt, quin Maximiliano & filium, eiuſque tutelam, & contumaciæ mulctam redderent: neque, anno 1492. recuſarunt (Ioanne Coppenolla ſupremo decano, aliiſque motuũ facibus, ignominioſè extinctis) pacificandi conditionibus, ab Alberto Saxone, Belgij rectore, præſcriptis, obedire: neque Philippus à Cliuia, Winendalius, Raueſteinus, Caſtellorum Sluuſenſium præfectus, qui Maximiliani detenti adiutor priùs ſponſorque, dein præfractus, ob fidẽ Flandris non ſeruatam, hoſtis; peruicaciam retinuit: ſed tradita Alberto Saxoni minore Sluuſæ arce, obſequioque in Maximilianum

lianum addicto, abolita proſcriptione Imperiali, receptiſque bonis & honoribus, inteſtino Brabantiæ Flandriæque bello, quod fouerat, metam impoſuit. Poſtremò, quum Flandria quinquaginta deinceps annis pace & tranquillitate domeſtica floreret, Gandenſes ad annum 1539. Mariæ, *Caroli Quinti Cæſaris* ſorori, viceſque in Belgica gerenti, ob pecuniam importunè exactam reſtiterunt, ampliſſimis priuilegiis confiſi: ſed Carolo, quem gratulabundi in vrbem receperant, ſupplicium dederunt, præcipuè indignabundo, quòd Franciſco Gall. Regi, ſe, cauſamque ſuam per literas commendaſſent; quas tranſeunti per Gallias Cæſari Rex ille oſtenderat. Itaque cœnobium D. Bauonis in validam arcem ciuium impenſis conuerſum, in ceruices accepere, priuilegiis exuti; paucis vita erepta, pluribus ignominia annexa: ædificiis publicis, vaſis argenteis, prouentibus vexilliſque ſocialibus opificiorum fiſco aſſignatis. Quæ mutatio plus detraxit tumultibus vrbis, quàm amplificationi: & Flandria dominorum ſuorum potentiæ, tot regnis auctæ, obnoxia & obſequioſa, omnem reluctandi ferociam perpetuò auerſatura videbatur; niſi in has recentes, ſacras, & ſemper reuireſcentes Belgij diſſenſiones pugnaſq; incidiſſemus.

De

De bellis externis,

ET PRIMVM

DE BELLO GALLICO.

EXTERNORVM bellorum, quæ maiori compendio, vtpote à compluribus iiſque ipſis nationibus in quos geſta ſunt, enarrata, tractabimus; primum eſt Gallicum, vetuſtate ſua, magnitudine ac varietate. Ante omnia verò Carolum Caluum Galliæ Regem, in Balduinum Ferreum propter Iuditham filiam in vxoré abductam, bellum anno 862. meritò mouiſſe non ambigitur. In quo gener ad D. Eligij montem prope Atrebates, atque in agro Lilano pugna vicit, multos viros nobiles in vincula coniecit, fines ſuos, quos à maioribus acceperat, ſtrenuè tutatus eſt. At Caluus, qui illis preliis non adfuerat, fortè vt integram auctoritatem maioribus remediis ſeruaret, tempeſtiuè cauens ne indomiti vir animi Danis aliiſq; Normanis, Franciæ flagellis, ſeſe adiungeret, ferro deinceps abſtinuit, Synodum Epiſcoporum conuocauit, ibiq; effecit vt Balduinus lege Gregoriana damnatus, piorum cœtu amoueretur. Quod tanti fuit, vt annalibus pactis induciis, ille cum vxore Romam feſtinaret, cauſamq; ſuam apud Nicolaum primum Pontificem ageret: Nullis illicitis blanditiis, nullis fallaciis mulierem à ſe deceptam, nulla vi coactam eſſe, ſponte in legitimas nuptias conſenſiſſe, ſponte ſecutã virum, vt regio ſanguini imparem, ita veteri, nobili, potentique ſtemmate procreatum: Ludouicum Iudithæ fratrem natu maximum, neque ſponſaliorum ignarum fuiſſe, neque reclamaſſe: ſe maximè optare & obſecrare, vt Pontifice benigno, ac Rege ſoccro pla-

placato vtatur. Itaque ſupplici actione ac deprecatione impetrauit, vt & interdicto ſacrorum ſolueretur,& duos Epiſcopos interceſſores, Sueſſionem ad Regem Papa mitteret. Vbi rurſum contracto Gallicorum antiſtitum concilio, auctoritas Papæ à Danis, terra mariq́; Galliæ infeſtis, timor, filiæ fœcunditas, generi eiuſq; maiorum ſæpè cognita in bello virtus, fideſque, concilij denique atque optimatium ſuaſiones, Regem induxere, vt offenſionem deponeret, genero pacem filiamq́; daret, ſolénibus & nuptialibus Auxerræ Comitiis conuiuiiſq; anno 863. matrimonium ſanciret, atque Balduinum magna dote, illuſtriq; titulo cohoneſtatū, ad promptius obſequium fidemque contra regni hoſtes deuinciret, vt antea à nobis commemoratum eſt. Neque poſtea in Flandri erga Regem obſeruantia, quicquam excuſares.

Balduini filius Caluus aduerſus Caroli Simplicis Regis voluntatem, Peronam ab Heriberto Viromandiæ Comite, cuius factioni cædem fratris ſui Rudolphi à Normannis interfecti imputabat, ſtrenue vendicauit; temerè iraſcente Rege, ab aulicis aſſentatoribus circumuento, & Atrebatum à Flandro armis auferente: quo tamen maximè auctore & adiutore, regno in partes diuiſo, inunctus Rhemis fuerat. Simplice Heriberti inſidiis Peronæ capto extinctoq;, Flander ſua recuperauit. Poſtea *Arnulphi ſecundi* pueritia, cupiditatem iniuriamq; Lotharij Regis prouocauit. A quo, tota pene Flandria ſpoliatus, tandem virtute reſtitutus fuit: Boloniæ tamen & Teruanę poſſeſſione amiſſa, homagiis conſeruatis. Aſperius *Philippi primi Alſatij* contra Regem Philippum Conquirentem, cui ſacris vndis tincto nomen impoſuerat, ad annum 1181. bellum fuit: quod Gallus donationem paternam ſuamque reſcinderet, qua Alſatio Viromandiæ dotalis perpetuum dominium attribuerat:

Hinc

Hinc viciſſim Flander reuocare pacta, quibus in dotem Iſabellæ Reginæ Arteſiam à morte ſua, addixerat: exercitumque inſtruxit, in quo ducenta hominum milia cenſa fuiſſe, & draconem flammiuomum ſuperbè fabrefactum, curruq; geſtatum, ante aciem præceſſiſſe, ſed agris vaſtatis nó eſſe prælio certatum, in annalibus traditur. Tandem Gallus, tranſactione, vim dotis retinuit, Flander Viromanduos, quoad vixit poſſedit. Cuius ex ſorore nepos *Balduinus octauus* antequam Orientem & Byzantium aggrederetur, Arteſiam, hoc eſt, Flandriam tunc trans nouam foſſam, occidentalem repetiit: quòd diceret abſque populi, Ordinumque conſenſu, auunculum non potuiſſe in præiudicium regionis hæredumq; tantam ditionem diuellere ac alienare, illatoq; bello, Santomerum & Ariam, eorumq; appendices, cum ſupremo imperio Guineſiorum, Ardræ, Lilerſi, ac Rikeburgi Gallis extorſit, confectaq; anno 1199. Peronæ pace, retinuit: Arteſiam autem reliquam Ludouico Regi, ſororis filio, permiſit, hac conditione: vt ipſo abſque liberis moriente, ad Flandriam illa reuerteretur. Verùm *Ferdinādus*, Balduini gener, bellum reſtaurauit: quòd in fidē, Flandriæ nomine, recipi nequiiſſet, antequā promiſiſſet ſe ea, quæ diximus, oppida Ludouico Regis filio ceſſurum. Qui veritus ne voluntatem mutaret, eum cum vxore in Flandriam redeuntem, & Peronam à ſe deductum, clauſis ibi portis diſtinuit: donec magna celeritate Audomaropolim, Ariamq; ſubitò perculſa metu, nulliſque præſidiis munita, occupaſſet. Quod Ferdinandus tam ægrè tulit, vt Gallis nunquam fidendum ſtatueret, & Othoni quarto Cæſari, Angloq;, Gallorum hoſtibus contra Philippum conquirentem coniungeretur. Illi verò regnum Gall. inter ſeſe, non ſecus atque vrſi nondum capti pellem partiti, Pariſios, regiumq; no-

men Ferdinando aſſignarunt: quòd nobiliſſimus (vt narrant Gallici annales) foret, magnas copias armaſſet, auroque Flandrico totum ferè Othonis exercitum ſuſtentaret. At verò in Flandriæ perniciem Ferdinandus Regem irritauit: Caſſeto, Ypra, Duaco per Gallos oppreſſis, Lila diſiecta, Gandauo Brugaq; obſides dantibus, quos pecunia pòſt redemere. Et in celeberrimo illo ad Bouinenſem pontem, inter Lilam Turnacumq; prœlio, Gallicorum annaliũ teſtimonio, ſuis copiis, adhortatione, manuq; præluxit, laborãtes texit, ſummi ducis, militis fortiſſimi partes impleuit, hoſtem vbique in ſe vertit, tandem ſuffoſſo equo deiectus, ſeſe pernix in pedes excepit, neque (quũ iam in Gallos victoria inclinaret) multis vulneribus quicquam mouebatur, quoad manu telum, pedibuſq; ſeipſum ſuſtinuit. Ad vltimum, multitudine circumuentus, lapſus, oppreſſuſq;, venit in hoſtium poteſtatem, anno 1214. & in arcem Louuram Pariſiis non abſque plebis ſanna, coniectus eſt: Othone Cæſare fuga ſeruato: neque ante mortẽ victoris, & duodecimum cuſtodiæ annum per D. Ludouicum relaxatus eſt anno 1227. fratris Alphonſi, Portugalliæ regis, vxoriſq; Ioannæ auro, atque Blãchę regię matris, materteræ ſuæ precibus, adiuratuſq; ſe in Galliæ Regem nunquam pugnaturum, neque vllas in Flandria Ciſſcaldana munitiones exſtructurũ: cui tranſactioni ciuitates, nobilitaſque Flandriæ neutiquam aſſenſerunt, Gallis deinceps eam ſemper obtendentibus. Maximè autem memorabile, *Guydi Dampierri* ætate bellum erat per hanc occaſionem, Philippam ille filiam Eduardo ſecundo (qui tunc Angliæ hæres erat) ex patris regniq; conſilio ambienti, deſponderat, nihil mali ſuſpicatus, propter legitimarum nuptiarum communem, iuriſq; gentium libertatem; quodq; inter Gallos Angloſque in aperto non malè cõueniret.

At

At Philippus Pulcher Gall. rex illud in occulto ægrè ferés, Flandro perſuaſit, vt antequam filiam (cui ipſe nomen in baptiſmo indiderat) in Angliam tranſmitteret; Guydus cum vxore atque filia Lutetiam ad ludorum, illuſtriumq́; feminarum cœtus veniret. Huc quum ventũ eſt, Rex omnes detinuit captiuos, quòd abſque ipſius auctoritate, aſſenſúve, connubia cum Anglis, quos regni hoſtes vocabat, pacta eſſent. Deinde parentibus ex ſententia Franciç Parium, operaq́ue Sabaudiæ Principis cuſtodia emiſſis, filiam obſidem ad mortem vſque in gynecæo reginæ obſeruatam retinuit. Quam iniuriam vt vlciſceretur Guydus, Anglicis Germaniciſq́; fœderibus confiſus, per duos Abbates Gemblaci ac Floreffæ, diœceſis Leodienſis, feciales, Philippo, qui Galliæ Nauarram dotalem adiunxerat, bellum denunciauit: quæ res infeliciſſimè illi ceſſit. A ſubditis enim, quòd abſque eorum conſilio, conſenſuq́; id peregiſſet, deſtitutus, & à confœderatis, præſertim Adolpho Naſſauio Cæſare, quem Anglus Guyduſq́; ſtipendio centũ milium aureorũ repræſentato conduxerant, deſertus, in tantas anguſtiás incidit, vt Carolo Valeſij Comiti, Regis fratri, & in exercitu legato, ſe Ardenburgi dediderit, hac conuentione; vt ipſe cum duobus filiis natu maximis, & quinquaginta nobiliſſimis, fidiſſimiſq́; beneficiariis, ad Regem ſupplices accederent; tali enim ſubmiſſione effectũ iri Valeſius aſſeuerabat, vt ditionem, gratiamq́; Regis recuperaret: ſin Rex irę peruicax eſſet, ſanctè iurabat, ſeſe incolumes omnes domum reducturum. Rex autem omnes Lutetiam ingreſſos comprehẽdi, & ſeorſim cuſtodiri iuſſit: quòd cauillaretur, ſe Caroli fratris pactione non teneri. Ita illi per dolos periutiaque circumuenti ſunt, & Flandria regis fiſco agglutinata. Quod non tam nationi Francorum imputandum eſt, per Agathiam apprimè

laudatæ (licet Procopius & Vopiſcus ſcribant illi familiare eſſe fidem ridendo frangere) quàm Philippo regi, multa improbitate cooperto. Qui Iacobum à Chaſtellione, Comitis Sanpaulini fratrem anno 1301. regio nomine Flandris præfecit, aſperum, & in tributis exigendis (opifices enim ad quartam mercedis ſuæ quotidianæ ſoluendam cogebat) immoderatum, nobiliumque cum Guydo captiuorum liberis intolerandum, & Curtraci, Lilæq; arces, tyrannidis nidos extruentem, aliamque Brugæ (vbi nunc aquaticæ molę voluuntur) ſed fruſtra inchoantem. Cuius ſuperbiam auaritiamq; quum Brugenſes (apud quos prætorium ſedemq; fixerat, vbi etiamnũ ædes ſunt, quibus Sanpaulinis nomen) impatientiſſimè ferrẽt, Petrus Conincus (illud nomen regem ſonat) vnoculus, paruæ ſtaturæ, ſexagenarius, textorum decanus, & Ioannes Breydela, quem P. Æmilius voce Gallica, eiuſdem notæ, quæ frenum ſignat, Bridanum nominat, ex collegio Laniorum, turbas armati excitarũt: &, cum Ardenburgio Damoque, in aui locum receperunt Gulielmum (cui Clerico agnomen erat, quia Diaconus, præſeſq; tẽpli Traiectini ad Moſam erat) ex Gulichij Principe, & Guydi captiui filia natũ, intrepidum bellatorem. At quum Gandauum per vrbis patricios, quibus Chaſtellionus blandiebatur, à Brugenſibus ſe diſtraheret, hi perterrefacti, Conincum ferè trucidatum, mœnibus excluſere, & ex roſtris edixere, vt coniurationis in Gallos conſcij, ſpontè exularent: regium verò præfectum certis pactis in vrbem reduxere: quam ille facilè in obſequio continuiſſet, niſi introductis multo maioribus, quàm conuenerat, copiis, & vultu minabundo, verbiſq; contumeliofis, in ingreſſu terribilis, ciuium omnem fauorem, fiduciamque amiſiſſet: qui ſtatim exules in vicinis agris palãtes, clàm noctuque in mœnia, aliquot locis

locis peruia, admiſere: iiſq́; mixti, horriſono tumultu cædibusque per omnia diuerſoria in Gallos, inermes iuxta atq; armatos, graſſati, mille & quingentos equites, duo millia peditum (ſunt qui lōgè maiorem numerum referant) mactauere, centum cepere, ad annum 1302. Maij die 25. Iacobo regis vicario, ope armigeri à paratiſſima nece, in recentem equum, fugamq́; ſubuecto, & veſpertinarum tenebrarum beneficio, in latebras cuiuſdā viri nobilis abdito: ſumptaque, ante mediam noctem, ſacellani ſui veſte, vnà cum Petro Flota, regio intimoq́; conſiliario, foſſas vrbis tranſnāte, famulo ſubmerſo. Inde Curtracum attonitus, & hinc in Galliam ad Regem anxius properauit. Qua occaſione prudenter fortiterque vſi, Guydus Rikeburgius, Principis Guydi captiui ex ſecunda vxore filius, & quem diximus Gulielmus, maximam regionis partem à Gallis abduxere; arcemq́; Curtraci à Gallis permunitam obſederunt. At vbi Gallicum exercitum appropinquare cognitum eſt, Guydus populares ſuos in hanc ferè ſententiam inflammaſſe, & allocutus fertur: Certa me ſpes tenet, amici, victoriæ acquirēdæ. Galli iſti, Chriſtiana communione per Papam amoti, in ſocietate ſuperbi, in pace infidi, in bello fœdi, patrem Principemque omnium noſtrum, bonis, dignitate ſpoliant, carceri includunt, ſenem octogenarium, hilariter inuitatum, dolis & periuriis deceptum, eiuſq́; captiuitati, vincula filiæ Eduardo Angliæ Principi ritè deſponſæ annexuerunt. Ac his innoxiorum miſeriis nondum ſatiati, in Flandriam corruunt, anhelantes vt ſanguinem veſtrum exſugant, penates incendiis, feminas libidine, ſacra (à quibus abſtenti ſunt) ſcelere contaminent. Contra tantam immanitatem, in procinctu & minabundi, iuſtiſſimè ſtatis, vt patriam, parentes, vxores, liberos, ceteraſque neceſſitudines, atque aras

 defen-

defendatis,&vim illatam piis armis repellatis. Itaque ne dubitate quin euentus belli, velut æquus iudex, vnde ius ſtat, ibi victoriam dabit. Nobis in pedite robur eſt: illis impetus in procella equeſtri: quã ſi paululum ſuſtinueritis, citò diſſipabitur, qui illis mos eſt, citò victoriã cedet. Quod ad Duces veſtros attinet, quæ officij noſtri erant, omnia prouidimus, paratiſſimi, vt vltimam ſanguinis guttam tam iuſtæ cauſæ, tam ſtrenuis commilitonibus impendamus. Sic animati, Gallorum exercitum ad arcem illam liberandam aduenientem (quem Franciæ annales, & Antoninus Epiſcopus Florentinus, decem milia equitum electorum, ſupra peditum quinquaginta milia habuiſſe aiunt, floremque totius mũdi appellant) & furibundè irruentem, ſuperarunt in campo Groeningio iuxta Curtracum, Abbatiamque femineam Bernardinam: quum robori cõſilium, legemq́; (vt ſuum quiſque locum mordicus teneret, hoſtiũ equos ſuffoderet, prædis & inimicis capiendis, ante finitã pugnam abſtinerent) atque ſtratagema addidiſſent: A tergo enim flumine Liza, ab Oriente & Occidente, foueis tuti, à Meridie, qua hoſti in eos aditus patebat, occultas ſcrobes idoneæ altitudinis atque latitudinis foderunt, & viridibus ceſpitibus ramiſq́; obtexerunt: in quibus Galli partim cateruatim periere, ordines perdidere, incredibilem demum ſtragem ab inimicorum lanceis bipennibuſq́; accepere, partim profugerunt, viamque militarem, inter Curtracum, Lilamque cadaueribus cæſorum ſparſere: Flãdriam victoria, gaudiis, ſpoliiſq́; precioſis; Franciam infinito luctu & detrimento impleuerunt. Recenſebantur, ſupra Robertum Arteſiæ regulum, regij ſanguinis, exercitus Ducem (in cuius triginta vulneribus confoſſi corpus, quia fuerat implacabili in Flandros odio & atrocitate, ſæuitũ eſt) præter Chaſtellionem belli

cauſam

cauſam, Rudolphum Neellam, Coneſtabilem, duoſque regni Marſchalcos, Simonem Meluneum, alterumque Neellam, Coneſtabilis fratrem, interfectos; vndecim regionum Principes occiſi: in quibus Druidum, Sueſſionum, Marlæ, Tranquaruillæ, Marchiæ, Vgellæ, vnà cum Gotfredo Virſonij Comite patruo Ioannis Brabantiæ Ducis, atque Alano, Ioanneq; filiis natu maximis Britanniæ Ducis, & Hannoniæ, Hollandiæque Comitis, numerantur. Ceciderunt Barones ſexaginta, inferioriſq; notę & gradus, illuſtri fama nobiles centum ſupra mille, ceterorum numerus ſupra viginti duo milia, cum equorum quatuor milibus confoſſorum: calcaria inaurata ſeptingenta, vbi pugnatum eſt, inuenta ſunt, & Curtracenſi in templo primario, ceu trophea diu ſuſpenſa. Fugerũt meliore fortuna quàm fama, magnamque copiarum partem ſecum abduxere, Guydus Sanpauli, Robertus Boloniæ, Reynoldus Dammartini Comites, Robertiq; Clarimontis Comitis filius Ludouicus, qui poſtmodo Borbonij Ducum primus fuit. Tam verò memores Flandri humanitatis fuere, vt peremptorum cadauera vbique tumulauerint, ſepultis in cœnobio Groeningio, aliiſq; locis ſacris, occiſorum illuſtrioribus Hæc victoria à plebe Flandrorum, ad ſexaginta milia, concordia inter ſe, raraque in præfectos obedientia præſtantium, parta fuit, anno trecenteſimo ſecundo ſupra milleſimum, Iulij menſis die vndecimo. Celebraturque hac in pugna Gulielmi Saftingij monachi Douſtani Conuerſi incredibile corporis animiq; robur ac immanitas: fertur enim quadraginta Gallorum equites proſtrauiſſe, & ſupra mille hoſtes ab aliis deiectos, in mortem tranſadegiſſe, aut contudiſſe, enormi baculo acuminato: In acie victrice multi vulnerati, vix centum (ſi noſtrorũ annalium aſſeuerationi credimus) deſiderati ſunt: vix

decem viri nobiles inuenti: nam Liliatorũ;ſic enim notabantur,qui Gallo Liligero ſtudebant;factiones, nobilitatem occupabant,& Gandaui vrbem. Cuius incolæ illa Gallorum calamitate excitati,regia ſigna deiecere,pedibus triuere, Flandriæ Comitis inſignia reſtituerunt, Francorum fautores malè habuere,expulere,& in ſocietatem ceterorum contra Gallos,ſeſe adiunxere. Nam illi,qui partium ambigui, aut, vt diſcrimine ſe ſubtraherent, alterutri parti ſe non addiderant (quod reipublicæ plurimum obfuerat, bellumque traxerat) victoribus iam, cauſæq; Principis, propalam accedebant:quod genus Mediorum,in ciuilibus diſcordiis frequentiſſimum, licet Cæſar pro ſuis aſtutè numerabat, tamẽ Pompeius pro hoſtibus habebat:Solon domo,patria fortuniſq;omnibus exuendos,lege decreuit: Cato virtutis imago exemplo ſuo condemnauit. Quæ cenſura in eos maximè congruere videtur,qui rempub. adminiſtrant, & illi turbatæ non minùs quàm florenti adeſſe, & officio dignitatiq; conſulere tenentur. Tanta clades pręſagiis non caruit. Etenim Cometa luridus anteceſſit, & Robertum exercitus legatum,equus (cuius phaleras cicurRoberti lupus pridie lacerauerat) non niſi inuitus,ac vi protruſus in hoſtem tulit:& Chaſtellionem belli facem, coruus ab Atrebatibus, Curtracum vſq; à tergo ſequebatur: atque in tanta equorum multitudine, vix vnius alteriúſve hinnitus, toto ante pugnam triduo clarè auditus eſt. Tam ingenti calamitate Philippus Rex obſtupefactus,ſępe copioſo exercitu minatus,nullo fructu lætatus fuit: Flandriæ animis viribuſq; augeſcentibus, tum ob Curtracenſem Caſſetanamq; arcem cum Lila &Duaco à Gallis ad victores redeuntem, & Teneramondam vrbem arcemque,à Waſianis ſubactam; tum aduentu Ioannis Namurci Comitis, & Philippi, filiorum Guydi captiui:

ptiui: quorum hic dotales in Apulia Comitatus deſeruit, vt patri patriæque ſeſe impenderet. Quo tempore incredibiles copias Flandri coëgere: nã eorum in exercitu ducenta peditum, duodecim equitũ milia fuiſſe, annales Gallici memorant. In Arteſia, caſtella, amœnaſq; nobilium ædes igni ferroq; euerterunt, octoginta pagos, frugeſq; maturas crudeliter incenderunt, in vltionem damnorum, quæ Flandriæ agricolis Galli priùs cum Roberto Arteſienſi inflixerãt, aliquot oppidula diripuere, diſiecere. Teruanam funditus combuſſerunt. Poſtea ad montem Peuelæ in agro Lilano cum rege conflixere, quatuor pugnatorum milia cum ſarcinis cõmeatuq;, & Gulielmum Gulichium, Guydo auo infortunato fidiſſimũ, amiſere; ſed Regem equo deiecerunt vulneratum, fortiſſimeq; dimicantem. Cui in diſcrimine conſtituto, amici paludamentum liligerum abripuere, ne agnoſceretur, & tempeſtiuã ſuaſere fugam: cuius tentorio Flandri irrupere, regiam cœnam gazamq; rapuere: Auriflammam tam celebre ſignum, Galliſq; ſacrum dilaniarunt, geſtatore eius Anſelmo Cheroſio perempto, vnà cum Ioanne Burgundiæ Ducis fratre; & octodecim Baronibus, trecentiſque equeſtris gradus nobilibus interfectis: Caroloque Siciliæ Rege, multis cum Principibus effugiente. Victoriæ tamen nomen ſibi Galli arrogarunt, quod Flandri annona, ſarcinisq; exuti, pugnæ locum deſeruerint, à Gallis redeuntibus occupatũ, pluresq; pedites deſiderauerint. Ad vltimum, cum Rege illo Lilam diu & fruſtrà obſidente, Flandri (liberandi ex carcere Principis, eiuſque filiorum cupidiſſimi) & ne Rex irritatus in eos tandem ſæuiret metuentes, ad annum 1304. cum eo tranſegerũt: Vt Guydo libertas cum principatu redderetur, Flandri priuilegiis lociſque munitis fruerentur, pecuniam Regi dependerent, quę milia floreno-

rum quadringenta non excederet, lectis ad ea perficienda octo arbitris, partim Francis, partim Flandris: Interim Lilam, duacum, Orchieſam cum agris Rex pignori teneret. At paucis cōtractus formulis impletis, pignus in poſſeſſionem proprietatemq; vertit, ac pace tam fraudulenta quàm octenni bello, quàm vllo exercitu magis nocuit. A Guydi morte, *Robertus eius filius* ſucceſſorq; illas vrbes agroſq; repetiit, quòd ſoluta pecunia, ex calculo Flandriæ hypothecā luiſſet, Hutinumq; Regem, Philippi filium, in ſe prouocauit, inter Lilam & Curtracum metantem caſtra. Vnde tamē trepidè ac periculosè Gallus receſſit, tum ob horrorem cladis priùs acceptæ: tum ob pluuiam decem menſium ferè continuam, circiter Maij Calēdas cœptam: per quam equi in luto aſſiduo tenaciq́ue hæreſcebant, & commeatus difficillimè aduehebantur: Flandris trepidi exercitus & retrouertentis tentoria, multaſq; ſarcinas precioſas occupātibus: & ſubinde vſque ad Margaritam tertiā, Audaci nuptam, Anglorum cauſam contra Gallos, vel aduerſa Principum ſuorum voluntate, ſuſtinentibus. Verùm *Philippus Bonus*, quum Ioanni patri perfidia iuſſuque Caroli Delphini Viennenſis, in ponte Monſtrolij trucidato, incūberet vlciſcendo; militiæ tyrocinium depoſuit, Gallis ad S. Valerici oppidum Vimiacenſe, egregio & periculoſo prælio ſuperatis: vnde, baltheo equeſtri per Ioannem Luxemburgium Lignyum ritè inſignitus fuit, ſpectante exercitu, & virtuti perſpectæ applaudente, atque Galliam per ſedecim annos coniecit in tantā vaſtationem, vt Somona tenus, à Ligeri Sequanaq; omnes agri inculti, ſpiniſq; obſiti, diutiſſimè permanſerint: Gallia cædibus inundauerit: Henricus quintus Angliæ Rex, Caroli ſexti regis filiam duxerit, addicto in dotem Gall. regno, Delphino abdicato: eoq; ex coniugio natus filius Henri-

cus

cus ſextus ſummo cum applauſu Galliæ Rex Pariſiis vngeretur, Monſtrolium patri fatale, Anglorum ope captum ſit: & Carolus belli cauſa (quem aduerſarij Regem Biturigum, quia Auarici Biturigum ſe continebat, per ludibrium vocitabant) opibus tam attritis, extremaq; fortuna ſtaret, vt pacem Atrebati maximis cum iacturis, iiſque pactis (quorum priùs meminimus) ſupplex impetrauerit. In illius filium Ludouicum vndec. *Carolus Philippo Bono* genitus, non mediocre bellũ geſſit, inita cum fratre Regis, & Britanniæ, Lotharingiæ, Borbonij, Nemouſi, Armeniaci, Alebreti, Duneſiiq; Principibus conſpiratione aduerſus Ludouici peruicaciam, paternos amicos, officiarios, inſtituta remouentis, proceres contemnentis, obſcuros euehentis, & omnia in regno ſua ſolius eſſe iudicantis, eoque ſe modo Galliæ Reges ex ephebis emittere iactitãtis. Quo in bello Caroli virtus enituit: nam omnium fœderatorũ primus exercitũ patris auſpiciis coëgit, eduxitq;: Pontes D. Clodoaldi & Maxentij in deditionem accepit, & ad Montlhericum quum ſocij nõdum adeſſent, regem fortiter pugnantem, anno 1465. ſuperauit; quod ille magnis itineribus laſſum militem in prælium ſubitò adduxiſſet, & ab auunculo equitibuſq; octingentis deſereretur. Rex Corbeilam ſeceſſit, Carolus pugnæ locum obtinuit, ibique pauxillum comedit in ſubſellio ſtramineo, amotiſq; priùs à mẽſæ loco quatuor aut quinque cæſorum cadaueribus Vallum caſtrorum ſtipitibus acutis, alteque impactis; curruum & bombardarum multitudine cõtra irruptiones equeſtres peritè obſepſerat (quod nõ parui momẽti fuit) tamq; intrepidè pugnauit, vt in perſequendis hoſtibus pectus geſo percuteretur, & ab hoſte apprehenderetur, & iam abduceretur, niſi Couterellus Bruxellenſis, pòſt equeſtri, & Vicariatus feudaliũ apud Braban-

bantos beneficiorum dignitate remuneratus,& Cadetus Pariſienſis ferocibus equis, dextriſq; intercurrentes ſubueniſſent,ceteris ſuccenturiantibus;in collo denique circa iugulum vulneratus ſit, quum fortè laxiori nodo focale excidiſſet, & plures pedites amiſerit. Bellum tamen illud in quo primũ vſus eſt opera Campobaſſi Neapolitani,& quingentorum Heluetiorum,militię in Francia iampridem non perſpectæ,terminauit tranſactione ad Sequanæ Marnæque confluentes,quam priùs expoſuimus, vtili atque honorifica. Ceterùm,quum inter vtrumque ſimultates ſæpiſſimè recrudeſcerent, Carolus hoſtẽ iuxta Atrebatum in ſpacioſa planicie(quem Honoris campum vocabat)ad prælium fruſtra prouocauit cũctatorem: Bauacum fruſtra obſedit, quum portam Pariſios ducentem,tempeſtiuè ſuo equitatu nõ obſepiſſet. Quo tempore ceu edicto publicauit, Carolum Guiennæ Ducem ſubmiſſis à fratre Ludouico Rege veneficis, fuiſſe excruciatum extinctumq;:promulgatis nominibus & confeſſionibus reorum,eorumq; Burdigalæ ſenatorum,qui examini præfuerant. Vix denique vlla æſtas abſque bello,aut belli metu (optimo interdũ fœderum cuſtode)elabebatur:donec circiter Id. Septemb. anno 1475. quindecim menſibus antequam Carolus occubuit, nouennales inducias pepigerunt, pro ſeſe ipſis, hæredibus, ditionibus,populiſq;: quibus inter cetera cautum fuit, Mercatura vtrobique libera eſto : Sanpaulinus Coneſtabilis pœnas dato: Renatus Dux Lotharingiæ nulla Regis ope defendatur: Induciarũ vis integra maneto, etiamſi quid in eas peccetur : Infractio ſoli auctori noxæ eſto. Hiſce induciis perfugæ (in iiſq; Philippus Cominæus) excluduntor. Verùm eas Ludouicus cupiditati vltioniq́ue pronus,à Caroli morte ſtatim infregit, & *Mariæ* Caroli filiæ hærediq; Burgundię Ducatum (quæque Atre-

Atrebatenſi, Conflanſia, Peronenſi, tranſactionibus, Mariæ patri auoq́ue acceſſerant) vi doliſq; erpuit, atque detinuit: Principe Orengiæ, ex domo Chalonia, præcipuis Ducatus Burgundiæ vrbibus proceribuſque regias partes perſuadente: quòd in lite familiæ herciſcundæ inter eum patruumq́ue, exiſtimaret Carolum Ducem in aduerſarium magis inclinaſſe: quòd Mariæ eius filiæ damno vlciſci, ſuoq; commodo, in quo deceptus fuit, nitebatur. Quas iacturas *Mariæ* vir Maximilianus nunquam potuit reſarcire; licet nobilem victoriam adeptus anno 1479. ad Guinegatam montem, ac Vieuillam, inter Teruanam Ariamq;: vbi ſuos, ob amiſſas à tergo ſarcinas, & quorundam procerum conſternationem perturbatos, arrepta in manus framea, conſpicuuſque in prima peditum acie, ſic erexit: Verba, milites, neque timidis animum, neque validis robur addunt, neque huius temporis ſunt aut neceſſitatis. Maturè facto opus. Ego hac dextra vobiſcum miles ero, Dux exemplo. Venite ergo, ſequimini me præeuntem, ac imitamini: Statimq; in genua procidens, terram cruce ſignauit, & oſculatus eſt, breueſq; ad Deum preces eiaculatus: quod vbi ceteri feciſſent, in hoſtem cum peditatu fortiſſimè inuectus, primò ambigua machinis bellicis nunc amiſſis, nunc recuperatis, mox certa victoria, illum cecîdit loco pugnæ obtento, atque profligauit; Gallorum duce Eſquerdio, effrontis, in domum Burgundicam, cui ſeipſum debebat, ingratitudinis notâ pœnamq; ſubeunte, turpi fuga: Flandris verò, quibus præerant Romontij Naſſauiiq; Comites, egregiam illic laudem conſecutis. Pòſt, ſubinde Anglis coniunctus, eorum opibus Teruanam Turnacumq; Gallis eripuit, multaq; alia bella ſuo marte in illos geſſit; à quibus etiam priuatim contumelias intolerabiles acceperat. Porrò ingentem gloriam

eius

eius nepos Carolus, & pronepos Philippus aduerſus Gallos ſunt conſecuti. Ille etenim bellum excepit à Papa Leone decimo perſuaſus, & odij belliq́ue cauſam nactus, quòd Franciſcus primus Galliæ Rex Carolum in imperio Germanico ſibi prælatū indignabundus, Robertum Marchianum Sedanium contra Aymeriæ dominum, Hannoniæq́ue præfectum, de arce Hiergæ contendentem, fineſq; Luxemburgios infeſtantem pecunia, militibusq́ue adiuuiſſet: quod Henricum Albretum ad repetendam Nauarram, exercitu inſtruxiſſet, atque Mediolanum, ditiſſimam Imperij ditionem occuparet. Demum Regem illum belli gloria florentiſſimum, ac ad Sandonatum tertio à Mediolano lapide de Heluetiis nobilem victoriam adeptum, auſpiciis ſuis, dieq́ue natalitio in acie ſuperauit, inter Papiam, prætoriumq; Mirabellum, atque cepit fortiſſimè dimicantem; quem validæ arci Pizigetonis incluſum, ſumma reuerentia, Alarconiſq; Hiſpani cuſtodiæ attributum, Lanoyus poſtea Madrilium (quod Mantuam in Carpentanis olim fuiſſe aiunt) volentē & ſuadentem tranſuexit. Ex Cæſareanis vix ſeptingenti occubuere, nulluſq́ue ex copiarum ducibus, præter Ferdinandum Caſtriotam Neapolitanum S. Angeli Marchionem Albaniæ regulis oriundum. Venerunt cum Franciſco in Cæſaris poteſtatē, Henricus Albretus Nauarreus (qui pòſt ex cuſtodia per feneſtram funibus feliciter elapſus eſt) Franciſcus Borbonius, Sanpauli Comes: Ioannes Montferratius, Thomas Foixæus Leſcunus regni Marſchalcus moribūdus; atque Annas Montmorancius, Philippus Brionus, Antonius Rochefocautius, Bonneuallius, Lorgius Sammarſallus Monpenſacus, Galeacius & Bernabous Vicecomites; Fridericus Mantuanus, Bozolus, aliiq; plurimi nobilitate, rebuſq; geſtis illuſtres: Oppetierunt hoſtiū ſupra

octo

octo milia: Suffolciæ Dux regiæ in Anglia ſtirpis: Gouſierus Boniuetus, Halmyralus, regiſq; in exercitu legatus: Palicius Marſchalcus, Galeacius Sanſeuerinus, magnus regis ſcutifer: Buſſij Chaumötius, Amboſiuſq;: Iuſtus Turnonius, Petrus Rohanus, Franciſcus Beaumontius, Ludouicus Tremolius, Hector Borbonius, multiq; Galliæ proceres, & tribuni militares præclari. Memorabilem ibi Cæſari operam dederunt duo Caroli, alter Borbonius, alter Lanoyus: Ferdinandus, Alphonſuſque, Piſcariæ & Vaſtij, ex gente Dauala, Marchiones: Georgius Fronsbergus, Baro Germanus: & Antonius Leua, Ticini à Rege obſeſſus, compluresque alij proceres laudati. Illam tempeſtatem pax Madrilia & Cameracena ſopierût, poſtea ſæpe reuireſcentem; donec anno 1544. pacem ſanxerunt: qua matrimonium ſtipulati ſunt cis annum perficiendum, inter Franciſci filium Carolum Aureliani Ducē, & vel Cęſaris, vel Regis Ferdinandi filiam, ex Cæſaris optione: in dotem prioris promiſſo Belgio Burgundiæq; Comitatu, à morte Cæſaris: viciſſimq; addicta per Gallos, poſt initum illud coniugium, Caroli Sabaudi in omnes ſuas ditiones reſtitutione: cum altera aſſignato Principatu Mediolanenſi; quas nuptias mors Aurelianenſis peſte (vt ſcribit Ferronus regius Burdigalæ Conſiliarius) abſumpti, inopinata anteuertit, ſed alias illius pacis conditiones non euertit: quibus in primis Pacificatio Camęracena confirmabatur, hæc præcipua capita complexa: Vt omnia ſupremi, & quæcunque alia imperij iura in Flandros, Arteſios, Tornacenſes, Neapolitanos, Mediolanenſes, Aſtenſes, Genuenſes, à ſe Rex abdicet, Cæſarique tranſcribat: Henrico Alebreto Nauarram repetenti non opituletur. Caroli Borbonij proſcriptionem, confiſcationemq; aboleat, eius hæredibus, Aurengioque Principi bona reſtituat. Eleo-

noram

noram Cæſaris ſororem in vxorẽ ducat; Vicies centena aureorum milia perſoluito: Pactorum Madrilienſium obſides, Franciſcum & Henricum filios, à Cæſare recipito. Verùm Franciſci filius ſucceſſorque Henricus bellum renouauit: prætexta ſuſceptaque Saxoniæ Heſſiæque Principum penes Cæſarem captiuorum, Germaniæque liberatione, neque inducias deinceps à ſeipſo pactas, firmiùs ſeruauit, Duacum per Colygnium Halmyralum inſidioſè intercipere conatus. Vnde Philippus, Caroli Maximi filius, belli materiam acquiſiuit, hoſtemque vehementer perculit, copiis eius ad Quintinopolim anno 1557. acie ſuperatis: vbi Borbonius Dux Enghianus occubuit, & Coneſtabilis Dux Montmorancius, cũ filio Mombruno, Monpenſerij, Rochæ Suryonnæ, Longeuillæ, Santandreę, Ringrauiuſque Principe, cũ Vicecomite Tourainæ pugna victi, ipſaque Quintinopolis, & præfectus eius Colygnius Halmyralus, cum Dandelotio, Iarnaco in Philippi victoris venere poteſtatem, aliique proceres famigerati. Neque tamen modicam laudem & incrementum Rex Henricus ſibi peperit, Mediomatricum Meti, & Caliſio nobiliſſimis, & apprimè opportunis vrbibus ſubactis atq; conſeruatis. Philippus verò alterum poſt annũ Thermo Franciæ Marſchalco, Henrici copiarum legato, per Lamorallum Egmondanum, Gauerę Principem felici conflictu cis Agnionam ad Greuelingam disiecto, ſpoliato, capto, cum Villebono, Senarpontio, Hanebaldo, Moruillero, aliiſque magnatibus, & fortuna augeſcente, pacem anno 1559. in arce Cambreſiſa initam, hoſti expreſſit: qua nihil Belgio vtilius euenire potuit aut honorificentius. Per quam & pręcedentes paternæque tranſactiones ratæ habebãtur: & Emanuel Philibertus, Sabaudiæ Pedemontioque (vnde viginti quatuor per annos excluſus fuerat) reſtitue-

ſtituebatur. Ipſe Henrici Regis ſororem, Philippus Rex filiam in matrimonium aſſumpſerunt. At Henricus in nuptialibus illis equeſtris certaminis ludis, orgiiſque, indignè ac præmaturè Pariſiis oppetiit, fractæ lanceæ parte in cerebri ſedem adacta, per alterius oculi cauitatem.

BELLVM GERMANICVM.

GERMANICA origo, linguæ morumque non magna diſſimilitudo, Flandros Germanis in mutua beneuolẽtia & pace iampridem con unxerat: Otho primus Cæſar, ab Arnulpho Magno rogatus, ſocia arma attulerat, ad Regem Galliæ Ludouicum tranſmarinum, cuius ſoror Othoni enupſerat, ex cuſtodia liberandum, & Rothomagum obſidendum. Sed caſus amicitiã diremit, quam diuturnitas ſtabilierat. Euenit enim, vt Cæſar nepotem in ea obſidione amitteret, eiuſq; necem Arnulpho imputaret, tam ſuſpicioſè odioſeque, vt de eo aut necãdo, aut capiendo cogitaret. At cùm Arnulphus Cæſaris iracundia intellecta, domum feſtinus rediiſſet, illum Otho ſtatim inſequens, magnis in Flandria damnis incendiiſq; graſſatus eſt, arcemq; validam contra Gandenſes, inter Scaldim Lizamq; tunc ſolummodo incolentes, oppoſuit; muniitque præſidio numeroſo, ad annum *949.* tanto illorũ detrimento, vt Arnulphus delere eam ſæpe fruſtrà tentauerit. *Balduinus* dein *Pulcrobarbus* contra Henricum ſecũdum Imperatorem, Eynhamam, caſtellum Brachantum (quod Brakelam quidam eſſe volunt) & Valincenas occupauit, obſeſſuſque, has defendit fortunatè: belli occaſionem nactus, propter ſorores Othonis Lotharingiæ Ducis, qui Caroli Magni vltima progenies virilis fuit; quas ille Cæſar paterna hæredita-

 redita-

reditate propter ſexum exuerat, Gotifredo Arduennæ Comite Lotharingia donato: cui, licet patruo, Arnulphus propterea aduerſabatur. Verùm Cæſar irritatus, Gandauum obſedit, oppugnauitque, fruſtrà tamen, direptionibus agros, flammis villas fœdauit, multiſque cum illuſtribus captiuis in Germaniam rediit. Quos Flander, Aquiſgranum ad eum profectus, recuperauit, tantamq; à Cæſare beneuolētiam impetrauit vt Valincenas, Zelandiæq; inſulas in patrocinio Imperij poſſidendas, ab eo acceperit. Cuius filius *Lilanus* Gotfridum Gotelonis filium, Lotharingiæ Principem, propinquum ſuum contra Henricum tertium Imperatorem, belligerantem, propter ademptam Lotharingiam Moſellanicā, fortiter adiuuit: Cæſarem, Lotharingiæ maxima parte eiecit: palatiumque eius Neomagi cum agris finitimis proterue incendit: regionem Scaldi, Dendræque fluminibus interiacentem (iam Aloſtana dicitur) illi ereptam, Flandriæ adiecit: Arcem Othonianam Gandenſibus aduerſam, ad annum 1046. domuit, cepit, retinuitque: deinde eundem Imperatorem, in Flandriam ab Occidente irrupturum, effoſſo aggere longiſſimo, qui adhuc nouus appellatur, anno 1053. propulſauit: pactis demum, obſidibuſque traditis, octenne bellum finiuit, parta conſeruauit. Patrem *Robertus Friſius* imitatus, renatis ſimultatibus, Henrico quarto Cæſari Cameracum abſtulit, retinuitq;, hyemis & pacis interuentu. Poſtremò *Carolus Bellicoſus* oblatum efflagitatumque patrocinium ſuſcepit Roberti neceſſarij (ex Bauariæ Hannoniæque Principibus) Colonienſis Archiepiſcopi, legitimè electi, à Papa confirmati, & à Cæſare regalia conſecuti; ſed à ſubditis diſſidentis, quòd loca illis pridem oppignorata, vi occupare quàm ære luere mallet. Itaque Hermanum ex Heſſiæ Lanſgrauiis, aduerſarium eius, & com-

competitorem, Nuſiæ obſedit, quæ vrbs in ditione Colonienſi tutelæ & aduocatiæ, vt vocant, nomine, Imperio obnoxia erat: Neque ab obſidione dimoueri potuit, aut Chriſtierni primi Danię, Norwegię, Sueciæq́; Regis, Roma domum redeuntis, laborioſa interceſſione, aut Friderici tertij Imperatoris legatis, copiiſq́ue, hominum circiter octoginta milium, inſtructiſſimis: vbi, præter multos Epiſcopos potentes, armatoſq́; & quinquaginta Comites eminebāt duo Alberti, alter Saxoniæ Dux, alter Brandeburgi Marchio: ille Dextra manus Imperij, hic Achilles Germanicus appellati. Tandem, quum Cæſarem aliquoties ex caſtris ad prœlij aleam fruſtra prouocaſſet, in eius vallum carrucis ſeptū tormenta emiſiſſet, erumpētes Principum validas cohortes fortiter reieciſſet, multos in fugam Rhenumq́ue impuliſſet, ac ferè annum illi oppido aſſediſſet, & ſubinde oppugnaſſet, interuentu Alexandri Foroliuienſis Epiſcopi, legati Romani, pax conuenit ad annum 1475. qua Roberti & Colonienſium Heſſiq́ue, hoſtium eius, controuerſia intra annum componenda, ipſumq́ue Nuſiæ oppidū (quod Ptolomæus Noueſium, alij Niuiſium olim dictum putant) Pontifici Romano, ceu arbitro, ſequeſtroq́; committebantur. Nuſiam verò in tantas anguſtias coëgerat, vt decem dies (quod pòſt cognitum eſt) non fuerit tolerandæ obſidioni, in ſumma pulueris tormentarij inopia, & extrema fame, carnibus equinis, ſine ſale, lacte, medicamentis ſuſtentata. Colonienſibus, ſuæ vrbi timentibus, circiter viginti milia quibus Guilielmus Arēbergij regulus præerat, armantibus, & ad quartum vſque miliare, omnia in circuitu monaſteria, caſtella, & ædificia, ne ex hoſtiū vſu eſſent complanantibus: Carolo poſt pacificationem caſtra non mouente antequam Cæſar retrocederet, ne coactus id feciſſe videretur. Ex ea tamen

expeditione, plus confidentiæ, impenſæ, inuidiæ, ac in poſterum infortunij, quàm fructus acquiſiuit, prę-terquam quòd Mariam vnicam prolem hæredemq; Maximiliano, Cæſaris filio vnico (caſtra paterna tũc non ſecuto) iterũ addixit, tabulis ſigillatis: qui poſtea Cæſar fuit, nepotibuſq; ad Imperij culmen viã aperuit, effecitq; vt primæuę ſtirpis memoriam, & amicitiæ fœdera cum Germanis Belgica renouauerit.

BELLVM ANGLICVM.

INTER Anglos Flandroſque diu beneuolentia & concordia coaluere, tum propter cõmercia, tum propter limites breui maris traiectu ſeiunctos: nã vt Greuelinga, Mardica, Dũkerca, Nieuportus, ceteræq; vrbes mari Britannico aſſidentes prætereantur, Caliſiũ (in quo Iccius portus ſpirat, quẽ alij Wiſanti ponũt, & in archiuis Bertinianis, nunc Scalæ, nunc Petreſſa vocatur) Angliæ fronti, ſeptem cum dimidiato miliarium interuallo oppoſitum, ad Flandros antiquitus pertinebat, abſque præſidio, mœnibus, magna fama, pars Guineſiæ terræ, quam à maioribus poſſeſſam, Arnulphus ſecundus Flandriæ dominus titulo Comitatus inſigniuit, Adulphoq; amitino in beneficium & clientelam anno *966*. attribuit. Verùm *Balduinus Lilanus* illam amicitiã, certè quietem, labefactauit: quum Gulielmum Nothum, Normaniæ Ducem, generum ſuum ex teſtamento Eduardi primi Anglię Regis, inſtitutum hæredem, in regni poſſeſſionem, anno 1066. induxit, exercitu in Angliam contra Haraldum deportato, atque tam acriter bellum gerente, vt hoſtibus ſuperatis, Haraldo in acie cæſo, Gulielmum in regio ſolio conſtituerit, atque ſtabilierit; ita cum eo antea pactus (quemadmodũ priùs dictum)

vt

vt Gulielmus, omneſq; poſt eum Angliæ Reges, trecentas argenti ſemilibras Flandriæ Comitibus annuatim perpetuoq; dependerent: quod tributum (ſiue penſionem vocare malis) nunquam Lilano eiuſq; filio perſoluere abnuerunt. At Henrico Regi, eius nominis primo, illud vectigal pendere deneganti, quòd illud non eſſe ex dignitate regni Anglici cauillaretur, *Robertus Solymus & Balduinus eius filius* Gallis iuncti, bellum in Normania intulere; ſed vtrique proſperæ initio illæ expeditiones, in fine pernicioſæ fuerunt & letales. At *Ludouici Malani* tempeſtate, quum Vrbanus & Clemens de Pontificatu Maximo contendentes, Orbem diſſidiis impleuiſſent, & Gallis Clementi Auenione agenti, adhærentibus; Angli Vrbano addicti, aduerſam partem bello infeſtare niterentur, duce Henrico Spenſerio, Epiſcopo Noruicenſi, in Flandriam appulere, Vrbano obſequentem; ſed prædę cupiditate (Flandriã enim terræ lacte melleq; ue fluenti, ac Hebræis promiſſæ aſſimilabant) & Gandenſium Malano repugnantium conſiliis incitati, Flandriam Occiduam ſibi proximam anno 1383. inuaſerunt, bello non indicto, & ad Gallos Clementinos oppugnandos ſolummodo emiſſi; ſed huic violentiæ prætexentes Malani in aliquot Anglos Brugæ negociantes rigorem: quòd quorundam, hoſtibus ſuis apertę fauentiũ, bona fiſco addixerat, alios Flandria eiecerat: quòd à Galliæ Rege Clementino penderet: quòd Barenſis Princeps, cuius erant Caſletana ditio cum Dunkerca, Greuelinga, Burburgo; Clementis partes ſequeretur. Itaque illa oppida præſidiis vacua occupantes, plebem ruſticam magno animo, paruo conſilio, nullo duce, nullo ordine, velut remiges abſque gubernatore, corpus ſine ſpiritu, nullo equitatu inuectam, ad ſex hominum milia, non procul Greuelingam proſtrauerunt, adirati ob feciale

lem à veſano vulgo circumcluſum, inauditũ, ſubitoque trucidatum, Britanniæ Ducis Ludouico ſtudentis Heraldum (qualium caduceatorum liberrimè loquẽtium vel amictum violare nefas eſt) quem ſe emiſiſſe dicebãt, vt ſciſcitaretur an in Vrbani obedientia, fœdereque ineundo, Anglis Flandri aſſentiri vellent. Drinchamum caſtellum triduo oppugnarunt, obtentumque, præſidio firmarunt, Caſletum expugnarunt, Bergam ciuium pertimeſcentium deditione adepti ſunt: Nieuportum incendiis funditus deleuerunt: quod ab illius ciuibus, Principi ſuo fauentibus, fuiſſent Anglorum non pauci inopinatò interfecti: Yprám (Gandenſibus ſemper iuncti) per nouem hebdomadas obſederunt, & oppugnationibus ab aurora in veſperum continuatis, quodam die aſſilierunt, magnis quidem foſſis; ſed muro ſolùm terreo, ſepibuſque ex ſpinis flexis ſupernè tunc munitam. At Galli in auxilium à Malano vocati, obſidionem ſoluerunt, Angloſque in fugam, & Caliſium, Angliamque terrore ſui aduentus, ingentiumque copiarum repulere: oppidis agriſque Flandriæ Occidentalis, magis quàm Angli exitiales: Bergam enim ab Anglis deditam, neque ætati, neque ſexui, neque pudori, neque ſacris parcentes, incenderunt. At Anglos mare infeſtum ſæpiùs reddentes, littoribus inſidiantes, non ſemel Flandri reiecere; ſed anno 1386. claſſis Flandrica rediens Rochella, ingens inter Blancobergam Sluuſamque, detrimentum accepit: nouem vaſorum vini milibus, inter alia damna, ſpoliata; captoque Ioanne Buycko Archithalaſſo Flandriæ fortiſſimo: pro cuius redemptione, *Philippus Audax*, Malani ſucceſſor, obtulit fratrem nothum Regis Luſitaniæ, à Bierflietanis in mari interceptum, quum Angliam cogitans, Middelburgum Zelandiæ nauigaret. Demum *Ioannem Digeonium*, Cali-

Caliſium magno apparatu obſeſſurũ, vt regno Galliæ, ditionumq́ue ſuarum ſecuritati gratificaretur, factiones Ludouici Aureliani auocarunt. Eiuſq́ue filium *Philippum* eidem vrbi aſſidentem (ceu membro Comitatus Guineſij, in ipſum tranſlati per pacem Atrebatenſem) à voto abſtraxerunt ſeditiones caſtrenſes per Gandenſes excitatæ, quia centum & viginti ex ſuis, in defendendo quodam caſtrorum propugnaculo perdidiſſent, neque Caliſium à maritima Hollandorum Zelandorumq́ue claſſe, vt conuenerat, clauderetur: quamuis Flandricus exercitus integrè armatus triginta pugnatorum milia expleret, & Philippus Hymbertum Glóceſtriæ Ducem ad duellum, ob Iacobę Bauaræ nuptias, verborumq́; iniurias prouocatum, indies expectaret. Quo exemplo, patriſq́; ſui ipſe ędoctus, ac eius ſucceſſores non temerè populum Flandriæ armatũ euocarunt: quod is vires ſuas circumſpiciens ferocienſq́ue, pronius arma indueret iuſſu Principum, quàm deponeret. Caliſium verò Gallis extortum fuerat per Anglos, anno 1346. integri ferè anni obſidione, deducta eò Colonia Anglicana; neque ante annum 1558. ad Gallos rediit: quod vulgo Latinorum Caletum dicitur: quamuis Ptolomæus Caletos ad Sequanam ponat, oppidum eorum vocans Iuliobonam, nos Honnefleuram. Factionibus tandem Anglorum domeſticis Caroli Bellicoſi cum Eboracenſibus affinitate, bellisq́ue inter Gallos Angloſq́; aſſopitis, effectum eſt, vt Flandria in mutua & frequentiora cum Anglis commercia atq́, fœdera, diſſenſionem cõmutauerit.

BELLVM HANNONICVM.

NON minùs eſt mirum quàm antiquum, regionum, & populorum viciniam non eſſe amicitiæ perpetuãdę, ſi obſtet ambitio Principum, aut ſimultas, ſæpiſſimè affectus ſuos, populi commodis & quieti antehabentium. *Arnulphus ſecundus* Flandriæ regulus Hannonia eiecit anno 975. Reynerium, Lambertumque, Reynerij Montium (hoc eſt, Hannonię, quam alij ab Heyna fluuio, Haynoniam vocant) Comitis filios: qui Garnerum, Reynoldumque aduerſarios, pugna ad Peronam victos, occiderant; Montium vrbem, regionis caput, vi captam, in ea obſeſſus ſtrenuò defendit, vt Gotfrido, Arduennæ Comiti vitrico ſuo gratificaretur. Sed neque iniqui belli gloria, neque alienæ terræ poſſeſſio diuturna fuit. Illi namque Hugonis Capeti, & Caroli Lotharingiæ Ducis ſocerorum potentia, ditionem paternam recuperarunt, & Lambertus Louanienſem Principatum adeptus eſt. Poſtmodo *Balduinus Lilanus*, vt Henrico Cæſari inimico egrè faceret, & Richildem Hannoniæ Principem, filio per nuptias coniungeret, anno 1051. Hannoniam bello ſubdidit. Liberi verò ex hoc matrimonio educti, eorumque poſteri contra Robertum Friſium patruum, eiuſque filiũ & nepotes, ſimultates & bella geſſere irrequieta, vt Flandriam ab iis ſibi aſſererent: donec *Balduinus quartus* Hannoniæ Namurciique regulus, *Philippo primo* Flandrię Comiti vxoris fratri, à quo propter fœdus Gallicum magnas iacturas acceperat, ſine liberis extincto, ſucceſſit, & vtramque ditionem iterum vniuit. Verùm illius ex filio neptis *Margaritæ Conſtantinopolitanæ* liberi, *Aueni* quidem Hannoniæ, *Dampierri* Flandriæ Principes deſignati, mutuis odiis belliſque longiſſimè ſæuierunt (vti inimicitiæ inter

inter neceſſarios ſunt acerbiores, quòd Auenij priori coniugio, ſed à Papa reſciſſo, nati, arbitrium familiæ herciſcundæ (quod ſibi delatum Galliæ Rex tulerat, vt nimirum Hannoniæ poſt matrem imperarent, Dampierris Flandri obedirent) repudiaſſent: & nunc Aloſtanã, totamq; Imperialem Flandriã repetentes, cum Caſtellania, Gauenaque Cameracenſi (quod arbitrio Galliæ Regis non ſubiacerent) nunc Leſſenam, Flobecamque in collimitiis litigioſis poſitas, vindicantes, nunc Gallorum fœdere impulſuque incitati, ſæpe diſcordias renouarunt. Reſtiterunt autem fratribus vterinis, damnatos à Papa natales obiicientibus, partim aſſerta Pontificij illius decreti reuocatione, coniugiique paterni confirmatione: partim (etiamſi minùs legitimè, ſecundùm Papales conſtitutiones geniti eſſent) obiecta antiquiſſima Flandriæ conſuetudine, qua nemo priuatur ob iniuſtos natales, materna hæreditate. Quæ licet Aueniis, propter alias cauſas non profuerit, præſertim quia matris fauore excidiſſent, & in Galliæ regem compromiſiſſent, minimè tamen venit in deſuetudinem. Illa verò diſſidia & concertationes per alias occaſiones, & Hollandiæ Zelandiæque ad Hannoniam acceſſionem, amplificatæ; demum, partim tranſactionibus, partim vtraque ditione in *Philippi Boni* poteſtatem confluentibus, extinctæ à bello temperarunt.

BELLVM HOLLANDICVM, ZELANDICVMQVE.

QVINQVE Zelandiæ Mattiacorum inſulæ, *Walchra*, *Schouwa*, *Zuutbeuera*, *Noortbeuera*, *Borſela*, ab Henrico ſecundo Cæſare, Balduino Pulcrobarbo, *Flandro*, ad annum 1007. attributæ, quibus etiam eius filius *Lilanus*, per Henricum quartum Cæſarem, Coloniæ, anno 1057. inauguratus fuit, longiſſimi belli cauſam Hollandis, clariſſimæ fortiſſimorum Batauorum ſoboli, præbuerunt: ius antiquius in illas vendicātibus, ex Ludouici ſecundi Cæſaris donatione. Hanc controuerſiam vehemēter auxit Florentius tertius Hollādiæ Comes, ob vectigal teloniumq; Gheerſvlieti, à Friderico primo Cæſare impetratum: quo mercatoribus Flandris illac nauigantibus, ingentes remoras, damnoſaſq; moleſtias exhibebat. Orto hinc bello prælioque, Florentius quum egregiè pugnaſſet, & vulneratus circumuentuſque vndique eſſet, *Philippo Alſatio* ad annum 1165. ſeſe dedidit, claſſe profligata: fuitq; Brugæ in Præpoſituræ Donatianæ ædibus ciuiliter cuſtoditus, vulneribus cum diligentia & fide perſanatis: Cliuię, Geldriæ, Bergæq; Comitibus, eius auxiliaribus effugio ſeruatis: donec liberatus eſt intra biennium, hac tranſactione, vt emolumenta redituſque litigioſarum inſularum vtrique Comiti æqualiter accederēt: neutri munitiones ibi extruere liceret: Vt Flandrici negociatores tota in Hollandia vectigalium immunes eſſent, neque ſub vmbra æris alieni, nauigatio, iterq; eorum impediri, ſiſtiq; poſſet, ſe poſtulata non debere deierantium: Huic conuentioni Florentius ne contraueniat, alioquin quicquid in Flandriæ clientela poſſidebat, commiſſurus. Vnde poſtea Florentio dimiſſo, pacemque contemnenti, quic-

quicquid iuris in inſulas controuerſas, Waſiamq; habebat, Philippus ademit; & hanc quidem perpetuò, Flandriæ annexuit. Gulielmus verò ſecũdus, in Hollandia Germaniaq; rerum potitus, Flandris infeſtus, noxiuſq; inprimis fuit. Ioannis Auenij, cui ſororem nuptum dederat, matri rebellantis occaſione vſus. Quo bello Flandri inferiores, & in Walchra ad Weſtcapellam inſidiis excepti, magna clade, numeroque, ad annũm 1253. oppetierunt: *Margarita Conſtantinopolitana* filiis, Guydo & Ioanne Dampierris, Auenij fratribus vterinis, cum Barenſi & Guineſio Comitibus, ducentiſq; ſupra triginta equeſtris ordinis viris ſtrenuis, in hoſtium poteſtatem incidentibus, totaq; claſſe cum inſtrumento amiſſa, & Gulielmo Valincenas, Imperij vrbem, Hannoniæ vnitam, occupante, tamque aſpero, vt neque precibus promiſſiſque Margaritæ, matris captiuorum Dampierrorum, neq; D. Ludouici Regis, eam ob cauſam Gandauum venientis, interceſſione ad vllas pacis æquas conditiones flecteretur. Sed illo in Friſia, poſt biennium cæſo, & Ioanne Auenio ex ea morte, auxiliis deſtituto, mæſtitiaq; extincto (vt rarò longæui ſunt qui parentes affligũt) tranſactum fuit cum Florentio fratre Gulielmi, & ex hoc nati Florentij tutore, vt captiuis grandi ære dimiſſis, & Flandrorũ in Hollandia negociantium immunitate confirmata, Flórentius Gulielmi filius Beatricem Guydi ante captiui filiam duceret, inſulis Zelandię in dotem addictis, ſub Flandriæ clientela: qua ex formula, illarum ſeſe Comitem primus ille inſcripſit. Poſtea bella ob eaſdem inſulas redintegrata ſunt per *Guydum Dampierrum*, contra Gulielmum Auenium Hannoniæ Hollandiæq; dominum, amitæ Florentiæ nepotem: quia Ioanne Florentij filio abſque prole extincto, Zelandiam Guydus ſibi adiectam aſſeuerabat, iure ac more maio-

maiorum, eiuſq; prouinciæ: quo, mortui ſine liberis beneficiarij feudum ad ſuperiorem dominũ; à quo, puta, beneficiũ, animam, motumq; accepit; recidebat. Hinc Guydus Richeburgi Comarchus, Guydi patris dono illud ius adeptus, Valachram ſibi ſubdidit: ad Duuelandiam hoſtes vicit, ope Borſalorum Reneſſiiq;, capto Guydo Auenio patruele, Vltraiectino præſule, animoſo bellatore; nobilibus Hoornę, Parſinæ, Harlemæ, Zulanæ, & Beweruedæ familiæ, fortiter cadentibus. Vltraiectum Delphos, Leydam (quod Lugdunum Batauorum fuiſſe exiſtimãt) obtinuit: illorũ obſides Gandauum miſit: Gulielmum (de quo diximus) eodẽ die bis profligauit. At quum Sirixeam, quã Vitus Hamſteda tuebatur, anno 1304. obſideret, ac nauali certamine hoſtes inuaderet, quæ pugna viginti quatuor horas, paucis interuallis, fertur perduraſſe, ingentem cladem accepit à Gulielmo competitore, & Reynerio Grimaldo Genuenſi, celeberrimo, conductæ à Gallis ſedecim triremium Liguſticarum (teſte P. Æmilio) claſſis præfecto: quamuis primo impetu non inferior fuiſſet, quaternis hoſtium turritis maximiſq; nauibus ſuperatis; ſed nocte prælium aliquantiſper dirimente, æſtuq; reciprocante, quum Hollandicæ naues ferreis cathenis colligatæ vnà perſtitiſſent, Flandricæ autem rudentibus nexæ, iiſq; dolo reſciſſis, diſiunctim fluitarent. Guydus tandem victus captuſque fuit, Regiq; Galliæ per Reynerium tranſmiſſus: donec pro Guydo Epiſcopo commutaretur, ac redimeretur: copiæ quæ Sirixeam obſidebant, ducis captiuitate & Zelandorum deſertione circumuentæ, in Hollandorũ poteſtatẽ ad tria vſque hominum milia inciderunt. Tres autem errores Guydo, iuueni gloriæ nimis auido, aſcribuntur, vt res aduerſæ etiam bonis detrectant: quòd inducias Hollandis volentibus non prolongarit, donec bello

Gallico

Gallico patria defungeretur: quòd in munitionibus ante Sirixeam nõ perſtiterit: quòd deſpectis prudentium, præſertim Axelani toparchæ, monitis, noluiſſet, vt receptui caneretur. Hoc bellum *Robertus Bethunius*, Flandria potitus, proſecutus eſt, Ioanne Brabantiæ Duce ſocio, arbitris induciiſq; aliquantiſper controuerſiam ſopientibus, donec tãto Flandrorum impetu recruduit, vt non antè quàm Hollando per Namurceum, Roberti fratrem, pacem impetrante, componeretur hiſce conditionibus: Vt Gulielmus Auenius, Hollandiæ Hannoniæq; Princeps, Zelandiæ inſulas in fide & beneficio Flandriæ Comitum poſſideret, dummodo Guydo Roberti fratri annuos reditus, valori inſularum pares aſſignaret, & viciſſim cuncto in Waſiam iuri renunciaret, iiſq; patriam & bona reſtitueret, qui propter partes Flandricas domo exulabant; vadeſque daret. Sic Gulielmus inermis, cum nobili apparatu in caſtra Roberti progreſſus, flexo altero genu, fidelitatis iuramẽtum hiſce de inſulis anno 1310. præſtitit, amicitiam pacemq; cõſtantem iuratus: quam tamen poſt quinquennium à rege Gallo, Flandros oppugnante, conductus infregit; Flandroſq; terra & mari infeſtauit: donec inter Robertum Galloſq; pax iniretur. Quum verò hæc hydra ſæpe reuiuiſceret, tandẽ per Carolum Pulchrum Galliæ Regem, vnde *Ludouicus Creſſius* Roberti ſucceſſor totus pendebat, Guliemus impetrauit, vt illa fidei & clientelæ ſubiectio ipſi remitteretur, Zelandiamq; liberè poſſideret, ac ſupremo iure. Ipſe, è diuerſo, hæredeſq;, cunctis in Aloſtanos, Waſios, Quatuor Ambacta, Gheersbergam, Caſtellaniam, Gauenamq; Cameracenſem, Creuecuriam, & Laleuam, veteribus Aueniorum actionibus, perpetuũ abſtinerent, omniq; ſeſe iure exuerent. Poſtremò, quum Iacoba Bauara, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæóue

domi

domina, Ioanni quarto Brabantiæ Duci, marito, ſub vmbra nimiſ propinquæ cognationis, propter domeſticas ſimultates repudij nunciũ miſiſſet, ac Hunfrydo Cloceſtriæ Duci, Angliæ Rectori enupſiſſet, *Philippus Bonus* Ioanni patruelis, Iacobæ conſobrinus, Ioannis cauſam ſuſcepit (is eſt qui gymnaſium vniuerſis diſciplinis anno 1426. Louanij inſtituit) Cloceſtriumq́; in gratiam Iacobæ, bellum Hãnoniæ inferẽtem repulit, ab eoq́; periurij inſimulatus (quia iurato Anglico fœderi renunciarat, vt Gallis placarẽtur) ad duellum eum prouocauit, die & loco monomachiæ ad Santomerum cõſtituto, domum interea licitè redeuntem. At Iacoba, Montibus Hannoniæ obſeſſa, ciuium metu impulſuq́; coacta, conuenit, vt Hannonia in Brabantiæ Ducis, ipſa in Philippi cuſtodia eſſet; donec diuortij lis Romæ decideretur. Itaque Gandauum per Orengiæ Principem honorificè deducta, in palatina aula poſternia colebatur, donec animo immutato, ſumptoque virili habitu, ope Theoderici Merwedij clientis fidi nobiliſq́; Gandauo Antuerpiam, & in Hollandiam clàm effugit. At Philippus accepta à Brabanto, Hollandiæ, Zelandię, Hannoniæque procuratione, è veſtigio inſecutus, in tota ferè Hollandia liberaliter exceptus fuit: quumq́; renaſcentibus Hollandię factionibus, *Houcis*, quibus proceres Brederodij cum Waſſenariis; & *Cabeliauis*, quibus Arkelenſes cum Egmondanis prælucebant; ab hamo, & piſcibus aſellis, qui inuncantur denominatis; *Houci*, cum Gouda, Schoonhoua, Alcmaria, ditioneq́; Vltraiectina Iacobæ adhæreſcerent, bellum creuit: Cloceſtrio tria Anglorum milia in Iacobę auxilium ſubmittente: quæ huius feminæ viribus coniuncta, ad Brauwershauum Philippus anno 1425. vicit, ſubuertit magno ſuo periculo, magna ſuorũ fide atque fortitudine: quam partim decora morte obſigna-

ſignarũt,partim incolumes, acquiſito equeſtri ſplendore, exornarunt. In quibus Ioannes Vilainus vaſto robuſtoq; corpore,ac animo nobiliſſimus,incredibilem Anglorum cædem edidit, Principem periculo eripuit, intrepidè dimicantem. Ex hoſtibus Hamſteda,Cruningius,Reneſſius, Hoèpilus,Zoenius, aliiq; egregij equites, & Anglorum Duces, Filwaterus, Arondellus,Preſtonus,Falbaruſq; oppetierunt. Quæ victoria Iacobæ ſpiritus non deiecit: nam & Harlemũ ſtrenuè obſedit (cui Wtkercanus, & Iſenbergius Flandri equites præerant) & filium Wtkercani, patri opem cum octingentis militibus adferẽtem, inſidiis locoq; iniquo ad Alphenum vicum circumuenit, vicit atque fudit: Amersfordiam ſuis præſidiis defendit: in cuius obſidione Philippus apertiſſimo ſe diſcrimini expoſuit: tranſiit enim oppidi foſſam inundantem,& in propugnatores validos atque numeroſos,manu ſua temerè,fruſtraq; decertauit. Verùm Iacoba,Goudæ à Philippo obſidione cincta, ciuiũ perterritorum ſuaſu,ſolidam cum eo pacem anno 1428. iniit,hiſce pactis: Vt Philippum tum ſuum hæredem agnoſcat,abſque prole morientis:tum ſuorum Principatuum præſidem mox conſtituat: tum nulli nubat,niſi ex illius, & præcipuarum vrbium ſuarũ conſilio. Itaque Philippus,Francone Borſalo ad Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæque adminiſtrationem ſubdelegato,qui poſtea Iacobam volentem duxit,duabuſque illis Hollandiæ factionibus, pro virili conſociatis, domum rediit. Ac quum Iacobæ abſque liberis extinctæ,in omnes principatus ſucceſſiſſet,bellorum cauſas è medio ſuſtulit.

BELLVM BRABANTINVM.

QVamvis inter Brabantos, Ambiuaritorum, Taſſandrorum, vltraq; Scaldim Neruiorum antiquiſſimam, amœniſſimi genij ſobolem, atq; Flandriam propinqua ſemper vicinia fuerit, vetereſq; per Principum matrimonia neceſſitudines; tamen aliunde diſſidij, belliq; occaſio ſeſe obtulit. Etenim quum Henricus Namurci regulus, Balduino quarto, Hannoni, Flandriæ domino, ex ſorore maiore nepoti ditionem aſſignaſſet; deinde, Principe Louanienſi inſtigante, acta reſcidiſſet, ac Waleranno Luxemburgio, alterius ſororis filio, regionem tranſſcripſiſſet; orta diſſenſione prælioq; conſerto, victoria ac Namurcum Balduino ceſſit: Henricus Dux Limburgi, ſocer Waleranni in pugna captus eſt cum filio, proceribuſq; equeſtris ordinis viginti duobus ſupra centum, quos omnes Balduinus, pace conciliata, abſque precio dimiſit: plurimi cæſi, multi in fuga Sabi fluuio ſubmerſi ſunt. At Louanienſis, qui non modò Luxemburgio, verumetiam Theoderico Beueræ, Dixmudæque domino, partem Comitatus Aloſtani à Balduino armis expoſcēti ſuppetias attulerat, afflictus fuit, Niuella tenus, magnis incurſionibus: donec anno 1194. res ſuas cum Balduino Halæ compoſuit. *Ferdinandus* quoque & *Thomas, Ioannæ Conſtantinopolitanæ* mariti, ille Henricum primum Louanij Comitem, Bruxellæ obſeſſum compulit ad deſerendas Philippi Gall. Regis ſoceri partes, armorumque ſocietatem ſecum & cum Othone quarto Cæſare coniungendam anno 1213. prædibus acceptis duobus eius filiis Henrico & Gotifredo Gandauiq; aliquamdiu cuſtoditis: quos longo poſt tempore Thomas, Bruxella capta, agriſq; direptis, in Flandriam anno 1243. captiuos duxit: quòd

fœdus

fœdus cum Ferdinando iampridem ictum, ipſorumque vadimonio & promiſſo firmatum, violaſſent. Cuius belli exitum iuxtà atque cauſam noſtri annales nō ſatis apertè expediunt. Veriſimile eſt inter eos, plumbeas iras non fuiſſe, & Thoma facilè placato, illos domum breui repedaſſe. Aſt inter *Ludouicum Creſſium*, & Ioannem tertium Brabantiæ Ducē, hæc belli materia fuit. Ille ab Adulpho Leodij, & Reynoldo Geldriæ Principe (qui tunc id oppidi coniunctim poſſidebant) centum aureorum Turonenſium milibus, Mechliniam, eiuſq; appendices coëmit ad annum 1333. Sed Brabantus interceſſit, &, ne Mechlinia in emptoris verba iuraret, impediuit: quòd diceret eam partem, quam Geldrus vendiderat, ſui beneficij eſſe atque clientelæ: neque abſque conſenſu ſuo poſſe alienari. Hinc bellum exarſit, in quo Geldriæ, Hannoniæ, Hollandiæq;, Gulichij, Namurci, Hornij, & Bellimontis reguli, cum Leodienſibus, Ludouico adfuerunt: Rex Nauarræ, & Bari Dux Brabantum adiuuerunt: agri vaſtati, Aſcha cum cœnobio Affligemi combuſta, aliquot oppidula in Brabantia capta ſunt: E diuerſo, quadam in velitatione, Flandri equites à Barenſi partim cæſi, partim capti commemorantur, & centum quinquaginta Bruxellam ducti. Verùm Philippus Valeſius Gall. Rex, vt Brabantum contra Anglos ſibi conciliaret, ſeſe interpoſuit, bellumq; Comicè finiuit: tribus Brabanti filiabus impuberibus, Hannonio, & Flandri Geldrique filiis teneræ ætatis in matrimonia promiſſis: & Mechlinia Flandro auulſa, ſi huic octoginta ſeptem aureorum regalium milia Brabantus antè numeraſſet. Hanc litem aſſopitam, Creſſij filius *Malanus* ſuſcitauit, poſt Brabanti ſoceri mortem, duabusque de cauſis contra Wencelaum Luxēburgi Principē, ductaq; vxoris Malani ſorore maiore, Brabantiæ Ducē

bellum inſtaurauit. Nam & Mechliniam ſui iuris eſſe contendebat, deditamque occupauit, ob eam, quam dixi, emptionem; quodque Brabantus pactis ſubſecutis non ſtetiſſet: & decem florenorum milia annua, dicta magis in dotem vxoris quàm data, repręſentari voluit, aut aſſignari: quòd Wencelaus renuebat. Hinc bellum exiit, atque prælium: in quo Brabantus non procul Bruxella, ad Scotam arborem (vbi nunc monaſterium Carthuſienſe) dein ad Zantflietum profligatus eſt, multis in priori pugna partim cęſis, partim Zenna fluuio ſubmerſis, partim in paludes ſiluaſq; confugientibus. Bruxella capta, direpta, lociſq; aliquot inflammata; ac Louanium, Thenæ, Niuella, fidelitatem Ludouico iurarũt, ac ſubiectionem: qui totam Brabantiam ferè, aſſumpto Ducis titulo anno 1356. propter vxorem, victoriamq; vſurpauit. Verùm Bruxellani, auctore Euerardo Serclaiſio, Ioannis Epiſcopi Cameracenſis fratre, viro ſtrenuo, deficientes, in poteſtatẽ Wencelai rediere, præſidio Flandrico partim eiecto, partim trucidato. Vbi VVencelaus cum coniuge, Brabantiæq; Ordinibus (vt Flander vxorio ſucceſſionis iure excluderetur) Carolo quarto Cæſari, fratri ſuo, prætexta Luxemburgia cognatione, Brabantiam Limburgumq; cauſa mortis donauerunt, ſi ipſis vita decedentibus, liberi non ſupereſſent. Sed in magnas anguſtias coniecti, & à fratre Auguſto parum adiuti, pacificationem petierunt, atque impetrarunt, arbitrio Gulielmi Bauari, Hannoniæ, Hollandiæq; Principis, vtrimque electi: per quem anno 1357. ita tranſactum, ſancitumq; fuit: Vt Mechlinia Flandro perpetuum cederet, iure paternæ emptionis. Dotis nomine Antuerpiam Maritus cum vxore, eorumq; hæredes poſſiderent: quæ fidelitatis ſacramentum illi ſtatim prętitit. At quum auenæ, ſalis, piſciumq; nundinas ſibi adimi, Mechliniæq;

hiæque attribui obmurmuraret, coacta eſt, traditis ducentis quinquaginta obſidibus, acceptoque præſidio militari, contumaciam dediſcere. Cautum verò eadem pace fuit, vt Malanus Marchionis S. Imperij inſcriptione abſtineret: titulum Ducis Brabantiæ arreptum, ſi vellet, retineret; neque ante mortem exueret: VVencelao, eiuſq; coniugi nefas eſſet, venditione, permutatione, donatione, alióve pacto à proximis hæredibus Brabantiam amouere: quæq; vrbes fidem Malano priùs dederant, quotannis illi iubenti ſingulæ militarent, Brabantiæ impenſis, cum vigintiquinque cataphractis, inter quos duo Barones, totidemque equeſtris balthei nobiles ſemper conſpicerentur. Porrò *Philippus Bonus* Brabãtiam cum Limburgo, ceteraque ditione Tranſmoſana, per mortem patruelis, iuſta ſucceſſione conſecutus, mutuas bellorum occaſiones extinxit, &, vt Mechlinia à Flãdrię nexu libera regionem ſeorſim efficeret, decreuit.

BELLVM TORNACENSE.

INVESTIGANTI quid Tornacenſes, Neruiorum primarios, ſitu ipſo cis Scaldim, ad Flandriam ſpectantes, multaque commoda ex ea propinquitate percipientes, impulerit, vt animi propenſionem illinc ad Francos auerterint, occurrit tum ſtudium populare libertatis, cui à Flandriæ Principibus aſſidentibus, validiſque ſemper timebant: tum animi confidentia, vetuſtæ originis, ac opulentiæ filia: quam augebant ampliſſimi Epiſcopatus, & eccleſiaſticæ in plurimas Flandriæ vrbes cenſuræ luculenta ibi ſedes: æmulatio cum Gandauo, Brugaque locupletibus, & linguæ diſſonis; atque Gallorum, Flandris ſemper inſidiantium ſuaſiones, illicium, emporia, patrocinij vmbra,

maior gratia. Itaque Gallicum nomen tam coluere, vt anno 1187. in Philippi primi Galliæ regis clientelam ſponte cōceſſerint;& ad annum 1467. Regi Ludouico vndecimo, vrbem ingredienti precioſum ex auro lilium in manum obtulerint, dixerintque ſingulos ciues tale in corde lilium geſtare. Vnde factum eſt, vt contra Flandros ſemper penè fuerint partium Gallicarum, & in ſeſe Flandriæ Principes prouocauerint. Hanc vrbem *Ferdinandus*, *Ioannæ* Flandrorum dominæ maritus, Gallis addictam, acerrimè anno 1216. oppugnauit, vicit, irrupit; ciuium fortunas vbique diripuit, portas muroſque in toto ferè circuitu diſſipauit, obſidibus ſexaginta ex honoratiſſimis ciuibus Gandauum miſſis: at ne flammis euerteretur, ingenti pecunia exoratum eſt. Nouos accepit à Ferdinando magiſtratus, legeſque, dato fidei & obedientiæ iureiurando. Verùm quum *Guydo Dampierro*, in Galliis detento, Flandricos fines Turnacenſes incurriſſent, & repulſi fuere cæſique, & grauiter à Flandris obſeſſi: neque deditionis neceſſitatem euaſiſſent, niſi Galli per Amedeum Sabaudiæ Comitem, obſidium ſoluiſſent, pactis induciis: quibus Guydo Principi ex cuſtodia aliquantiſper exire, inque Flandriam redire liberum fuit, vt interea rationes cum ſuis iniret de firma pace concilianda. Memorabile autem Oliuerij Stelandij, nobilis Yprenſis anno 1362. in Tornacenſes facinus fuit. Turnaci mœnia ille cum famulo Ioanne Fournio, non ignobili, equis prętergrediens, Florentium Meelghewartum, Ypræ nuper ſeditioſiſſimum, exilij damnatum; ibi deambulantem cum ſacrificulo quodam conſpicatus eſt, acceſſit, apprehendit, ſuumque in equum attraxit, vt principi ſiſteretur: iniunxitque famulo vt idem faceret ſacrifico, eius congerroni, quia clamosè exulem defendere nitebatur: ad cuius vociferationem

tionem Tornacenſes, nunciis turbulentis excitati, accurrerunt, ſacrificum eripuere, Fourniumque interceptum in furcam egere: quod Stelandius (qui exulem incolumis, quò voluit, auexerat) vlturus, impetrata à Principe ſuo *Malano* venia, bellum Tornacenſibus indixit: & cum equitibus ſexaginta ex ſua progenie & clientela electis, ad portas vrbis hoſtiliter incurrit, ciuitatiſque patibulum contemptim deiecit, vt ad pugnam inſidiaſque vltra pontem, ciues eliceret: Ibi ex eis triginta ſex pedites, ne vno quidem ex ſuis amiſſo, contrucidauit: eaſque in anguſtias, moleſtiaſque aſſiduis incurſionibus, quietem & commercia impedientibus, amplam potentemq; ciuitatem coniecit, vt demum Reyneuallo, Ioannis Gall. Regis legato tranſigente, mille ducentis florenis, aliiſq; pactis luerit Oliuerij irã, & famuli cadauer à patibulo refixerit, ſacriſq; piacularibus honorauerit, neque non Malano duodecim Francicorum aureorum milia dependerit, potiùs quàm triginta ſex ciues peregrè arbitrio Comitis mittendos ex conuento ſiſteret. Neque modica pecunia Tornacenſes, quod Gallis eſſent proniores, à *Philippo Bono* & *Carolo Bellicoſo* pòſt mulctati ſunt, ſæpe commeatibus per edicta intercluſis, ciuiumque extra vrbis mœnia reditibus, boniſq; inuaſis, caſtigati, pacemque coacti cauponari decem lib. Pariſicarum milibus annuis, quum ſex ſolũmodo milia, patrocinij nomine Gallis quotannis ſoluerent. Poſt Caroli autem interitum quum Flandricos limites Gallicis præſidiis deprædarentur, à Gandenſibus tumultuario milite agros diripientibus, temerè impetiti ſunt: Gandenſium ductore Adulpho Geldro, Arnoldi Ducis filio, à Gallis Turnaci præſidiariis (quòd magnanimus ſe tempeſtiuè recipere nollet) interfecto. Hunc Gandenſes eduxerant ex Curtracenſi cuſtodia, in quam per Carolum

rolum Bellicoſum ſeptem ante annos immiſſus fuerat, collegioque aurificum aſcripſerant, vt ciuium priuilegiis munitus, aduerſus nouum carcerem ſecurus eſſet. Fertur non immeritò tam miſerè periiſſe: Patrem enim domi per fraudem interceptum, abſque tibialibus peditem, nocte frigida, per quinque Germanica miliaria raptim in obſcurum carcerem pertraxit, inuaſitq; Principatum: cuius demum poſſeſſio, quum ipſi à patre & Carolo Bellicoſo intercesſore concederetur, modò patris ſenectuti domicilioq; ſolum Grauiæ oppidum cum modico prouentu annuo permitteret, recuſauit; dixitque ſeſe lubentiùs patrem priùs, dein ſeipſum in puteum præcipitem iniecturum, quàm ita conuenturum. Ad vltimum Carolus quintus Cæſar Turnacum cum arce agroq; ſubiugauit, pacauit, Flandriæq; vniuit.

BELLVM LEODIENSE.

LEODIENSES (quo nomine ipſa vrbs Leodium comprimis, Hasbanij, Loſſenſes, Franchimontani, Bullionij continentur) acerrimi Eburonum, Tungrorumq; poſteri, Flandris ſæpe fuerunt beneuoli, & in Gandenſes, quadam animorum ſyngenia, proni, ſubindeque auxiliares: ſed atrox in bellum inciderunt, per hanc occaſionem. Quum Ioannes Bauarus, eorũm Epiſcopus ſacerdotio initiari (vt ſæpè promiſerat) iam decem & octo annos diſtuliſſet, daretque ſuſpicionem ſe prophanum, vt vocant, dominatum illic meditari; aut, vti ait P. Æmilius, inflatus ſpe in opulentiſſimos dominatus, morte ſuorum, ſuccedendi; Leodienſes illum expulere, ac in eius locum Theodericum Perweſum elegerunt, & Traiecti ad Moſam quatuor menſibus Bauarum obſedere, magniſq; angu-

anguſtiis implicuere. Quam iniuriam & contumeliam *Ioannes Digeonius*, Burgundiæ Flandriǽque dominus vlturus, bellum ipſis intulit, à Bauaro Epiſcopo afflicto, eiuſque fratre Gulielmo, Hannoniæ, Hollandiæque Comite, atque ab vxore ſua, illorum ſorore incitatus, validiſque ſagittariorum, haſtatorumque copiis, & quinque equitum milibus comparatis. At Leodienſes audaciſſimè obnitentes, ſolutaque Traiecti obſidione, ad quinquaginta peditum milia adunati, prælium (diſſuadentibus Ducibus) ad vrbem Tungros anno 1408. in Septembri præcipitarunt. In quo viginti, eoque ampliùs pugnatorum milia amiſere, vnà cum Henrico Perweſo, antiquæ nobilitatis copiarum præfecto, eiuſq; filio, in Epiſcopum populariter electo: qui fuere ante pedes Ioannis Ghiſtelani, equitis Flandri, interfecti: quum hoſtium ſexcentos, & aliquot nobiles Flandros, primo impulſu obtriuiſſent. Verùm tot ſtrenuis viris, interque eos quingentis ferè nobilibus peremptis, ſeipſos, ditionemq; victori permiſerunt, Epiſcopum Bauarum recepere, qui Theoderici Perweſi æmuli caput, haſtæ præfixũ, Traiectum miſit oſtentui, ſacramque demum functionem illam coniugio Luxemburgi dominæ viliorem habuit. Vexilla in foro iuſſi exuſſere: ciues multos capitis pœna affectos deplorarunt, interque eos Iacobum Baldorum, quadripartitum, quòd multitudinis legatus, procuraſſet à Benedicto Papa Auenionenſi, Pervveſi in Bauari vicem cooptati, confirmationem: Canonici viginti octo, cum aliquot feminis ſacco inuolutis, Moſa ſubmerſi: Vades quingentos paci firmandæ conceſſere: ducenta Francicorum ſcutatorum milia pro belli impenſis numerarunt: oppidorum portas & munitiones coacti deiecere. Fertur *Digeonius*, quamuis Gulielmo, Hannoniæ, Hollandiæque Comiti,

de quo dictum eſt, ſua auctoritas, ſuus honor, hoc in bello debeatur, incredibilem feruorem, diligentiamque ad victoriam attuliſſe: paruo enim equo ex vno in alium locum decurrens ſua præſentia, adhortatione, conſilio, imperio omnes accendebat: ſed humani ſanguinis prodigus, noluit vt vitæ fugientium parceretur. Cuius cladis memoria, & vltioni proni Leodienſes, & poſtea *Philippo Bono* infeſti hoſtes fuere, atque ipſius etiam augeſcentem, ſuiſque finibus, per Namurci ditionem, imminentem potentiam, pertimeſcentes, artibuſq; Gallorum inſtigati in Namurcenſium agros ſæuiere. Sed altero anno per Archiepiſcopum Colonienſem, pacem impetrarunt, turrimq; ſuperbię (quę Montorgueilla vocitabatur) ad Dionantum, vnde in forum Bouinienſe facilis proſpectus erat, funditus diruerunt, centumq; milia numûm Nobilium auri Anglicani, Philippo perſoluerunt. Ad annum deinde 1465. cum Ludouico vndecimo Gall. Rege confœderati, bellum Philippo denunciarunt, vrbemq; Luxemburgi fruſtra obſederunt: Dionantianis ſeſe dantibus valde immodeſtè, & in Carolum Philippi filium ludibriis facetiiſq; peracerbis: quarum apud præpotentes in longū memoria eſt. Statuam enim effigie Caroli inſignibuſq; imbutam, patibulo quod ante Bouinium æmulum, Moſæq; intercurſu ſeiunctum erexerant, appenderunt, inſultantes magnis clamoribus, illum proditorem, ſpuriumq;, ſic Montlherici à Gallis eſſe furcæ datum: legatumq; cum puero à Bouinenſibus viciinis ad pacem ſuadendam miſſum, ſuſpenderunt. At Dionantium, quum à Carolo obſeſſum, eius ſe voluntati dedidiſſet, ſpoliatum, cædibus fœdatum, euerſum, & complanatum, nimiam victoris iram expleuit: in hoc tamen commendandi, quòd ibi ſtupra edicto vetuerit, militeſque ſceleris reos (qui tres tan-

tantùm fuiſſe referuntur) circum exercitum traductos, vt exemplo eſſent, in conſpectu omnium ſtrangulari iuſſerit. Qua clade, & Caroli ad Montlhericum victoria certò intellecta, Leodienſes perturbati, multis, ſupplicibuſq́; legationibus pacem ab ipſo, eiuſq́; patre extuderunt, hac conuentione: vt Ludouico Ioannis Borbonij Ducis fratri, Epiſcopo ſuo (cuius ſoror Caroli vxor erat) offenſo, eiectoque ſatisfacerent. Sexcenta florenorum milia intra ſex annos victori numerarent, traderentque obſides quinquaginta: atque *Philippum Carolúmque*, & eorum hæredes, Brabantiæ Duces, perpetuos tutores agnoſcant, & protectores, donatus duorum milium aureorum Rhenenſium annua penſione: abſque eorum conſilio & auctoritate nihil rerum nouarum moliturі. Cui compoſitioni, quum poſt Philippi mortem, bellum (neglecta obſidum quinquaginta ſalute, & à Gallis perſuaſi) prætuliſſent, breui reſipuere, ſolam vitam, & ne vrbs direptione flammiſq́ue fœdaretur, pacti: ac diſcincti in linteis induſiis, diſcalceati, vertices nudi, Leodio prodeuntes, coram Carolo, legatiſq́ue Franciæ, Angliæq́ue Regum, Berryæ Britanniæq́ue Ducum, demiſſiſſimè procubuere, magno ære mulctati, mœnibus nudati, & tormentis, omníque inſtrumento bellico exuti, Namurcum deportatis: ærea fuſili columna, epiſtylio faſtigiata (fori ſui ornamento) Brugam in Burſam tranſlata. Sic ſalutem impetrarunt, & *Carolum* pretioſiſſimo paludamento refulgentem, gladium nudum manu gerentem, totúmque eius exercitum intra mœnia receperunt, ſymbolo crucis Burgundicæ omnes ſignati. At breui concordia cum eodem Borbonio Epiſcopo iterum diuulſa (Ludouici Regis Gallorum ſuaſu) Epiſcopum ſuum, Guydúmque Hymbercourtium, in vrbe Tungrorum nec opinan-

tes, magnoque præſidio militari fiſos interceperunt, ac pòſt, Leodio obſeſſo, audaciſſimè noctu erumpentes, ipſum Carolum, eiuſque auxiliarem, Ludouicum Regem tantùm non comprehenderunt. Sed à Carolo ſuperati ſunt, tota vrbe Leodij (exceptis collegiis, templis, ædibuſque canonicorum) ad annum 1468. inflammata, cæde, rapiniſq; promiſcuis vaſtata, præſente Caroli ſubſidiario, Ludouico vndecimo Rege, crucemque Andreanam decuſſatim veſtibus gerente: cuius maximè opera, fœdere, pollicitiſque clamdeſtinis impulſi, bellum renouauerant: tamque crudeliter & immoderatè perdomiti, deinceps non quieuerunt: nam à Guilielmo Marchiano Arenbergio (qui Borbonium ipſorum Epiſcopum manu ſua confoderat) non alieni, Maximilianum in ſe irritarunt: & à Ioanne Chalonio, Aurengiæ Principe, cui Borbonij ſoror nupſerat, atque à Naſſauij, Romontiique Comitibus, magnas ditionis ſuæ iacturas acceperunt: donec immenſum gliſcentis Belgij Principum potentiæ formidine, ferociam exuerunt. Leodij autem (poſtea refloreſcentis) excidium illud Carolinum eò inſignius & miſerabilius fuit, quòd (Huberti Thomæ teſtimonio) adeò olim viguerit, tum ſcientiarum gymnaſiis, tum ſacris collegiis, vt Regum nouem, Ducum vigintiquatuor, Comitum viginti nouem filij, eodem ibi tempore conſpicerentur inquilini, ad doctrinam ac diſciplinam ſtudioſè capeſſendam.

BEL-

BELLVM GELDRICVM.

GELDRIA, vetuſta Sicambrorum ſedes, affinitate & beneuolentia priùs Flandriæ coniuncta fuit. Reynoldus enim Geldriæ Princeps, *Guydi Dampierri* ex filia nepos fuit, & cum Iacobo Arteuelda, Anglorum ſtudioſus, vrbeſque & conuentus Flandriæ circumiens, fœdus Flandrorum cum Brabantis contra Gallos laborioſè procurauit: eiuſque ſoboles, ſororem vxoris *Ludouici Malani*, in coniugem accepit. Neque in diſcordiæ, belliq; occaſionem irruit, antequam *Carolus Bellicoſus*, partim venditione, partim teſtamẽto Ducis Arnoldi in Geldriam ius adeptus, Nieumagum gentis caput refractarium oppugnauit: quòd Reynerium Bruchuſium fortem equitẽ, ſorore Reynoldi Brederodij natum, in præfectum militarem, & Carolum Egmondanum (Arnoldi Ducis ex Adulpho nepotem) octennem puerum, in Ducem elegerat, paruoq; equo impoſitum, & pari arcu armatum, ad animandos ciues & defenſores, per mœnia circumduxerat. At Neomagenſes, poſt trium hebdomadum obſidium, quum Ruremondã ſponte, Venloam neceſſariò, magnámque Geldriæ partem in Caroli poteſtatem veniſſe, reliquam vacillare, portas ſuas atque muros, ingenti tormentorum impetu concidiſſe perſpicerent; per interuentionem Ioannis Cliuiæ Ducis, fecerunt imperata: & proiecti ad victoris pedes, veniamque exorantes, octoginta florenorum milia ſoluerunt: Liberos Adulphi Geldri captiui, Carolum Ducẽ ſuum eiúſque ſororem Philippam victori obtulere: quos ille (Borboniæ vxoris quondam ſuæ ſorore genitos) oſculatus, ad coniugem Yorkiam Gandauum miſit: Geldriæ denique anno 1473. inaugurarunt: qui Arnhe-

Arnhemum, cæterámque Geldriam cum Zutphania, deditione conſecutus, curiam iuridicam toti genti communem, Arnhemi inſtituit, præſide Guilielmo Egmondano, Iſelſteyno, Arnoldi Ducis fratre, & Adulpho à Marka, nepote Ducis Cliuiæ, iuriſconſulto. Verùm quum Carolus inueſtituræ beneficium ab Imperatore Friderico adeptus, ſpes immenſas, vitámque ad Nanceium amiſiſſet, Geldri Carolum Egmondanum, de quo egimus, ſeptemdecim annos in aula Burgundica educatum (quum ad Bethunam, vnà cum Engelberto Naſſauij Comite, exercitus Belgici legato, & Boſſutano, Dadiſelio, multiſque nobilibus, ad annum 1490. à Gallis in prælio captus fuiſſet) redemerunt, in Principem inaugurarunt, defenderúntque, hominem militiæ auidum, peritum, & ſæpè fortunatum: belliſque ſexies repetitis, Hollandos cum Vltraiectinis, & Brabantos, multis damnis infeſtarunt: quæ Maximilianus Cæſar (filij & nepotis tutor) grauibus rependit agricolarum oppidorúmque infirmorum detrimentis.

Et *Philippus* eius filius Egmondanum Arnhemo, magnáque Principatus parte exuit, ſpiritúſque tam imminuit, vt in arce Roſindala iuxta Arnhemum, ad pedes anno 1503. Philippo acciderit, conceſſeritque vt oppida quæ ſubiugarat, Philippus poſſideret, vti poſſidebat: iudicióque apolectorum totam ditionem ſuam ſubmiſerit, ac ſe, velut pacis vadem, in Hiſpaniam ſimul profecturum, ſed falsò addixerit. At *Philippo* in Hiſpaniam ingreſſo, mortuóq;, ad ingenium, totámque ditionem, & bellum diuturnum rediit: atque animi auerſionem tam pertinacem retinuit, vt ſubditis primò Gallorum iugum imponere voluerit recuſantibus: dein, paululum ante mortem, Gulielmum Cliuiæ Gulichiique Ducem, volẽtibus permiſerit. Poſtremò, Geldri (Dura Iuliaca)

quam

quam Marcodurum fuiſſe rentur) expugnata, omniq; calamitate fœdata, atque Guilielmo attonito, & ad Venloam ſupplice, in poteſtatem Caroli quinti Cæſaris, ad annum 1543. peruenerunt.

BELLVM LOTHARINGICVM, ET HELVETICVM.

CAROLO BELLICOSO, Lotharingici, Helueticíque belli conſociati, vnus exitus, non vna occaſio fuit. Lotharingici quidem hæc fuiſſe perhibetur. Renatus Ferrico Vaudemontij Comite, & Yolanthide Renati Andegaui, Lotharingiæ, Barique Ducis, ac vtriuſque Siciliæ Regem ſe inſcribentis, filia natus fuit: nuptiis illis per Philippum Caroli patrem conciliatis: at quum in Lotharingiam, Nicolao conſobrino ſucceſſiſſet, *Carolo* Noueſium obſidenti, nec opinanti bellum denunciauit, ſimúlque intulit: prætexens de finibus contentionem: ſed reuera clàm incitatus à Ludouico vndecimo Gall. Rege, Carolo hoſtes vndique comparante, & Renato inexperto, ambitioſóque iuueni, quæ voluit perſuadente: promiſſa Andegaui, Prouinciæ, Bariq; (quæ auo eius materno abſtulerat) reſtitutione, ſuaque protectione. Itaque Renatus, in Luxemburgi vicina, præſidiiſque vacua regione, ſtragem magnam edidit, ac inexpectatam, Petraforti, aliiſque quibuſdam locis redactis in ſuam poteſtatem. *Carolus* autem Noueſij cura liberatus, ac vltioni pronus, cupidúſque expediti ac continui ex Belgica in Burgundiam itineris, Lotharingiam inuaſit: Renatum viribus imparem, & à fallaci Rege tunc deſtitutum profligauit: Nanceium Bimeſtri ferè obſeſſum, deditione cepit: totamq; Lotharingiam vi, aut metu occupauit. At verò *Heluetij* Phiertanos,

aliosq;

alióſque vicinos in Sequanis, & Rauracis, quos Sigiſmundus auſtrius, cognomento Simplex, octoginta Rhenenſium aureorum milibus Carolo oppignorarat, ipſúmque Sigiſmundum à Carolo alienarunt: cuius approximantem potentiam, ambitionémque formidabant, eiuſq; in Phiertanis præfecti Haghenbachi ferociam contumeliaſque oderant: & Iacobum Romontij Comitem, Ludouici Sabaudiæ Ducis fratrem, qui aliquot currus pellibus onuſtos Heluetiis interceperat, ipſamque Sabaudiam fœdere & affinitate Burgundo charam, afflixerunt; iiſque de cauſis Carolum in ſe irritauerunt, famę auidum, vindictæ procacem, & implacabilem eorum legatis, pacem petentibus, admonentibúſque aduerſus tam inopes, vt faterentur, aurea equitum ipſius calcaria, equorumq; frena, maioris eſſe precij, quàm Heluetiam; belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifeſta imminere. Quē priùs circa Grantſonium ad lacum Ebrodunenſem, Sabaudo ab ipſis ereptum, vbi quingentos Heluetios ſe dedentes Carolus partim furcę dederat, partim lacu ſubmerſerat, ceteróſque exaſperarat, inopinata, ingentiq; ſtrage, anno 1476. menſe Aprili vicerunt; duce Hermanno Eptingemij Comite, Sigiſmondi Auſtriaci legato: atque trium vnionum rariſſimorum (quos fratres vocabat) & adamantis omnium celeberrimi, aureorúmque vaſorum & argenteorum; quæ Heluetij tūc à ſtanneis diſcernere neſciebant; ac pretioſorum aulęorum, incredibili, triciesq; centenis aureorum milibus æſtimata iactura debilitarunt: tam exitiosè, vt eum (ſi verus eſt Cominæus) vigore illo mentis atque prudentiæ exturbauerint: Deinde menſe Iunio ad Morathum in Auenticis finibúſque Sabaudiæ, maiori eum militum clade affecerunt, cum Renato Lotharingo, Baſilea Argentina, aliiſque Germaniæ vrbi-

vrbibus fœderati, & ſemper à Ludouico vndecimo Gall. Rege clàm incitati. Ad vltimum, Carolus quum ad Nanceium illis cladibus amiſſum, iterum ſederet, acerbiſſima hyeme, tenuiſſimo exercitu, hoſtiſque ferox, magno numero cum Renato aduentaret, ſuadentibus amicis vt abſcederet, diſpoſitíſque per vicina loca præſidiis, bellum traheret, & caueret pericula potiùs, quàm inferret: Nihil opus eſt, inquit, ſegnibus conſiliis, quę timidi cauta vocant. Pudeat nos, galeatos lepores, bis iam eſſe profligatos ab iſtis ruſticis vaccimulgis. Quo minùs nobis timoris, eò minùs periculi erit. Audacia pro muro eſt: Nihil metuamus, niſi turpem famam. Vt nobis neceſſitas in loco, ita ſpes ſit in virtute, ſalus ex victoria. Feramus quæ diuinitus immittentur neceſſariò, quæ ab hoſtibus viriliter. Denique, ſi iuſtam pugnam ſuperi auerſentur, fortibus tamen viris licebit anteactam vitam pulcra morte cohoneſtare. His vix finitis, canere ſigna iuſſit. At inexpectata Campobaſſi perfidia circumuentus, ad Iaruillam ſuperatus eſt in Ianuario, atque trucidatus: quum ex ephippio equi laſſi, & ad torrentis ripam offendentis eiectum Claudius Beaumontius nobilis Lotharingus repetitis ictibus peremiſſet, adiutus à Germanis ſuperuenientibus, qui exutum armis veſtibuſque reliquerũt. Cum eo fortiſſimè oppetiit Ioannes Rubenpretus, Byueræ Comarchus. Antonio fratre, Naſſauio, Chimayo, Laleino, Chillantio, Oliu. Marchiano, aliiſque proceribus, in vincentium manus, & ab his in Galli poteſtatem, pleriſq; eorum incidentibus: ac Mariam Caroli filiam vnicam, puellam, orbam, inſidiis belliſque Gallicis, & motibus domeſticis afflictam, conſilio ſubſidióque deſtituentibus. Vnde factum eſt, vt Lotharingia apud Renatum, poſteróſque manſerit: tum propter occultas, apertáſque Gallorum in Mariam

riam, eiúſque virum inimicitias & inuaſiones, tum demum ob contractam per Chriſtinam Mariæ proneptem Chriſtierni ſecundi Daniæ Regis, & Iſabellæ Auſtriæ filiam affinitatem. *Heluetij* verò inopia & aſperitate regionis, ſuiſque inter ſe fœderibus tuti, in gratiam Maximiliani, & Caroli quinti Cæſaris redierunt. Maximiliano (qui Sigiſmundo Auſtrio in Comitatum Phiertanum, ceteroſq; dominatus Heluetiis finitimos, ſucceſſerat) hæreditarium domus Auſtriacæ cum Heluetiis fœdus, anno 1511. renouante, ac Burgundicam domum, Carolumque nepotem (cuius tutor erat) Heluetiis coniungente: quod ipſe *Carolus* Imperator (quatenus ad mutua cum Burgundiæ Comitatu commercia ſpectat) anno 1543. confirmauit.

BELLVM HIEROSOLYMITANVM.

POSTREMO loco bellum ſacrum commemoramus: tum quia extra Europam geſtum eſt, tum quod illius apud Reges Chriſtianos iampridem vltima, ac quaſi nulla cura eſſe videatur, ſuas delicias, ſuas inter ſe diſſenſiones ac diffidentias, Chriſti veſtigiis terræq; natalitiæ poſthabentes: & concilij Claromontani auctoritatem, illuſtriaque eius temporis exempla, minùs attendentes. Tunc enim res Chriſtianorum, pietate, labore, impendiis, fortitudine, & victoria maximopere inclaruerunt. Nam quum Turci Mahumetani (inter quos Aſphaſalus, cognomento Salamanſa, eminebat) in Oriente maximos victoriæ progreſſus facerent, Hieroſolyma etiam & Palæſtina potiti, cunctoſq; terrore nominis ſui impleſſent, Vrbanus ſecundus Papa, ex ſynodi illius Claromontanæ

tanæ (cui præfuit) ſententia, omnes Principes Chriſtianos anno 1096. velut claſſico incitauit, vt cruce ſignati, terram naſcente & moriẽte Chriſto ſanctam recuperarent. Ibi inter primos Gotfridus Euſtatij Boloniæ Belgicæ filius, & ex auunculi hæreditate Dux ad Arduennam Lotharingiæ, multiſq; bellis ſub Henrico quarto Cæſare aſſuefactus, iter Solymum ingreſſus eſt, quinto die Auguſti anno 1096. peruenitque ſub anni finem per Hungariam, Conſtantinopolim: Alexio Comneno Græcis imperante. Illic & in vicinia ceteros operiẽtem aſſecuti ſunt Vgo Magnus, Philippi Gall. Regis frater, Robertus Normaniæ, Robẽrtus Flandriæ, Stephanus Bleſij, Raimondus Toloſæ, Boemondus Tarenti, aliique Principes atq; proceres, illuc ex Italia mari aduecti. Quibus copiis incredibili numero conſociatis, Nicęam Bithyniæ ſynodo celeberrimam, multaſq; nobiles vrbes, Salamanſæ eripuerunt, ipſumq; acie profligarunt, & in Syriam, fineſq; Antiochiæ irruerunt. Ibi, habito conſilio, placuit, vt Flandriæ Comes cum mille equitibus loricatis, ſuiſq; popularibus præcederet, & Artaſiam (quindecim ab Antiochia paſſ. milibus) opportunam validamque vrbem tentaret: quod tam feliciter illi ceſſit, vt oppidani, Chriſtianorum fulgentia arma conſpicientes, Turcorum præſidio trucidato, portas noſtris patefecerint. At quum Turci magno robore in proximo eſſent, Artaſianos, & Chriſtianos (priuſquam augeſcerent) circumcluſuri, *Robertus* vt eos repelleret, egreſſus; ſuos numero longè inferiores in hunc ſenſum cohortatus eſt: Mecum irruite commilitones, in hoſce impios & blaſphemos, perduelles Chriſti, noſtri Imperatoris, cuius inſignia his vexillis, his pectoribus gerimus: In hos impios, dico perduelles; qui loca Chriſti Natiuitate, Morte, Reſurrectione, Aſcẽſuq; in cælũ ſacratiſſima,

diruunt polluuntq́; : aut illa, ex noſtris piis fratribus capite cenſis, vertunt in ſuam prædam, in Chriſti ludibrium, in noſtram contumeliam: noſtræq́; profeſſionis homines quotidie ſpoliant, laniant, in ſeruitutem, in necem diſtrahunt: & (quod morte grauius) ceu viliſſimas pecudes, in mercatibus indies venum exponunt. Tantam itaque immanitatem ſanguine latronum intrepidè expiemus, vt decet nos milites tanti Regis: qui cæli terræq́; potens, & omnium vbiuis exercituũ Dominus, ſuæ cauſæ vindices illuſtrabit, vel ſoſpites, victoriæ palma, vel occumbentes, martyrij laurea ſempiterna. His dictis alacriter acclamantes, in hoſtem duxit, præcipiteſque in inſidias ſubleuauit, atque ſubſidiis Artaſienſium opportunè ſuperuenientibus victoriam acquiſiuit. Ac poſtea, quum intolerabili annonæ penuria, Chriſtiani, qui Antiochiam ampliſſimá munitiſſimamq́; ad Orontem fluuium, vrbem obſidebant, premerentur, Flander vnà cum Boemondo Tarenti Principe, in hoſticum latiſſimè procurrens, tantam vini, tritici, pecoris copiam in caſtra intulit, vt in duos menſes toti exercitui alendo ſufficeret, & lætiſſimis plauſibus, ipſe *Robertus* Diui Georgij filius, & io Flandri, io Tarentini acclamaretur. Victa Antiochia, poſt octauum obſidij menſem (proditione Hermirpherri viri nobilis, vxorem à Turco ſtupratam vlciſcentis) & Corbona Perſarum Regis legato memorabili pugna ſuperato, cæſis (ſi veri annales ſunt) impiorum centum milibus, itum eſt ad Hieroſolymam recuperandam: quam à Tito Veſpaſiano, anno Chriſti 73. funditus dirutam Helius Hadrianus Imp. (licet ſuo nomine, nec iiſdem omnino veſtigiis, nam Caluarię montem vrbi incluſit) anno 119. reædificauit: Coſdroes Rex Perſarum, anno 611. ſubegit, nonaginta incolarum milibus trucidatis. Demum Saracenis ereptam, Salaman-

lamanſa Turcus occupauit. A cuius dominio vt emanciparetur, Chriſtiani accedentes, ad eius vrbis primum conſpectum, impreſſis terræ oſculis, venerabũdi procubuere. Obſideri cœpta eſt anno nonageſimo nono ſupra milleſimũ, circa Iunij principium, à Septemtrione imprimis per Gotfridum Bolonienſem, & Flandrum illi proximum: quam ad partem, decimaquinta Iulij, die ſabbathi, hora ante meridiem nona, fuit inuaſa, atque ſuperata: ab Oriente autem Meridieq; præcipites montium deiectus, obſidionem prohibebant; ab Occidente Toloſæ Comes caſtra vrbi obiiciebat. Ibi Gotfridus virtute, ſuffragiiſq; regnum, & aurea corona in ea vrbe (vbi Chriſtus Dominus ſpineam geſtauerat) recuſata, æternam laudem modeſtia aſſecutus eſt: eaq; in expeditione *Roberti* Flandriæ Principis clientes ſociiq; ex Guineſia, Santomera, Beccamenſi & Rebeca proſapiis, Berithum, Tyberiadem, Cæſaream, Abrahami caſtellum, eximia fortitudine ſibi pepererunt. Ex quo bello poſt quadriennium *Robertus* domũ rediit, non minori laude quàm expectatione, ac Hieroſolymitani cognomine acquiſito, & Flandrorum fama in Oriente propagata. Auunculi exemplo, religione, & Fulconis Solymorum Regis ſoceri affinitate inductus, *Theodericus Alſatius* anno 1138. illuc profectus eſt: arcemq; quandam Trans-Iordanam, validis præſidiis munitam, expugnauit: & ad capiendam Aſcalonam, Herodis patriam, auxilio fuit. Deinde ſecutus Conrardum Cæſarem, & Ludouicum Franciæ Regem, quibus Manuelis Comneni Cęſaris Byzantini, annonam farinaceam gypſo corrumpentis, perfidia, impedimento, noxæque fuit, Balduinum Regem Hieroſolymæ, fratrem vxoris, anno 1146. adiuit, & prudentia, ope, operaque adiuuit. Quo tempore obſeſſæ Damaſci, captis validiſſimis ſub-

urbiorum munitionibus, regnum, Theodericus obtinuiſſet, vt antè dictum, à Francis, Italis, Germanis ipſi deſtinatum, niſi veterani Duces, qui bellando in Syria conſenuerant, vrbem non capi maluiſſent, quàm ſe victoriæ præmio fraudari: ſic, conſiliis ambitione corruptis, obſidio turpiter ſoluta eſt. Tertiò *Theodericus* ad eundem Regem anno 1152. profectus Cæſaream, Aretemque, à noſtri ordinis Ducibus antea fruſtra tentatam, cum ſociis deuicit: vxoremq; Hieroſolymæ inuitus reliquit, incredibili demiſſione animi & abſtinentia, in Lazari xenodochio viuentem atque morientem. Poſtremò quum Balduinus Rex deceſſiſſet, hoſtibus formidabilis atque fortunatus, quartam expeditionem ad eius filium Almericum in regni tyrocinio contra Ægyptios, aſſiduos hoſtes, adiuuãdum aggreſſus eſt: & magna fuit conſilij eius, ex quo Almericus pendebat, auctoritas vtilitaſque: ac promeruit, vt Flandrorum in Syria nomen, indies magis illuſtre optatumque eſſet. Patrem poſtea *Philippus*, & religionem comprimis, in oculis ferens, ad Balduinum Almerici filium adoleſcentem, lepraq; infectum, profectionem inſtituit, anno 1177. ac Ptolemaidem (quæ Acra vulgò dicitur) applicuit, expectatus, & ab honoratiſſimo quoque Hieroſolymam ad Regem ibi ægrotantem, apparatiſſimè deductus eſt. Vbi, coactis Comitiis, à rege (omnium domi, militiæq; obſequentiam, fiſcum & vniuerſa regni vectigalia pollicente) rogatus, vt regni tutelam ſuſciperet, modeſtè renuit: quòd diceret ſe officij votiq; damnatum, in Syriam veniſſe: quæ excuſatio (ait P. Æmilius, cuius veſtigia hac in narratione ferè ſequimur) à multis reprehendebatur. Cum ceteris tamen Areten in finibus Antiochiæ amiſſam, obſedit, ſed vano euentu, propter luxum & diſcordiam Chriſtianorum. Itaque Paſchate in ſancta

cta vrbe celebrato, ſumptaque palma, impletæ peregrinationis teſſera, eodem anno domum rediit. Verùm quum Saladinus, Ægypti Sultanus, omniũ clariſſimus, Hieroſolymam, Ptolomaidem, ceteraſque vrbes ferè omnes Chriſtianis eripuiſſet, Guydo Luſigniano, Rege Solymorum capto; atque eo liberato, ſuadenteq; quum Chriſtianorum reliquię ſtricta obſidione Ptolemaidẽ premerent, *Philippus* anno 1191. ad eorum conatus prouehendos, in Syriam ex Sicilia ſoluit, quum Romæ hyemaſſet: & in illa clariſſimæ vrbis obſidione, ſtrenuè ſe geſſit, ſed morte ſua, & quinquaginta procerum, peſte abſumptorum, deditionem eius anteceſſit. Maiorum virtutem & religionem *Robertus Bethunius* imitatus (quum pater in viuis erat, & Gregorius decimus Papa huc publicè incitaret) in Syriam acceſſit, Zaphadino Ægyptio cum fratre interfectis, magnam laudem conſecutus. Quas demum *Ioannes Digeonius* Gallorum copias, illorum auſpiciis impenſiſq; in Hungariam contra Baiazethum Turcorum Regem anno 1396. duxerit; in quam cladem ad Nicopolim Meſiæ; in quem carcerẽ ad Byziam inciderit, Gallicis in annalibus enarratur latiùs, quàm huic loco conuenientiùs. Neque etiam huc pertinent, neque ingenij mei ſunt deſcriptiones illorum bellorum quę Carolus V. Imperator fortiſſimè & conſtantiſſimè geſſit contra Soleimanum Turcorum Cæſarem, ceteroſq; Mahumedios, ad Viennam Germaniæ, Tunetem, Argeriamque Africæ. Verùm non abs re futurum arbitramur, ſi pro coronide adiiciatur, titulum regni Hieroſolymitani (licet nudũ) ad Carolum V. Imp. eiuſq; poſteros, à maioribus Siciliæ Regibus ritè eſſe tranſmiſſum: eò procliuiùs, quòd ſcriptũ vidimus in Diariis itinerarij Cornelij Scepperi, ad Soleymanum legati, nondum in lucẽ emiſſis, fuiſſe illi ab Hymbraimo Baſſa

publicè improperatū, quòd *Carolus* in literis diplomatiſque ſeſe Hieroſolymæ Regem inſcribens, alieni regni & Soleymano ſubditi, nomen titulumq; iniuſtè vſurparet. Enimuerò Fridericus ſecundus Cæſar, Siciliæ Neapoliſque Rex (per matrem Conſtantiam, Rogerij Regis filiam) ac Yolantidis, ex Ioanne Bregnæ Comite, Yolanthideq; Monferratenſi, progenitæ, Regiſque Solymi, Balduini Leproſi, auunculi magni, hæredis, maritus, cis vltraque fretum Siciliæ affixit ius inſcriptionemq; regni Hieroſolymitani, & dotalis, & Sultano Ægyptio per tranſactionē erepti, inſtructiq; præſidiis Chriſtianis, mortalitatem anno 1250. exutus, & monte regali in Sicilia ſepultus, relicto ex Yolanthide filio Conrardo, & Manfredo, ex nobili concubina, regnum obtinente, vrbiſq; Manfredoniæ, ad fretum Sipontinum, conditore. Cuius filiam Petrus tertius Rex Arragoniæ, eiuſq; nomine regnum Siciliæ habuit, ac poſteris tranſmiſit: vnde Carolus V. Imp. originem maternam elicuit. At regnum Solymum breui retinuit Fridericus, auerſis ab eo Principum Chriſtianorum ſtudiis auxiliiſq;, per Honorij tertij diſſenſionem; Mahumediis in regni poſſeſſionem redeuntibus, veris hoſtibus Religionis Chriſtianæ diſſidiis ſemper laceræ atque decreſcentis. Faxit clementiſſimus Deus, vt exitiales ambitionis, diffidentiæ, diſcordiæque ſemper emicantis fomites, mutua tolerantia & dilectione reſtinguamus: iuratiſq; vnici Seruatoris noſtri Chriſti inimicis, animorum, armorumque coniunctione, & mutuo manuum nexu (inſtar eorum qui flumina traiiciunt) colligati, facultatem augeſcendi præcidamus, potiùs quàm bellis pluſquam ciuilibus, vrbes ruina, nobilitatem penuria, populum expilatione, religionem militari impietate conſumamus.

ΤΕΛΟΣ ΣΥΝ ΘΕΩ.

Errata operarum, quædam etiam ab auctore mutata: cæterа hîc omiſſa præſertim in pũctis, aut prætermiſſis, aut perperam poſitis, æquus prudenſq́; lector per ſe corriget.

In Præfat pag.3.lin.18.illam ceu.Pag.7.lin.8.Sarcinium.22.19.piſcium capturis 28.6.ſed nobis.32.15.indictarum 33.17.ſuus.39.13. tabularium. 52.4.Caſanto.61.19 præſidẽ. 66.in fine,cõmoda eſt. 92.2.Balliolũ Latinè. 112.4 deligentiũ. 118.31.Boſtio.121.3. arce.123.14 Cornucopiæ. 128.7. Latinè anno 1468. confecta. 130.8. vnicũ eſt)femineis. 141.4. conceſſum. Ibid.16.Pueſ:io 152.20. mobilium. 153.33. Motenſis. 154.20 pomeria. 169.15. fuit.192.26.Europi.236.31.piorũq;. 245.5.ca'idaq;.246.31.acie. 261.19. euentũi. 267.12.Niuernio Rhetelioque. 288.19 abitionem. 296. 33 inde Ariam. 340.16.tranſuectus Brugam.367.3.in quas. 384.16. principes.395.33.Florentij.409.13.donatos. 416.24.minus reſpicientes.

Approbatio.

Hæc doctiſſimi viri Iacobi Marchantij Flandria, quatuor Commentariorum libris illuſtrata, nihil continens fidei Catholicæ contrarium, aut bonorum morum offenſiuum, at tradens variarum rerum ac multorum locorum ſcitu dignorum veram cognitionem, vtiliter imprimi, meo iudicio poterit. Datum Antuerpiæ, VIII. *Calend. Nouemb.* M. D. XCV.

Siluester Pardo, S. Theologiæ Licenciatus. Cathedr. Eccleſiæ Ant. Canonicus, librorumq́ue Cenſor.


CONSTANTIA
LABORE ET